

Methodus ad facilem historiarum cognitionem

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Bodin, Jean (1530-1596). Methodus ad facilem historiarum cognitionem. 1566.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF. Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :

*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.

*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer [ici](#) pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.

*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

I. BODINI


ADVOCATI

METHODVS, AD FACILEM HISTORIARVM
COGNITIONEM.



7. anc.

691.



PARISIIS,

Apud Martinum Iuuenem, sub insigni D. Christophori è regione gymnasij Cameracensium.

CIO IO LXVI.

CVM PRIVILEGIO.

EXTRAIT DV PRI-
uilege du Roy.

IL est permis à Martin le Jeune, Imprimeur & Libraire en l'uniuersité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer & exposer en vente, par telz Libraires ou autres que bon luy semblera, vn liure intitulé *I. Bodini aduocati Methodus, ad facilem historiarum cognitionem* : iusques au temps & terme de six ans, finis & accomplis : à compter du iour & date dudict priuilege, sans que pendant ledict temps, aucuns Libraires, Imprimeurs ou autres, de quelque estat, qualité ou condition qu'ilz soyent, le puissent imprimer ou faire imprimer, vendre ne distribuer, autres que ceux que ledict le Jeune aura imprimé ou fait imprimer, sur peine de confiscation desdictz liures, qui autrement ce trouueroient imprimez, & d'amende arbitraire : ainsi que plus amplement est contenu audict priuilege. Donné à Paris le premier iour de Feburier, l'an mil cinq cens soixante six.

PAR LE CONSEIL.

DE COURLAY.



L. TEXTORI CVRIAE IN-

QVISITIONVM PRAESIDI,

I. BODINVS S. P. D.



VEMADMODVM flores historiarum legere, ac suauissimos decerpere fructus oporteret, hac methodo, Praeses integerrime, cōplecti propositum fuit. quod quidem si consecuti videmur, tibi acceptum ferri debet; qui me renitentem oratione graui, admista incredibili suauitate bonitatis, excellentisq; naturæ tuæ, ad id sæpius impulisti. sin res aliter atque vellem cecidit, hoc mea culpa contractum agnosco: quam tamen apud alios iudices leuiorem fore putauit, si primùm tibi, hoc est vestræ curiæ mitissimo iudici, meam causam probarem: vt si plus esset abs te veritati quàm amicitiae tributum, eo præiudicio confirmatus, alios exceptione rei iudicatæ summouerem: aut si plus faueres amori erga me tuo, iudicis persona deposita, patrocinio me iuuares. quanquam neque ex mea voluntate, & præter expectationem ab altiore quodam de legibus instituto, sum ad hoc genus scriptionis casu delapsus. id autem breuiter explicare tibi proposui, tùm vt æquior sis erga me futurus (quanquam

• ij æquior

æquior esse non potes) in hac methodo iudicanda:
tùm etiã vt eos quibus otij satis est, ingenij verò,
scientiæ, iudicij multò plus quàm mihi, ad hæc
pulcherrima studia cohortere. Cùm in forum ve-
nissem vt scenæ, quod dicitur, ac populo seruire,
hoc primùm mihi proposui; vt tempus omne va-
cuũ à forensibus negotiis in legitima studia con-
ferrem, ac Reipublicæ, cui post Deum immorta-
lem omnia debemus, siue scriptis, siue quocũque
modo possem gratias referrem. sed cùm animad-
uererem triplex omnino scribendi genus esse; v-
num in rebus inueniendis, & materia suppeditan-
da: alterum in rebus ordine tradendis & forma per-
poliendis: postremum in maculis veterum libro-
rum eluendis: mirum mihi visum est tam multos
esse, ac semper fuisse rerum inuentores, qui verò
res inuentas arte ac ratione traderent, admodum
paucos. vt enim alias artes omittam, innumerabi-
les prope scriptores habemus, qui ius ciuile Ro-
manorum suis cõmentariis tantopere auxerunt,
vt nulla re magis, nullo grauiore morbo, quàm
sua magnitudine laborare videatur. nam quò quis-
que magis in scribendo ineptus, eò maiorem li-
brorum multitudinem effudit: qui tamẽ arte con-
cluserit ea quæ dispersa, dissecta que leguntur, vi-
deo fuisse neminem: & eos qui speciosa librorum
in inscriptione, artem illam se tradituros receperant,
vadimonium deseruisse: qui etiam ab eo quod
proposuerant, tam longè abfuisse, vt quid sit ars
ipsa,

ipsa, ne suspicati quidem videantur. sunt enim artes ac scientiæ, id quod tu minimè ignoras, non singulorum, sed vniuersorum. at illi iuris ciuilibus, id est singularis cuiusdam ciuitatis artem tradere sunt conati. quàm sapienter; non disputo: nihil tamen artis dignitate ac præstantia potuit alienius cogitari. omitto quàm sit absurdum, ex Romanis legibus, quæ paulo momento mutabiles fuerunt, de vniuerso iure statuere velle: præsertim cùm edictorum ac legum infinita multitudine, post etiam Aebutia rogatione omnes penè x i i. tabularum leges, ac subinde veteres nouis renascentibus sublatae fuerint. quinetiam Iustiniani penè ius omne à consequentibus Imperatoribus abrogatū videmus. omitto quàm multa sunt, in illis quæ restant legibus, absurda: quàm multa iustis populorum penè omnium decretis, vsuque diuturno antiquata: nullius tamen populi, præterquam Romani leges, & quidem ordine peruerso, descripserunt. legissent Platonem, qui legum tradendarum ac moderandæ ciuitatis vnā esse formam putauit, si omnibus omnium, aut magis illustrium Rerum publicarum legibus in vnum collectis, viri prudentes eas inter se cōpararent, atque optimum genus ex iis conflarent. Ad hoc igitur institutum omnia mea studia, omnes contuli cogitationes. Principiò iuris vniuersi formam sic adumbrauimus in tabula, quam tibi exhibuimus spectandā, vt ab ipsis causis, summa genera, generūque par-

titionem ad infima deduceremus; ea tamen ratione, ut omnia membra inter se apta cohærent. in quo verissimè à Platone dictū intellexi, nihil difficilius ac diuinius, quàm rectè partiri. deinde postulata constituimus, quibus tota disciplina veluti firmissimis fundamentis niteretur. tum definitiones subiicimus: postremò præcepta, quæ regulæ appellantur, qua breuitate fieri potest, ad propositam formã, velut ad normã exigimus. ex aduerso breuissimis notis Romani iuris interpretes adicimus, ut ex iisdè fontibus, quibus ego, haurire ad fatietatè quisque possit. altera ex parte leges populorū, qui militari urbanaq; disciplina claruerunt, vndique collectas annectimus. quam quidè ad rem, Iurisconsultorum simul & historicorum ponderibus utimur, ut Persarum, Græcorum, Aegyptiorū, non minùs quàm Romanorum legibus tribuatur. ex Hebræorū quoque pandectis, potissimùm ex libris Sanedrim, optima quæque haurire proposuimus: in quo mihi suã operã I. Quinquarboreus, ac Mercerus, Hebraicæ linguæ regij doctores, mihi non defuturã sponponderunt. Hispanorum quidè leges & Britannorū, atq; omnino clariorum Italiae ac Germaniæ ciuitatum iura nobis ne desint (nam obscuriores conquirere infinitum sit) effecturū me non diffido, ut cū nostris simul coniungatur. optarè illud quoque, ut Turcarum iure ciuili perinde frueremur: aut certè ius publicū, quo florens illud ac præpotens imperiū
stabili-

stabilitum est, quodammodo teneremus. his accedet forensis doctrina, summaque autoritas rerum, tum in vestra, tum in imperiali curia decretarum: quas partim nostrorum hominum, partim Guarini, & Minsingeri opera consecuti sumus. sic enim Polycleti norma; leges, & legis actiones: Lesbia verò; æquitatem, & iudicis officium examinare decreuimus. Hæc igitur omnia Iurisperitorum, atque historicorum probata & confirmata sententiis, artem illam efficient & clariorem, & augustiorem, quam si ab unius populi Romani arbitrio penderet. tametsi Græculorum figmenta esse quæ habemus, magna sui parte cõperiuntur. nam xv. viri legibus constituendis à Iustiniano creati, cum fœda barbarie omnia premerentur, legum fontes ad eò conturbarunt, ut nihil fere à sordibus & luto purum hauriatur. ex quo secuta est immensa diffusaque legum copia, tum ut legum inter ipsas discrepantia tolleretur: tum etiã ut ab integro corpore auulsa membra, vtcunque coagmentari possent. ex quo veteres interpretes magno ingenio, labore verò penè incredibilem fuisse intelligi potest, tum etiam ex eorum scriptis, quæ tot ac tam multa effuderunt, ut omne suum tẽpus in scribendo posuissent; nihil ad legendum reseruasse videatur. sed cum in miserima tẽpora incidissent, quibus nec bonis artibus erat, nec humanitati locus: suis scriptis plerosque ab hac scientia deteruerunt. cum enim iuuetus à suauissimis eloquentiæ

tiæ ac philosophiæ floribus & hortulis, ad illa fen-
ticeta, præruptaque saxa vocaretur, animum pla-
nè deiiciebat: & quò quisque elegantius erat à
natura; vberius etiam à doctrina perpolitus, eò
magis refugiebat ab eius scientiæ aditu, qui veprì-
bus ac spinis interclusus tenebatur. postea verò
quàm perpurgari cœpit, tum legibus Romano-
rum sua prisca dignitas restitui visa est. Ex iis er-
go interpretibus, quorum delectũ habemus, qui-
busque ad leges describendas utimur, quattuor
sunt genera. vnum est eorum qui in scholis perpe-
tua disputatione legum memoriam animo com-
prehensam habent; sed tamen sine vsu & exerci-
tatione forensi. sequuntur ij qui diuturno rerum
forensium vsu, paucis quibusdam præceptis, iu-
dicandi prudentiam sibi compararunt. tertiũ ge-
nus est eorũ, qui ab his quidẽ vsu; ab illis præ-
cepta didicerunt: quales inter nostros habemus
Speculatorem, Fabrum, Guidonẽ, Chassaneum,
Boërium, Baronẽ, Conanum, Tiraquellũ, eiusque
popularem Brissonem, & collegij nostri decus
Molinæum: ex quibus vberes in causis ciuium
disceptandis ac iudicandis percipimus vtilitates;
ex illis, prope nullas. Nã qui sine forẽsi disciplina
iuris scientiã se adeptos arbitrantur, planè confi-
miles sunt iis, qui seiplos in palæstra semper exer-
cuerũt, nullas tamen acies viderũt, nullos militiæ
labores tulerũt. itaque hostium aspectũ ferre non
magis possunt, quàm is qui in scholis Biturigum
tanta

ranta cum gloria florebat; id est Strabo inter cæcos acutissimè cernebat: cùm in forum venisset, de leuissima quæstione consultus obmutuit, non sine acerba Riandi reprehensione. tales ergo iuriconsultos I. Ferrerius tuus collega, vir omni laude cumulatus, & qui nunc legatum apud Venetos agit; graui testimonio de falsa illa, quàm de se ipsi concipiunt, iuris opinione depellere solebat, cùm multis audientibus ingenuè fateretur, se ius antè ignorasse, quàm in vestra curia litteras forenses ac senatorias vsu diuturno comparasset. non aliter atque Demades orator, qui Reipublicæ gerendæ scientiam, non in scholis & otio, sed in clarissima populi luce didicisse gloriabatur. Extremum genus est eorum qui non modò præceptis ac vsu forensi, verumetiam præclaris artibus, & solida philosophia informati, iustitiæ naturam non ad hominum voluntates mutabilem, sed æterna lege definitam amplectuntur: qui normam æquitatis peritè tractant: qui iuris origines ab vltimo principio deducunt: qui omnis antiquitatis cognitionem accuratè tradunt: qui principis, senatus, populi, magistratuumque Romanorum imperium ac potestatem planè tenent: qui philosophorum de legibus & Republica disputationes ad ius interpretandum afferunt: qui Græcam & Latinam linguam, quibus descriptæ sunt leges, minimè ignorant: qui denique artem vniuersam suis finibus circumscribunt, generibus

** a notant,

notant, in partes distribuunt, verbis designant, exemplis illustant. has dotes eximias si haberent interpretes illi veteres, haud dubium est quin ista, quam terimus, commentariorum squallens sylva, laetis adolescentibus iucundior fuerit, & Republicæ utilior futura. ex ea tamen aureas definitiones ad instituti nostri rationē legimus, & magnam gratiam illis habemus, quòd suorum studiorū qualescunque fructus liberaliter ad Rempublicam detulerunt. Atque utinam eorum exemplo vestri quoque Papiniani, Scæuolæ, Labeones (neque enim aliis nominibus appellandi sunt) quos ad æquitatem naturā genuit, disciplina informauit, usus assuefecit; quantum valent, tantum velint. quid enim tantam sapientiam latere potest? aut qui merito maiore post homines natos Iurisperitorum nomine fruuntur? neque enim vlla pars orbis terrarum, æquè floret omni disciplinarum genere, vt Europa: nec vlla pars Europæ legum scientia clarior fuit vnquā, vt his temporibus Gallia (id quod etiamnum peregrini homines confitentur) nec theatrum Galliæ ornatius vllū hac ipsa vrbe: tūm propter lumen huius curiæ: tūm etiam propter vrbe cum vniuerso terrarum orbe cōmunionem & quasi societate. Quæ cū ita sint, non existimo id quod à Platone de sanandis populis & conformandis legibus scriptū est: à Solone & Lycurgo in summa legū inopia, diuturna que peragitatione susceptū: à decemuiris

tota

rota Græciaque sitū (neque enim Adriano, vel Iu-
stiniano cura fuit iuris alieni) cōmodius, aut faci-
lius quàm his eruditis téporibus, & in hac forenfi
schola confici posse. neque dubiū est quin Francis-
cus maior, si diutiùs vixisset, hoc quoque susceptu-
rus fuerit, & ad exitum perducturus. non enim è
Græcia Iurifconsultos arcessere, nec aliunde legū
latores accire oportuisset. sed tali ac tanto rege no-
bis abrepto, miseranda conuersio secuta est. cum
enim sementē in literarum agros sparsisset, ij qui
florentem scientiarum segetē, ac fructus pendētes
legere debuissent, putredine corrūpi maluerunt:
sublatis scilicet agricolarū præmiis, vt ignauissi-
mis ac turpissimis hominibus tribuerentur. ne-
que enim sine acerbissimo sensu doloris reminif-
ci possum, clarissima ingeniorū lumina, quæ tota
Gallia fulgebāt, squallore & inopia extincta fuis-
se. Restat igitur vt vos, quibus nullum tempus à
munere publico vacuum datur, Semelorios, Por-
tas, Canaios, Mangones, quibus otium peperit re-
rum omniū affluentia, pro vestra, quæ summa est,
auctoritate vrgeatis; vt suis quoque scriptis bene
de legibus mereri studeant, vel potiùs gratiam re-
ferant bene de se meritis, quarū ope tales ac tanti
cuaferunt. quòd enim suis consultoribus assidue
cauent ne capiantur, faciunt quod sua virtute ac
sapientia dignum est: sed est eiusdem virtutis ac
sapientiæ cauere, vt diuina illa responsa, quæ in
vulgus manare patiuntur, quæque famam non

modò sempiternam, sed etiam salutem Reipubli-
cæ pariunt, ad posteros etiã deriuari possint. quod
ab iis sperari non debet, quos nemo de iure confu-
lere velit: qui se grammaticos malũt quàm Iurif-
consultos haberi: qui falsam scientiã, nullã æqui-
tatis opinionem induerunt: qui syllabarum mo-
mentis Rempublicã seruari, iudicia constitui, lites
dirimi putant. quæ sanè pestis grãmaticalis, in in-
timos omnium disciplinarũ aditus vsque eò ser-
pere cœpit, vt pro philosophis, oratoribus, mathe-
maticis, theologis, minutos de schola grãmaticos
ferre cogamur. nam qui labe ac maculas de ta-
bulis antiquis leniter detergere debuissent, vt pi-
ctura vetus agnosceretur, ferro stilo turpes no-
tas, & quidem indelebiles tam altè in libris om-
nibus impresserunt, vt nulla penè antiquitatis ap-
pareat imago. sed iis omisis qui sua se voluntate
ex albo doctorum hominum exemerunt, ad hi-
storiam, vnde nostra fluxit oratio, relabor. Ex hac
igitur veterum leges huc illuc dispersas colligi-
mus, vt huic quoque operi coniungamus. & qui-
dem in historia iuris vniuersi pars optima latet:
quodque ad leges optimè diudicandas magni
ponderis est ac momenti, mores populorum, ac
rerum omnium publicarũ initia, incrementa, sta-
tus, conuersiones, exitus ab ea deriuantur. in quo
præcipuum est huius methodi argumentũ. pro-
pterea quòd fructus historiæ nulli sunt vberiores,
quàm qui de statu Rerumpublicarũ decerpi con-
sueuerunt.

fueerunt. atque eo de genere plura quàm de reli-
quis partibus scripsi, quòd eam disputationem
tam necessariam ad intelligendum; pauci, & qui-
dem frigidè tractarunt. quæ disputatio si nimis
ampla cuiquam ac diffusa videbitur, cogitare de-
bebit, ea quæ nullum exitum habent, cuiusmodi
est historia rerum humanarum, non posse breui
methodo contineri. quòd si Galenus de sola me-
thodo suæ artis, quæ certis regionibus concludi-
tur, libros plusquam x x x. Diomedes verò de re
gràmatica sex millia librorũ effudit, profectò non
debet id quod de vniuersa historia scripsimus, co-
piosum videri. quanquã istuc quicquid est quod
iam pridè ad te detuli, modis omnibus exiguum
fore cõfido, præ illa fama quam de singulari eru-
ditione, deque virtutibus tuis concitasti. quarum
virtutum laudes eximias, nec in tam obscuro lo-
co detegere, nec apud te prædicare decreui. Bene
vale. Calendis Febr. c i o i o l x v i.

** a iij

SVMMA CAPITA TOTIVS
Methodi.

- Proëmium de facilitate, oblectatione, & utilitate hi-
storiarum. pag. 1.*
- Quid historia sit & quotuplex. cap. 1. pag. 18.*
- De ordine historiarum cap. 11. pag. 25.*
- De locis historiarum rectè instituendis. cap. 111. pag.
2111.*
- De historicorum delectu. cap. 1111. pag. 2222.*
- De recto historiarum iudicio. cap. v. pag. 231.*
- De statu Rerumpublicarum. cap. vi. pag. 242211.*
- Confutatio eorum qui quattuor monarchias & aurea se-
cula statuunt. cap. vii. pag. 252211.*
- De tēporis uniuersi ratione. cap. viii. pag. 262211.*
- Qua ratione populorum origines haberi possint ac indi-
cari. cap. 18. pag. 272211.*
- De historicorum ordine & collectione. cap. x. pag.
282211.*



IO. BODINI METHO-
DVS AD FACILEM HI-
storiarum cognitionem.

PROOEMIUM DE FACILI-
tate, oblectatione, & utilitate historiarum.



*V*M Historia laudatores habeat complures, qui se veris ac propriis laudibus exornarunt, ex omnibus tamen nemo veriùs ac meliùs, quàm qui vitæ magistram appellavit. nam ea vox omnes omnium virtutum ac disciplinarũ utilitates amplexa, significat hominum vitã uniuersam ad sacras historiae leges, velut ad Polycleti normam, dirigi oportere. certè philosophia, quæ ipsa vitæ dux appellatur, propositis bonorum ac malorum finibus intermorta iaceret, nisi ad rerum præteritarum historias omnia dicta, facta, consilia reuocarentur: ex quibus non solùm præsentia commodè explicantur, sed etiam futura colliguntur, certissimãque rerum expetendarum ac fugiendarum præcepta conflantur. Itaque mirum mihi visum est in tanta scriptorum multitudine, tamq; eruditis temporibus adhuc fuisse neminem, qui maiorum nostrorum claras historias inter se, & cum rebus gestis antiquorum
b compararet.

compararet. id autem fieri commodè poterat, si collectis omnibus humanarum actionum generibus, ad hæc exemplorum varietas aptè & suo quicque loco accommodaretur: ut ij qui se flagitiis penitus dedidissent, iustissimis maledictis proscinderentur: qui autem ulla virtute claruissent, suo merito laudarentur. hic enim historiarum fructus est vel maximus, ut alij quidem ad virtutē inflammari, alij à vitiis deterreri possint. tametsi enim boni per se laudabiles sunt etiam si à nemine laudentur, nihilominus tamen præter ea quæ virtuti præmia proponuntur, hunc etiã laudis fructum, quem plerique solum ducunt, viuos ac mortuos consequi par est: ut indignè ferant scelerati bonos, qui ab ipsis opprimuntur, in cælum usque tolli: se verò suorúmque, nomen aeterna labe maculari: quod etiam si dissimulant, non tamen sine acerbissimo sensu doloris ferunt. neque enī verum, ac ne verisimile quidem esse puto quod Trogus Pompeius de Herostrato, T. Livius, de Manlio Capitolino tradunt, magnæ quàm bonæ famæ fuisse cupidiores: sed alterum, opinor, vitæ desperatio mentisque furor, alterum maioris gloriæ spes impulit, ut suis popularibus imperaret. aut sanè fatèdum sit homines gloriæ cupidos æquo animo contumelias ferre, quod sibi ipsi valde repugnat. nam si recludantur impiorum mentes, ut est apud Platonem, æquè verberū ictus & laniatus, atque cæso corpore cruenta vibices, aut ferri candētis impressiones aspici possint. & qui inter eos gloriæ cupidiores sunt, quanquã veræ laudis gustum nullum habent, sed tamen qui gloriã inanem captāt, incredibile dictu est quantū eos laceret & conficiat infamie metus. ac si qui sunt adeò stupidi ut animos unã cum

corpo-

corporibus interire putent, quandiu tamen viuunt plurimum sua interesse arbitrantur qualem de se opinionem posteritas sit habitura, sepiusque vota faciunt, ut se mortuis, quanquam Nero id optabat ut se uiuo, terrarum deflagratio consequatur. argumento sit Tiberius Augustus, qui etsi multa crudeliter ac libidinosè animi quadam impotentia gessit, sceleratior tamè futurus erat, nisi famæ curam haberet. itaque flagitiorum latebras in remota quadam insula quæsiit: cumque imperio se minimè dignum iudicaret, patris patriæ appellationem, & imperium obstinatissime, ut loquitur Tranquillus, recusauit: ne mox maiore dedecore impar tantis honoribus inueniretur. extat eius oratio habita in Senatu, qua unum ait principi comparandum, prosperam sui memoriam, alioqui famæ contemptu contemni virtutes. extant epistola magno cum gemitu ab eo scripta, quibus de antea acta uita miserè conqueritur, seq; posteritatis graues contumelias iam sentire, nec tamè mores mutare posse. hic autè infamiae metus in principibus: hæc utilitas historiae Cornelio Tacito tam magna uisa est, ut uel sola homines ad eius lectionem & scriptionem debeat inflammare. At illud quanti est, quod omnium artium & earum maximè quæ in agendo positæ sunt inuentrix & cõseruatrice est historia? quæ enim sunt à maioribus usu diuturno percepta & cognita, historiae thesauris commendantur: tum posteri obseruationibus præteritis futuras annectunt, causasque rerum abditarum inter se comparant, earumque effectrices, & cuiusque fines quasi sub aspectum positos intuentur. Quid autè ad immortalis Dei gloriam, quid ad ueram utilitatem maius esse potest, quam quod

ab historia sacra, religio aduersus Deum, pietas in parentes, charitas in singulos, iustitia in omnes propagatur? unde verò prophetarū voces & oracula, unde animorū aeternā vim ac potestatem nisi ab historiae sacro fonte hausimus? Sed praeter utilitatem incredibilem, quae duae res in omni disciplina quaeri solent, facilitas & oblectatio, ambae in historiatarum cognitione ita conspiciunt, ut nec facilitas in ulla scientia maior, nec par voluptas inesse videatur. facilitas quidem tanta est, ut sine ullius artis adiumento ipsa per sese ab omnibus intelligatur. nam in aliis artibus, quod omnes inter se aptae & iisdem vinculis colligatae sunt, altera sine alterius cognitione percipi nequit. historia verò quasi supra scientias omnes in altissimo dignitatis gradu locata, nullius eget ope, ac ne literis quidem ipsis, cum auditione sola veluti per manus tradita posteritati relinquatur. itaque Moses uno capite legis, Narrabis, inquit, haec filiis tuis: cum sua Reipub. ac librorū interitū auguraretur. cum autem intereant imperia, Respub. urbes, historia nihilominus aeternum viget, ut ait ille. ac verissime Cicero prouidit prius interiturā Salaminam, quam quae ad Salaminam gesta memorantur. est enim aquarum voragine penitus exhausta: non aliter atque Aegirā, Buram, Helicem, Cretaeque ipsius, quae propter urbium frequentiam olim ἐκ τῆς πόλεως, nunc Tripolis dici potest, ac nostro seculo Batavia magnam partem aquae absorberunt. at historiae nisi humani generis interitus antecedit, interibunt nunquam: sed in animis agrestium quoque & imperitorum perpetuo haerebunt. Ad facilitatem accedit ea quae ex rerum pulcherrimarum narratione percipitur voluptas,

luptas, quæ profectò tanta est, ut qui semel historiarũ illecebris captus ac delinitus fuerit, nunquam ab eius suavissimo complexu diuelli se patiatur. quòd si tanta sciendi cupiditate feruntur homines, ut etiamnum ex ipsis fabulis incredibilem capiant voluptatem, quantò maior futura est cum verissimè gesta narrantur? quid autem suavius quàm in historia velut in proposita subiectaque tabula res intueri maiorum? quid incũdius quàm eorum opes, copias, ipsasque acies inter se concurrentes cernere? quæ certè voluptas est eiusmodi, ut omnibus interdum corporis & animi morbis sola medeatur. testes sunt, ut alios omittam, Alphonsus ac Ferdinandus Hispania & Sicilia reges, quorum alter à T. Liuiio, alter à Q. Curtio valetudinem amissam, quam à medicis non poterant, recuperarũt. testis est etiam Laurentius Medices (is qui literarum parens usurpatur) qui sine ullis medicamentis (quanquam historia salutare est medicamentum) à morbo conualuisse dicitur ex eius historia narratione quæ fertur de Conrado III. Imp. qui cum Guelphum Bauaria ducem obsidione diuturna fregisset, nec ullis conditionibus à proposita susceptaque urbis euersione deduceretur, ad extremum victus nobilium fœminarum precibus, permisit ut inuiolata abirent, ea lege ut nihil ex urbe, nisi quod humeris possent, exportarent. tum illa confidentia maiore dicam an pietate, ducem ipsum, maritos, liberos, parentes ab humeris suspensos gestare cœperũt: ex quo Imperator tantam voluptatẽ cœpit, ut effusis præ gaudio lachrymis, non modo feritatem & iracundiã ex animo penitus deposuerit, verum etiã urbi pepercerit, & amicitia cum hoste omniũ

acerrimo contraxerit. Quis igitur dubitet quin historia hominum quoque ferocium ac stupidorum animos suavissima compleat oblectatione? at verendum potius est ne dum nimis magna voluptate capimur, utilitatem (quam in oblectatione quoque utilitas est) deseramus. id autem accidit iis qui rerum leuissimarum narrationibus, quasi bellariis & condimentis, neglecto solidiore cibo pascuntur. Igitur omissa historiarum oblectatione ad utilitatem relabor, quæ quanta sit, non solum in verissimis narrationibus, verumetiam in illis in quibus historiarum imago & lux aliqua veritatis affulserit, non infinitis argumentis planum faciam, cum ex iisdem fontibus illa, quibus ego, haurire quisque possit, sed unius tantum Scipionis Africani exemplum proponam. Is enim cum Cyripædiam Xenophontis animo penitus haberet comprehensam, ex eaque omnes omnium virtutum ac laudum cumulos collegisset, tantus vir evasit, ut non modò bellum ingens in Hispània (sic enim Liviùs scribit) non alia de causa exarserit, quàm ex admiratione Scipionis, aliorum imperatorum orto contemptu: verumetiam latronibus ipsis sanctus & inuiolatus extiterit. cum enim piratæ ad eius aedes rusticas adiissent, eosque ab aditu quasi Scipioni vim illaturos serui obsessi strenuè propulsarèt, illi supplices à seruis petierunt, ut sibi diuinum illum hominem contueri ac venerari liceret: quod ille re intellecta permisit, ut latronum barbariem (tametsi ne barbari essent iam sua virtute perfecerat) ad humanitatem reuocaret. hunc igitur veræ gloriæ fructum attulit historia Cyri maioris, non tam vera, quàm ad iustissimi & fortissimi regis ideam expressa.

Sed

Sed ne vetera conquiramus, nullum recentius exemplum aut illustrius est, quàm de Selimo Turcarũ principe, cuius maiores cùm ab historia velut à fabulis semper abhorruissent, primus ipse gesta Cæsaris in linguam vernaculam transferri curauit, ac eius imitatione, breui magnam Asiæ minoris & Africae partem cum imperio maiorum coniunxit. Quid autem Cæsarem ipsum ad eam virtutem impulerat, nisi æmulatio Alexandri? cuius victorias cùm legeret, lachrymas vberius effudit, quòd ea etate qua ille terrarum orbem domuerat, nihil dum gessisset. quid item Alexandro tot victoriarum causa fuit, nisi virtus Achillis ab Homero (sine quo ne somnum quidam capiebat) ad imperatoris optimi exemplar efficta? quid deniq; Carolũ V. Imp. ne peregrinis utamur exemplis, ad tantã gloriam extulit, nisi Ludouici XI. Regis Gallorũ ab historia Cominiij æmulatio? Iam verò cùm historia infinitam habeat utilitatẽ, facilitatẽ maximã, maiorẽ etiam oblectationem nullius unquã probris est appetita: & cùm ceteras artes quasi perniciosas aut inutiles plerique sint calũniati, nemo tamen est inuentus, qui antiquitatis memoriã vlla infamiæ labe notarit: nisi fortasse is qui cum omnibus virtutibus ac disciplinis bellum indixisset, historiã mendacij coarguit. sed ea reprehensio fabularũ sit non historiarum, quæ nisi veræ sint ne historie quidem appellari debent, ut Platoni visum est. is enim omnem orationẽ ait veram esse aut falsam: hanc appellat poësim, illã verò historiã. Quãquam quid argumẽter, cùm ex ipsis Homeri fabulis, quæ historiæ ac veritatis imaginem præ se ferunt, tanta utilitas eruatur? quales ab historia fructus sperare oportet?

Quare

Quare cùm ab historia penitus erudiamur, non solum artes ad vitam degendam necessarias, verumetiam quæ omnino sunt expetenda, quæ fugienda, quid turpe, quid honestum. quæ optima leges, quæ optima Respub. quæ beata vita: postremò cùm sublata historia Dei cultus, religiones, oracula temporum decursu tollantur: huius ego scientiæ utilitate incredibili ad hanc scriptionem adductus sum, cùm magnam historicorum ubertatem & copiam animadverterem non deesse, qui tamen historiae artem ac methodum tradidisset, fuisse neminem: ac plerosque temerè & sine ordine miscere historias, nullòsque ex iis percipere fructus. antea quidem fuisse nonnulli qui de instituenda historia libros scripserunt: quàm sapienter non disputo. habent illi fortasse sui consilij causam probabilem. mihi tamen si iudicium ferre liceat, consimiliter facere videntur, ut medici nonnulli, qui omni genere medicamentorum ægrotanti proposito, rursus de medicina faciendâ disputant, nec earum quæ tot ac tam multæ proponuntur, vim aut naturam docere morbisque presentibus accommodare conantur: sic illi quoque de scribendâ historia libros instituunt, cùm pleni sint omnes omnium antiquitatum libri, plene bibliothecæ historicorum, quos utilius ad intuendum & ad imitandum proponere potuissent, quàm de exordiis, narrationibus, verborumque ac sententiarum luminibus oratoriè disputare. Ut igitur aliquam doctrinæ viam habeat hoc quicquid est quod de historica methodo scribere aggredimur, principiò historiã partiemur ac definiemus: deinde historiarum ordinem trademus: ad hæc communes humanarum actionum locos, ut memoriæ consuli possit, ad historias accommodabimus:

post

post historicorum delectū singularem habebimus: tum de recto historiarū iudicio disputabimus. consequenter de statu Rerumpublicarū dicemus, in quo potissimum historiæ toti⁹ disciplina versatur: tū eos qui quattuor monarchias & aurea secula nobis inuexerunt refellemus: quibus explicatis, ut sciri possit unde historiarum origo peti, quoue referri debeat, temporum ordinem obscurum & inuolutum illustrare conabimur: denique errorem eorum confutabimus qui gentium origines pro veris tradiderunt: postremò ad historicorum collectionem & ordinem delabemur, ut qua quisque de re scripserit, quaque floruerit ætate planè intelligatur.

QVID HISTORIA SIT & quotuplex. cap. primum.



HISTORIÆ, id est veræ narrationis, tria sunt genera: humanum, naturale, diuinum. primum ad hominem pertinet, alterum ad naturam, tertium ad naturæ parentem. unum actiones hominis in societate vitam agentis explicat: alterum causas in natura positas earumque progressus ab ultimo principio deducit: postremum præpotentis Dei animorumque immortalium in se collectam vim ac potestatem intuetur. ex quibus assensio triplex oritur, probabilis, necessaria, religiosa: totidemque virtutes, scilicet prudentia, scientia, religio. una quidem turpe ab honesto: altera verum à falso: tertia pietatem ab
c impieta

impietate diuidit. primam ex imperio rationis & usu rerum agendarum, humane vite moderatricem vocant: alteram ex abditarum causarum inquisitione, rerum omnium inuentricem: postremam ex vnus Dei erga nos amore, vitiorum expultricem. ex his tribus virtutibus inter se cōiunctis conflatur vera sapientia, summum hominis extremumque bonum: cuius boni qui sunt in hac vita participes beati appellantur. & quoniam eius fruēdi causa in hanc lucem venimus, ingrati simus nisi bonum illud diuinitus nobis oblatum amplectamur, miseri si ab eo deseramur. eius autem adipiscendi magnum est ab historia triplici adiumentum, maximè verò à diuina, que hominē per se ipsa beare pōtest, sine usu rerum agendarum, sine occultarum causarum cognitione: quæ tamen si accesserint, magnum, opinor, ad hominis fœlicitatem allatura sunt incrementum. consequens erat igitur ut ab historia rerum diuinarum primordia peteremus: sed quoniã hominibus primum studium conseruãdi sui natura parens ingenerauit: deinde paulatim à rerum naturalium admiratione ad causarum inuestigationē impulit: tum ab iis illecebris ad ipsius rerum omnium moderatoris cognitionem pertraxit: ob eam causam ab historia rerum humanarum nobis auspicandum videtur, cum primùm de summo Deo comprehensiones, non solum probabiles, sed etiam ad assentiendum necessariae in puerorum animis radices egerint. ita fiet ut à cogitatione nostri primùm, deinde familiae, tum communis societatis ad naturæ inspectionem, ac postremò ad immortalis Dei veram historiam, id est contemplationē, abducamur. atque hoc postremum quàm difficile sit iis qui nondum

ἰσορροπία τὸ
 δεξιὰ ἔστω.

nondum vera philosophia sacris initiati fuere, satis intelligunt, qui se in rerum magnarum meditatione aliquantū exercuerūt, ut enim mentem paulatim supra sensus quasi supra fluctus, quibus imergitur magna pars hominū, erigant, nunquam tamen se ab iis ita liberare possunt, quin à sensibus emissa species, tanquam nebula, se lumini veritatis opponant. quò fit ut qui omissa rerum humanarum ac naturalium cogitatione ab historia diuina auspicantur, & pueris aut ignavis hominibus arduas rerū diuinarum quaestiones explicant, non modò spe fallantur, verū etiam earum magnitudine pleròsque deterreant. quod igitur iis, qui ex atra quadam ac densa caligine in lucem veniunt, suademus ut prius solis splendorem in terra; tum in nubibus, post in luna conspiciāt, ut bene confirmato visu solem ipsum aliquando contueri possint: idem quoque aduersus imperitos faciendum est, ut primū Dei bonitatem ac prestantiam in rebus humanis animaduertāt: deinde in perspicuis naturæ causis: tum in cœlestium corporum descriptione & ornatu: postea in mundi totius admirabili ordine, motu, magnitudine, concētu, figura: ut iis gradibus ad eam, quæ nobis est cum Deo, cognationem ac generis stirpem aliquādo redeamus, rursusque cum eo penitus coniungamur. qui aliter historiam instituunt, naturæ leges æternas perrumpere mihi videntur. Et quoniam triplex illud historiarum genus viri graues & eruditi accurate scriptis mandarunt, illud tantūm mihi proposui, ut in iis legendis, ac studiose diiudicandis ordinem & modum seruarem; præsertim in historia rerum humanarum. Nam cum diuinæ ac naturales historiae ab humanis plurimūm

differunt, tum hoc maxime quod ille non modo causis ve-
 rum etiam finibus certis sunt contenta. naturales enim ne-
 cessariam habent & stabilem causarum consecutionem,
 nisi diuina potestate prohibeantur, vel paulo momēto ab
 ea deserantur; & quasi fluētis materiae principi omnium-
 que malorum parenti permittantur. ex altero quidem o-
 stēta deprauata natura & immania monstra: ex altero e-
 gregia Dei miracula: ex utroque religionis aut supersti-
 tionis origo ac numinis cuiusdē metus in nobis ingenera-
 tur, ut Dei maiestas illustris & clara: quanquā illustrior
 aut clarior esse non potest: sed ut hominum generi magis
 conspicua sit. at humana historia quod magna sui parte
 fluit ab hominum voluntate, quae semper sui dissimilis est,
 nullum exitū habet: sed quotidie nouae leges, noui mores,
 noua instituta, noui ritus oboriuntur; atque omnino huma-
 nae actiones nouis semper erroribus implicantur, nisi à na-
 tura duce, id est à recta ratione, vel cum depruari cepe-
 rit, ab ea quae propius abest ab ortus sui principio, diuina
 prudentia sine consequentibus causis dirigantur: à qua si
 aberrauerimus precipites in omne dedecus labemur. tam-
 etsi enim mens hominis ab aeterna diuināque mente deli-
 bata se quā longissime potest ab hac terrestri labe seiū-
 git, quia tamen impura materiae penitus est immersa, eius
 contagione sic afficitur, & perturbationibus secum dissi-
 dentibus adeò distrahitur, ut sine ope diuina nec seipsam
 erigere, nec ullam iustitiae partem adipisci, nec quicquam
 naturae congruenter agere possit. ex quo efficitur ut quan-
 diu sensuum impedimentis & falsa rerum imagine obru-
 imur, nec utile ab inutili, nec verum à falso, nec turpe ab
 honesto

honesto discernere queamus: sed verborum abusu prudentiæ tribuimus quo minus peccatur. quam quidem ad prudentiã comparãdam cum nihil sit maius, aut magis necessarium historia, propter humanos casus qui velut in orbẽ sui similes aliquando recurrunt: in ea præsertim elaborandum iis esse iudicamus, qui non solitariam vitam agant, sed ad hominum cœtus ac societates accommodatam. Itaque è tribus historiæ generibus, diuinũ quidem theologis; naturale philosophis tantisper omittamus, dũ in humanis actionibus earũque præceptis diu multũque fuerimus exercitati. Est autẽ humana historia cõmunis aut propria: hæc unius hominis, aut ad summũ unius populi dicta factaque memoratu digna complectitur. nam ut sapienter Academici rerum anilium nullas ideas posuerũt: ita futilibus actionibus historia constare non debet. communis plurium hominum vel ciuitatum gesta narrat; idque bifariam: aut enim plurium populorum, puta Persarum, Græcorum, Ægyptiorum: aut omnium quorum modo res gestæ proditæ sunt, vel maximè illustriũ: quod item multis modis fieri solet, cum unius temporis, scilicet diei cuiusque, vel mensis, vel anni: unde ephemerides siue diurna, & annales dictæ: aut ab ortu cuiusque ciuitatis vel ab extrema memoria, vel ab orbe condito Rerum publicarum initia, incrementa, status, conuersiones, exitus memorantur: quod bifariam quoque fit, breuiter aut copiose: ex quo nomen habet chronica & chronologia. Alij paulò aliter, eodem tamen relabuntur. nam Verrius Flaccus historiã diffusam narrationem vocat, in qua rerum, personarum, ac locorum momenta ponderantur ab eo qui rebus

interfuit. annales vero à Cicerone dicuntur cum sine ullis ornamentis, sine anxia causarum disquisitione, gesta cuiusque anni narrantur. erat, inquit Cicero, historia nihil aliud nisi annaliū confectio. diaria siue ephemerides diei cuiusque gesta, ut Asellio apud Gellium interpretatur. Fasti vero annales sunt, in quibus res quaeque memorabiles, magistratus maximi, clarissima victoria, offensiones, triumpho, ludi seculares breuissimè continentur. quales sunt Verrii Flacci, Cratoris, Aufonij, Cassiodori, Cuspiniani. in uniuersum tamen historia appellatur: & superior illa partitio naturali ac diuinæ historiae peraequè congruit, cum vel unius religionis (quanquam plus una esse non potest quæ superstitionē inter & impietatem medium ferit) scilicet Christianæ, vel plurium, vel omnium, aut maximè illustriū origines ac progressus memoratur. Consimiliter unius rei naturalis historia colligi potest, puta unius stirpis aut animantis: vel omnium stirpium aut animantium, quales sunt historiae Theophrasti & Aristotelis: aut etiam omnium elementorum, quaeque ex his conflantur corporū: vel denique totius naturæ descriptio, qualem Plinius complexus est. Aut si quis nolit cum naturalibus disciplinis mathematicas confundere, quattuor genera constituet historiā: humanam quidem incertam & confusam: naturalem certam, interdum tamen materiae vel mali genij contagione incertam ac sui dissimilem: mathematicam quod à concretionē materiae libera sit, certiorē: sic enim veteres hanc ab illa diuiserunt. postremò diuinā certissimam & sui natura planè immutabilem. Atque haec de historiārum partitione.

DE



*V*OD in artium tradendarū ratione ac modo fieri solet, idem nobis est, opinor, in historiarum disciplina faciendum. neq; enim satis est magnum historicorum cumulū domi habere, nisi cuiusque usus & quo quisque ordine ac modo legi debeat intelligatur. & quemadmodum in epulis tametsi magna condimentorum suauitas est, nihil tamen insuauius si misceantur: ita quoq; prouidendum erit ne historiarū ordo confundatur: id est ne postrema priore loco vel media postremo ad legendum proponantur. quod qui faciunt, nō solum res gestas capere nullo modo possunt, sed etiam memoria vim penitus labefactant. ut igitur plena sit & facilis historiarum scientia principio adhibeatur præstās illa docendarum artium magistra, quæ dicitur analysis: quæ uniuersum in partes secare, & partis cuiusque particulas rursus diuidere, totiūsq; ac partium coherentiam & quasi concentum inter ipsa mira facilitate docet. nihil enim in Synthesi nobis est elaborandum, cum historiarum fere omnium membra inter se apta sint magnōque studio ab eruditis in unum veluti corpus coagmentata: sed imperitè à nonnullis separantur. est autem partium ac totius tanta coherentia, ut si diuellantur a se ipsa nullo modo constare possint. Itaque Polybius Fabium Maximum, aliōsque Punici belli scriptores ob id etiam coarguit, quòd eius belli partem unam vel alteram complectatur, iisque similes videri scribit, qui capitis oculum, vel aliam particulā ab animā-

animante auulsam ostentant, ut cuius sit pars illa non satis intelligatur. eadem reprehensione utitur Dionysius Halicarnassæus aduersus Polybium, Silenum, Timæum, Antigonum, Hieronymum, qui Romanae historiae commentarios laceros & imperfectos reliquerant. consimili quoque oratione quis aduersus Dionysium utatur: tametsi reprehensione carent: quia nec ab omnibus omnia scribi debuerunt, nec certè potuerunt, cum tantum quisq; collegerit, quàm infinito labore ac diligètia decerpere potuit. nec illud opinor, ad scriptionem pertinet, sed ad lectionem historiarum, quarum partes si distrahantur, nec secum ipse, nec cum toto cohærebunt. quod igitur illi de Romana, idem nos de uniuersa populorum omnium historia statuamus. uniuersam historiam appello, quæ vel omnium, vel maximè illustrium populorum, vel quorum facta prodita sunt, ab ortus cuiusque principio res bello domique gestas cõplectitur. tametsi enim multo plura sunt omissa, quàm ullius scriptione comprehensa, nihilominus tot ac tam multa restant, ut iis legendis hominum vita quantumuis diuturna, vix sufficere possit. Primùm igitur communem velut omnium temporum tabulam, nudam illam ac simplicem nobis ad intuendũ proponamus, in qua mundi origine, eluiones, Rerumque publicarum ac religionũ, quæ magis claruerunt, initia duntaxat & exitus, si modò exitum habuerunt, contineantur. quæ tum Orbis & Urbis conditione, tum Olympiade, vel etiam si ratio postulat, anno Christi & Arabum Hegira (quæ in vulgatis chronicis omissa est) definiantur. eiusmodi fere sunt chronica quæ vulgo feruntur, linearum spatiis distincta, breuia illa quidem, sed au-

*sed auspiciantibus facilia. ac tametsi non exactā continēt
temporum rationem, proximè tamē, ad rei veritatem ac-
cedunt. post hanc descriptionem vberiore aliquantum &
accuratiore libro utemur, qui non tantum illustrium, sed
omnium populorum initia, status, conuersiones, & lapsus
complectatur, ea tamen breuitate ut eodem pene intuitu
qualis cuiusque Reipublicæ status fuerit, videri possit: in
quo genere plures scripserunt, nemo tamen, ut mihi vide-
tur, accuratiùs quàm Io. Funccius, qui certissima ratione
temporum ea collegit quæ ab Eusebio, Beda, Lucido, Si-
gismundo, Martino, Phrigione tradita fuerunt: in qui-
bus multa diligenter emēdauit. sed cùm in rebus singulis
aliquādo hæreat, ea prætermittenda sunt, & summa que-
que leuiter attingenda. Ab eo scriptore aliquantum in-
formati de statu rerum omnium publicarū, Carionis aut
ueriùs Melancthonis historiam consimili diligentia per-
curremus. Est enim aliquāto copiosior in disputationibus
de religione, ut erat religioni ac pietati deditus, quæ si o-
diosa videntur, præteriri facilè possunt: cetera que in uni-
uersum de Rebus publicis clarioribus dici potuerūt, breui-
ter & accuratè cōplexus mihi videtur. ac si quis est alius
scriptor (sunt autem nonnulli) qui uniuersam mundi hi-
storiam Melancthone copiosius scripsit, hunc ego legen-
dum censeo. Deinde ab uniuersis paulatim ad singula de-
labemur, eo tamē ordine quo in tabulis chronicorum sunt
comprehensa. Et quoniam à Caldæis, Assyriis, Phænici-
bus, & Ægyptiis, Reipublicæ gubernandæ ratio, disci-
plina, humanitas deniquæ ipsa profecta est, imprimis illo-
rum antiquitates inuestigabimus; non solum in scriptori-
d bus qui*

bus qui propriè de illis scripserunt, ut Berosus, Metasthenes, Herodotus: sed etiam in Hebraeis, quorum res gestæ cum reliquis fere communes sunt. etenim multò plura certioraque in Iosippi antiquitatibus & in libris aduersus Appionem de finitimis illis populis quàm in ullis scriptoribus commemorantur. post Hebræorum historias inquiremus; sed ita ut initio Reipublicæ instituendæ rationē, potiùs intelligamus, quàm religionē: quæ ad tertium historia genus spectat & altiore desiderat cõtemplationem. deinde ad Medorũ, Persarum, Indorum & Scytharum imperia veniemus. Ab his ad Græcos: qui ab Araxe, Euphrate, & Syria portis ad Hellespõtum vsque, rursus ab Hellespõto vsque ad Danubiũ Acroceraunios & Æmimontes, suum genus propagarunt, & insulas Asiæ atque Europæ adiacentes, tum Italiam ipsam coloniarum multitudine compleuerunt. horum appellatio triplex est: primi quidẽ Iones: alteri Æoles: postremi Dores dicti sunt. A Græcis ad Italos, qui Alpibus & utroque mari cinguntur. Et quoniam populos omnes imperij magnitudine ac rerum gestarũ gloria superarunt, tantaque iustitiæ opinione valuerunt, ut non modò legibus & institutis, sed etiam linguæ dignitate reliquis gentibus adhuc imperare videantur, omnis illorum antiquitas diligenter erit excutienda. cùm autem maxima diuturnaque bella cum Pœnis gesserint, utriusque gentis historia fere est ab iisdem scriptoribus comprehensa. His, opinor, proximi sunt Celtæ, atque haud scio an Italis ipsis antiquiores; certè quidẽ priùs militari disciplina claruerũt, quàm Romani, neque in Italiam modò, sed etiam in Hispaniam, Germaniam, Græci-

Graciã, & Asiam colonias miserunt, ut suo loco dicemus. ac tametsi Garumna & Sequana fluminibus à Cæsare definiuntur, nihilominus imperium à Pyrenæis & Oceano ad Rhenum & Alpes protulerant. Sequuntur Germani qui Alpibus, Rheno, Vistula, Carpatho monte, & Sueuico mari cinguntur, quiq; Germanis sunt finitimi Dani, Noruegi, Suecij, Scandi:tum populi qui ab illis originem traxerunt Gothi, Franci, Vandili, Hunni, Heruli, Longobardi, Burgūdiones, Angli, Normani: à quibus res maximæ gestæ sunt, & imperia florentissima constituta in Gallia, Britannia, Hispania & Italia. tametsi enim Hispani ac Britanni sua vetustate nobiles sunt, non tamen ita rebus gestis claruerūt ut illi: quemadmodum Arabes, qui generis antiquitate clarissimi fuerūt, sed in otio semper antea delituerāt, quousque erumpentes è desertis Peras & Græcos de Asia & Africa imperio depulerūt, manasque victorias in Europa sunt consecuti. neque tantū arma, sed etiam religiones, mores, instituta, linguã denique suam toto terrarum orbe disseminarūt. vulgus Saracenos appellauit: qui tametsi ex variis populis coaluissent, nihilominus Arabes ipsi principatum tenuerūt, ut postea lanum faciemus. Ab his ad Turcas delabemur, qui ab oris Caspiis in Asiam influentes, paulatim Asiæ minoris, Graciæ totius & Ægypti regiones armis inuaserunt. Neque imperia Tartarorum omittemus, qui ultra Imaū montem & mare Caspium longè latè imperant: neque Moschouitarū, qui à Volga flumine & Tanai, usque ad Boristhenem arma protulerunt; ac nuper Liuoniam imperio adiunxerūt. postremi sunt Americi, & qui oras A-

fricæ Australis ac India tenent, quorum historias quoque intelligere utile ac iucundum erit. Quæ omnia primò quidem leuiter percurrēda sunt, deinde accuratius examināda. ut cum summa veluti capita rerum tenuerimus, ad singula paulatim veniamus. neque tantum maximas, sed etiam mediocres ac minimas quasque Respublicas inquiremus: puta Rhodiorum, Venetorum, Siculorum, Cretenſium, Heluetiorum, Achaorum, Genuensium, Florentinorum, & id genus similia. Græcorum quidem singulas satis accuratè Pausanias conscripsit. Percepta historia rerum omnium publicarum; restabit ut eorum res gestas inquireamus qui vel imperio, vel generis splendore & opibus, vel denique virtutibus ac ingenij laude floruerunt: quorum suo quisque iudicio delectum habebit, & ad suas vitæ rationes optimi cuiusque dicta factaque accommodabit. Post historiam rerum humanarum, si cui tantum est otij ut nature pulcherrimas historias scrutari possit, multò faciliores aditus ad historiam diuinam habiturus est: sin rei difficultas illum & vitæ rationes ab incepto reuocabunt, ad res gerēdas accedet; aut si nullus est in hac vitæ fabula locus ei relictus, sit aliorum spectator, ut res humanas, quarum mortuam imaginem in libris viderit, oculis ipsis intueatur. aliter fieri nequit, ut suauissimos ab historia fructus percipiamus, nisi prius mediocriter in rebus agendis, aut diligenter spectādis, ut monebat Pythagoras, exerceamur. Postremum erit, ut cognita rerum humanarum ac naturalium historia, quasi lotis manibus, ad diuinam accedamus. ac primū cuiusque religionis summa capita colligamus: tum videamus quis cuiusque autor fuerit, quæ
initia,

initia, quos progressus, quem denique statum & exitum
 habuerit: quid in unaquaq; virtuti consentaneum, quid
 alienum sit. ad hæc illustrium philosophorum de religioni-
 bus & summo bono sententias adiungemus, ut omnium
 opinionibus in medio positis, veritas magis elucescat. iu-
 uabit etiã ex illis multa decerpere, quibus, velut Hebræi
 de spoliis Ægyptiorum, præpotenti Deo sacra faciemus.
 Sed in eo genere historiarũ plus oratione frequẽti & pur-
 gatæ mentis in Deum conuersione, quàm ullo studio pro-
 ficiemus. Hæc autem quæ à nobis de ordine historiarum
 dicta sunt Cosmographiæ similitudine facillimè intelli-
 guntur. huius enim tanta est cum historia cognatio & af-
 finitas, ut altera alterius pars esse videatur. & verò Scy-
 tharum, Indorum, Æthiopum, Americorũ historias à geo-
 graphis duntaxat hausimus & expressimus. præter hæc
 historici geographicis descriptionibus, & historici terrarũ
 regiones semper describunt, ut si ars ulla historico necessa-
 ria sit, profectò geographia summè necessaria videatur.
 quemadmodũ igitur qui Cosmographiam intelligere vo-
 let, hunc necesse est mundi totius imaginem breui tabula
 comprehensam sub aspectum collocare: deinde habitudi-
 nem caelestium corporum ad hæc elementaria videre: &
 uranographiam ab elemẽtari diuidere; ab aère inquam,
 aquis ac terris: ab iisque anemographiã, hydrographiam,
 & geographiam deducere: illam verò in decem orbes, to-
 tidemque circulos partiri: postea ventorum ordinem ac na-
 turam tractusque maris utriusq; ac terrarum descriptio-
 nem diligenter intueri. deinde orbem terræ pingui miner-
 ua primum in quattuor aut quinque partes, in Europam
 dij scili-

scilicet, *Asiam, Africam, Americã & Australem terram* partiri, earumque situs inter se & cum celi facie conferre: tum eam terræ partem quæ temperatior est, & populorū nobilitate clarior, puta *Europam, in Hispaniã, Galliam, Italiam, Græciam, Germaniam, Scythiam, Scandiã, Daniã*, & in insulas unicuique regioni adiacentes diuidere. consimiliter *Asiam* in minorem & maiorem: hanc in *Assyriam, Persiam, Parthiã, Mediã, Hircaniam, Ariam, Gedrosianã, Indiam & Scythiam cis & ultra Imaum* tribuere: minore in *Phrygiam, Lydiam, Lyciã, Ciliciam, Cariam, Pamphiliam, Syriam, Galatiã, Capadociam, Pontum, Armeniam.* eodem modo *Africã* in *Mauritaniam, Lybiam, Cyrenaicam, Ægyptũ, Ethiopiam, Numidiam, Nigritarumque regiones.* in qua diuisione satis est insignes fluuios, montes maria veluti terminos fingere, ac celi meridianos & parallelos cuique regioni congruētes designare. A geographia tãdem ad Chorographiam, id est regionū descriptionem, facilis erit accessus. igitur telam subtiliùs retexentes, unãquaque regionem describemus: puta *Hispaniam*, quæ prima pars est *Europæ*, in *Beticam, Lusitaniam, Tarraconensem* partiemur. hãc rursus in *Galliciam, Castiliam, Nauarram, Aragoniam* fluuiorum limitibus positis, *Hibero, Anate, Tago, Beti, Durio*, & eo monte (vulgo *Adriani* vocant) qui citeriorem ab ulteriore *Hispania* seiungit. tum mediam regionis latitudinem partibus xl. longitudinẽ vero xv. amplitudinẽ in longum partibus xiiii. in latum vii. definiemus. simili ratione in aliis regionibus utendum erit. Postremò à Chorographia ad Topographiam & Gromaticam, id est ad

est ad singulorum locorum descriptionem ac dimensionem delabemur. ac primùm claras urbes, portus, littora, freta, sinus, isthmos, promontoria, cāpos, colles, cliuos, rupes, vertices, agros, pascua, sylvas, nemora, saltus, prata, virgulta, spineta, viuaria, pomaria, viridaria, salicta, omniāq; oppida, colonias, praefecturas, municipia, castella, basilicas, vicos, pagos, villas (si res ita postulabit) cōplectemur. Nō aliter historiam uniuersam partiemur ac definiemus. & quemadmodum falluntur qui regionū tabulas prius intuentur, quàm totius uniuersi orbis partiūmq; singularū inter se & cum toto rationem accuratè didicerint: ita nō minus errāt qui singulas historias prius intelligere se posse putant, quàm uniuersa historia omniūque temporū ordinem ac seriem velut in tabula proposita iudicarint. eadem utemur analysi in singulari gentis cuiusque historia. ut si quis Romanorū historias planè intelligere ac memoria mandare velit, prius sextū Rufinum legat, qui quatuor paginis, totam historiā complexus est. hinc ad Flori epitomen: deinde ad Eutropium, post ad Liuium & Polybium accedat. consimiliter de historia Francorū iudico, quam Io. Tillius breuissimè complexus est vno libello. hūc igitur prius legendum putem quàm Paulum Aemilium: & Xiphilinū, quàm Dionem: Iustinum, quàm Diodorū vel Trogum, cuius tamē scripta penitus interciderūt. neque tamen satis est uniuersam historiā intelligere, nisi singula quoque intelligamus. utraque verò coniūcta incredibilem, inquit Polybius, afferūt utilitatem. id quod antea plerosque fefellit, qui summa capita Rufini vel Flori collegerunt; Liuium neglexerūt: qui propterea pene totus interci-

*intercidit. consimiliter Iustinus Trogo Pompeio: Xiphili-
nus Dioni prope interitum attulisse videtur. Postremum
erit ut omnia dicta factaq; memoratu digna in comunes
quosdam memoria locos, velut in thesaurum reponamus,
& ex iis quantuncunque iudicio nostro videbitur erua-
mus. id autem comodiùs fieri nequit, quàm si humanarũ
actionum partitionem nobis ad intuendum proponamus.*

DE LOCIS HISTORIA- rum rectè instituendis. cap. tertiu.



*QVONIAM de humana historia potissi-
mum futura disputatio est, historie verbũ la-
tè patens angustis hominum actionibus, &
ad popularem loquendi modũ rerum ante ge-
starum vera narratione definiamus. humanarum autem
actionum tanta varietas est & confusio, tanta historiariũ
ubertas & copia, ut nisi certis quibusdam generibus ho-
minum actiones ac res humanae distribuantur, nec planè
historia percipi, nec percepta memoria diu contineri pos-
sunt. Quod igitur viri docti facere solent in aliis artibus,
ut memoriae consulant, idem quoque in historia faciendũ
iudico: id est, ut loci communes rerum memorabiliũ cer-
to quodam ordine componantur, ut ex iis, velut è thesau-
ris, ad actiones dirigendas exemplorum varietatem pro-
feramus. & quidem nobis hominum eruditorum studia
non defuere, qui ex historiariũ lectione argutas sententias,
que apophthegmata vocant, expresserunt: sed cum in hu-
manis actionibus tria potissimum spectari consueverint,
consi-*

consilia, dicta, facta, ex quibus bene sentiendi, bene dicendi, ac bene agendi virtutes inquirimus, illi verba quidem collegerunt, quæ verò in factis & consiliis posita sunt, omiserunt. nunnulli dicta factaque illustrium virorum, sed tenuiter admodum & sine ordine scripserunt: tum etiam humana diuinis, & utrisque naturalia confuderunt. consilia verò ne attigerunt quidem. cum tamen in vnius consilio sæpe salus Reipublice posita sit. Itaque hunc ordinem instituendum puto, ut tribus libris locorum omnium rationem complectamur. priore quidem res humanas: altero naturales, quæ in historia sæpe occurrunt: tertio diuinas. & quoniã maior est in rebus humanis quã in reliquis obscuritas & confusio, placet omissa naturali ac diuina historia rerum humanarum & actionum partitionem à capite accessere: deinde his ordine constitutis, indicare quonam modo historiarum flores aptè & suo quicque loco accommodari possit. Actionem definiunt, quæ in seipsam vertitur, nec vllum opus reliquit, ut sermo: effectiorem verò quæ opus molitur, ut scriptio: sed remota verborum subtilitate, quoniã in populari ratione omnis nostra versatur oratio, latiùs actionis verbum definiendũ nobis est, ut consilia, dicta, facta, quæ prodeunt ab hominis voluntate, complectantur: siue pura sit, & ab omni ægritudine libera, qualis est in sapiente: siue perturbationibus, puta libidine aut ira, distrahatur, ut in plerisque qui intemperantes & insani appellantur, qui nihil sceleratè sponte agunt, ut dicitur, sed animi quadam impotentia feruntur, volunt tamen: siue metu mali impendentis quid agatur, ut qui iactum faciunt rerum pretiosarum, nec sponte agunt, nec ægritudine

e

animi,

*animi, sed suscepto consilio malūt opes, quàm seipfos inte-
 rire. quòd si quis à mente fuerit omnino alienatus, cuius-
 modi sunt furiosi, ac rerum quæ geruntur ignari, eorum a-
 ctiones non tam humana, quàm diuina, aut natura de-
 prauata, aut demonis ipsos agitātis esse videntur. & quæ-
 admodum naturales actiones attrahendi, aut expellendi,
 non sunt humana, ita ne illæ quidem. nec rursus si quis al-
 terum præcipitem dederit ab altero impulsus, non eius est
 actio, nec peccatum ullum. consimiliter quem Deus aut
 furor diuinus ad vaticinandum aflauerit, non humana
 sed diuina est actio, quia non ab hominis voluntate regi-
 tur. actiones igitur humana sunt quæ ab hominum consi-
 liis, dictis, & factis præeunte voluntate oriuntur. est enim
 voluntas, humanarum actionum magistra, siue ad ratio-
 nem, suæ ad vim animæ inferiorem sese conuerterit in re-
 bus expetendis ac fugiendis. Et quoniam primū studium
 conseruandi sui natura unicuique ingenerauit, primæ ho-
 minū actiones ad ea pertinent sine quibus viui nullo mo-
 do potest: deinde ad ea sine quibus viui quidem, sed non
 satis commodè, aut commodè, sed non splendide; aut splen-
 didè, non tamen ad eam, quæ suauissimè sensus oblectat,
 voluptatē. hinc opum augēdarum cupiditas. sed quia vo-
 luptatum nulla satietas, aut ea communis est beluarum æ-
 què ac hominum, quò quisque generosior est, eò longiùs se
 à beluarum societate disiungit, ac paulatim gloriæ cupidi-
 tate fertur, ut reliquis præstare possit. hinc dominandi li-
 bido, & tenuioribus vis illata, hinc dissidia, bella, seruitu-
 tes, cædes. sed cum hoc vitæ genus turbulentum sit ac pe-
 riculis plenum, tum verò inanis ea gloria quæ hominem
 excelsi*

*excelsi animi explere non possit, consequens est ut homo bene à natura informatus, paulatim feratur ad virtutis actiones, que in vera laude & solida gloria versantur, in qua plerique finem extremum constituunt. sed quoniam natura quietis est appetens, planum est eas virtutis actiones ad quietem aliquando dirigi oportere. quò fit ut homo paulatim à curis & hominũ societate distractus solitudinem quærat, ut tranquillitate naturæ consentanea fruatur. itaque res humanas despiciens earumq; inconstantiam ac temeritatem, naturæ causas certissimas intuetur, in quibus contemplãdis tantam percipit voluptatem, ut talium studiorũ conscientia fretus, regum opes ac fortunas negligat, quinetiã plerique cum maxima imperia gessissent, ad hoc vitæ genus sponte relabi, quàm regnare maluerũt. hinc illæ scientiæ ac virtutes, quæ quòd in veri sola cognitione acquiescunt, & *ωπισμοι* vocantur. Neque verò id satis est homini bene à natura instituto, ut in iis scientiis, quarũ subiecta materia sub sensum cadit, acquiescat; sed his veluti gradibus ad ea fertur, quæ sola mète percipiuntur, id est ad animorũ immortalium vim ac potestatem, quousque pernicibus alis sursum abripiatur, ac suæ originis primordia repetens, cum Deo penitus coniungatur: in quo finis humanarum actionum & quies extrema, summâque fœlicitas consistit. huc omnia consilia, dicta, facta: huc humanæ actiones, huc disciplinæ ac virtutes referuntur. Ac tamen etsi contemplatio minùs propriè actio dicitur, sic tamen Aristoteles appellavit, ne à se ipse discrepans aliter quàm actione beatam vitam definiret. Hæc igitur ordine colligamus. Primi generis actiones ad eas artes referuntur.*

e ij quæ

*quæ ad tuendam hominum vitam morbósque & offensio-
 nes depellendas pertinent: ut venatio, pecuaria, agricultu-
 ra, ædificatio, gymnastica, medicina. secundum genus ad
 institoriam, gubernatoriam, lanificia & fabriles artes. ter-
 tium ad cultum & victum splendidiorum atq; omnino ad
 quæstuaras artes, quibus opes parare & partis magnificè
 uti docemur: in quo superiorum artium perfectio versatur.
 sequuntur actiones voluptatum effectrices: quæ vel sensus,
 vel animû, vel utrumque molliter afficiunt. ad gustum qui-
 dem Apicianæ artes. ad tactû sordida Milesiaca: ad odo-
 ratum unguetaria: ad visum ductus linearum, & colorum
 varietas deceter confusa, quæ pertinent ad picturâ, cala-
 turâ, topiariâ, fusoriâ, statuariâ, tum etiâ ad varias artes
 tingendi & acu pingedi. ad aures dicendi venustas nume-
 ris, aut figuris, aut utrisque comprehensa, aut etiam mollis
 ac deprauatus arte nimia concentus, cum simplex & na-
 turæ congruës graues animorum ægritudines sanare, con-
 trâ verò sonorum varietate ac celeritate numerorum ab-
 reptus, mentem de sanitate deturbare soleat. quod iis ac-
 cidit qui aurium voluptati nimis inservientes Dorios mo-
 dos & graues numeros aspernantur, Ionicos affectant, ut
 mirum videri non debeat, si multi ad insaniam perducân-
 tur. Cum autem eas vite utilitates ac delicias nec singuli
 à singulis, multò minùs à seipso idem consequi posset, hinc
 coeundæ societatis occasio quæsitâ, cuius tamen non hic fi-
 nis extitit. nam illa quoque bona cætus animantium, quæ
 gregatim coeunt, consequuntur. homo verò cum sit immor-
 tali animorum numere à Deo subornatus, eique similitu-
 dine quadam coniunctus, alienum est eius præstantia cū
 beluis*

beluis summi boni societate copulari: quod quidem fieret si in ciuitatibus beatè tantùm, non etiam bene uiueretur. non mirum igitur si in cõmuni societate tuẽda tot ac tantarum utilitatum effectrice, præcipuæ hominum actiones conspirant. sunt autem in ciuili, domestica, & morali disciplina posita: una sibi ipsi imperare docet: altera familiaria: tertia Reipublica: prius enim apud se rationis imperium stabilire consentaneũ est, in quo quidem iustitia totius ac legum omniũ summa consistit, quam uxori, liberis, ac seruis imperari possit: & familiaria prius imperium habere quàm Reipublica. prima quidem hominis est ad hominẽ: altera unius ad plures, qui charitate mariti uxorem, pietate paterna liberos, imperio herili seruos moderari, tum etiam opes ad vitæ præsidia parare, & partis frugaliter uti possit. postrema longè latè patet, nec solùm unius familiaria, sed plurium inter se coniunctionem affinitatibus, & commerciorũ usu complexa fouet ac tuetur. id autem fit ciuili disciplina id est imperandi prohibẽdiquè summa ratione. Ciuilem disciplinam uoco, non iurisprudentiam, ut plerique (est enim illius particula) sed illam artium omnium ac humanarum actionem moderatricẽ, cuius tria sunt capita, imperium, cõsiliu, executio. imperium multiplex est, sunt tamen omnino quattuor partes, ac totidem actionũ genera, in quibus elucet imperij maiestas. prima in creãdis magistratibus & imperio cuique tribuendo: altera in legibus iubendis aut abrogandis: tertia in bello indicendo ac finiendo: postrema in præmiis ac penis decernẽdis summãque vitæ ac necis potestate. consiliu autem capit solet de iis in quibus imperium uersari diximus.

aliud est enim legem ferre, aliud de lege ferēda consultare.
 hoc senatus, illud populi vel principis est, vel eorum qui
 Reipub. summam habent. consulitur quoque de vectigali-
 bus imperandis aut minuēdis, de exercitu cogendo, de le-
 gationibus admittendis vel dimittendis, de propugnacu-
 lis & sartis rectis, postremò de aliis artibus & ciuium a-
 ctionibus in republica dirigendis, quæ non possunt omnia
 legibus comprehendī. harum autem actionum præcipuæ
 sunt imperandi, iuris dicendi, concionandi, sacrificandi:
 duæ quidem superiores ad cogendū, sequētes ad suadendū
 spectant: sed quæ non minorem, interdum etiam maiorem
 vim habent. illæ quidem legibus & armis à flagitio deter-
 rent, aliæ rationibus & religioso ritu ad honestatē & vir-
 tutem impellunt. primū enim homines agrestes ac barba-
 ros quasi feras, militari manu à crudelitate & iniuria pro-
 hiberi oportuit: deinde iuris disceptatione & æquitate:
 postea concionibus & religionis metu. & quemadmodū
 arte imperatoria, iurisprudētia, oratoria, & religione
 humana societas maxime cōtinetur, si milites fortiter, iu-
 dices æquabiliter, pontifices religiosè, oratores prudēter se-
 gerāt: ita quoque facile soluitur nisi civili arte ac imperio
 regantur. civili quoque disciplina regitur institoria in cō-
 muniū rerum euectione & inuectione: agricultura, pe-
 cuaria, medicina gubernatoria: post opificia quibus aut
 necessaria, aut cōmoda vitæ præsidia quaruntur. rem quo-
 que literariā moderatur civilis sciētia, puta diuini & hu-
 mani iuris interpretes, & eos qui à veteribus sophistæ, po-
 stea Grammatici uno verbo sunt appellati, Rethores, in-
 quam, poētas, grāmaticos, philosophos, mathematicos. ac
 propte-

propterea vocarunt veteres civilem hanc disciplinam architectonicen proprie, quod omnibus omnium artium magistris leges prescribat, ut ad communem utilitatem suas actiones dirigant, neue contra Reipub. comoda quid moliantur. praeterea uniuscuiusque munus civile sciencia definit. sunt autem urbana vel militaria munera. haec rem militarem curant: illa vero domestica imperia, consilia, iudicia, urbis annonam, expensas, ararium, vias, facta tecta, iuventutis educationem, religionem. omnis autem illa partitio munerum septem generibus continetur. primum genus est sine honore, sine quaestu, sine imperio, quod subire coguntur ij qui tributa, militia, excubias, urbis custodia, & id genus munera sine stipendio curant. alterum genus ad eos pertinet qui munus quidem publicum habent cum quaestu, sed parum honesto: cuiusmodi sunt lictores quiq; sordes urbis egerere solent. tertium genus eorum est qui publicum munus cum honesto quaestu coniunctum habent, ut publicani, scribae, notarii, apparitores, cornicularij. quartum genus magno cum honore ac mercede coniunctum est, sed tamen sine imperio: ut sacerdotia & Pontificum munera. quintum honorem habet sine quaestu ac imperio, quale munus est principis Senatus, aut ducis Venetorum, & reliquorum magistratum qui sine collega nihil Imperare aut decernere possunt. sextum honorem & imperium habet sine stipendiis, quod proprium est magistratum; quales sunt Consules, Praetores, Censores, Tribuni, Archotes, Ephori, Quaestores & id genus alij. extremum est eorum qui cum honore & imperio stipendia merentur: ut cxx. viri litibus iudicandis apud Venetos, & ubique fere ij qui iuris-

qui iurisdictionem exercēt. quæ omnia munera eius imperio hac potestate qui Reipublice summam habet diriguntur. neque tamen existimare debemus religionem disciplina ciuili partem esse, si pontifices & sacerdotes imperio magistratum contineri videmus: quod eò pertinet ut sacrificia ritusque in Republica probatos acerrimè tueatur. religio verò ipsa, id est purgata mentis in Deum recta cōuersio, sine ciuili scientia, sine cœtu, in unius hominis solitudine esse potest, ac magnorum virorum consensu beatoris putatur, quò longius est à ciuili societate remotus. sed quoniam vita ciuilis eget actione perpetua, nec potest in contēplatione tota ciuitas occupari: ut neque corpus ipsum aut animæ vires omnes intelligere: non erit hominis & totius ciuitatis eadem fœlicitas, si sola contēplatione bonū definiamus: id quod Aristotelem valde conturbauit, nec seipsum ex ea difficultate explicare potuit. Itaq; ex Varronis autoritate, quam Marsilius Platoni quoq; tribuit, bonum hominis vitam agentis neque otio, neque negotio; sed misto genere definiendum nobis erit, si volumus idem esse unius hominis, ac totius ciuitatis bonum. neque enim mens pura illa contēplatione prius frui potest, quàm à corpore penitus auulsa fuerit. His igitur generibus actiones humanæ continentur: aut si quæ restant, ad ea referri facile possunt. Quare tribus libris ad humanas, naturales, ac diuinas historias accommodatis, priore libro singulares hominū actiones & casus humanos eo quo diximus ordine constituemus. Primus locus erit de generis obscuritate ac nobilitate: alter de vita & morte: tertius de vitæ commodis: tū de opibus & inopia: deinceps de vitæ splendore ac parsimo-

parfimonia: de ludis & ſpectaculis: de voluptate ac dolore: de gloria & infamia: de corporis fœditate ac forma: de robore ac imbecillitate: de barbarie & humanitate: de ignorantione ac ſcientia: de ingenij dotibus & inopia: tum de morali diſciplina, atque omnino de virtutibus & vitiis: conſequenter de domeſtica diſciplina: de mutua charitate mariti & uxoris: de mutua pietate parentum & liberorum: de imperio herili & obſequio ſervorum: aut, ſi placet, de potētium ac tenuium mutuis inter ſe officiis: de queſtuariis artibus: de amore & odio: de ſocietatibus & cōmerciis: de affinitate & cognatione. poſtea de civili ſcientia. ac primum de imperio: de regia poteſtate & tyrannide: de populi ſtatu & ſeditioſæ plebis: de optimatū imperio & libidine paucorum: de conſiliis pro republica capiendis: de legibus rogādis aut abrogādis: de magistratibus ac priuatis: de bello & pace, atq; omnino de ciuibus tuendis & arcendis hoſtibus: de offenſione ac victoria: de præmiis ac pœnis: de vectigalibus imperādis aut minuendis: de legationibus admittēdis aut dimittēdis: de collegiis & corporibus inſtituendis aut tollendis: de regēdis artibus ac diſciplinis: de iudiciis publicis & priuatis: de ſupliciorū acerbitate ac lenitate: de aſylis & venia: de cōcionibus & oratoribus. poſt etiā de agricultura & pecuaria; quibus reſpublicæ maximè iuuātur: de mercatura & re nautica: de architectura et fabili: de lanificiis & textoria: de medicina & pharmacopœia: de muſica & gymnastica: de pictura et ſtatuaria: de unguētaria aliisq; artibus efficientibus uoluptatū. de re literaria: de iuris diuini et humani interpretibus: de philoſophis & mathematicis: de poëtis & grā-

f maticis.

maticis. Liber secundus rerum naturalium historias, quæ sæpius in legendis historicis occurrunt, partitione congrua complectetur. primum de nature principiis: de tempore & loco: de ortu & interitu, atque omnino de motu & mutatione: de elementis & eorum natura: de imperfectis corporibus: de metalis & lapidibus: de genere stirpium: de animantibus triplici ordine distinctis: de cælestibus corporibus: de mundi magnitudine & figura. quæ omnia subtiliori partitione explicare facile est, propter summam rerum naturalium certitudinem. Postremus liber erit de rebus diuinis, ac primum de mente humana, quæ rerum naturalium culmen est: diuinarum autem extrema, tum de intelligentiarum triplici ordine: postea de Deo, de quæ illius factis & oraculis: postremum de religione & impietate. His locis in capite cuiusque libri hoc ordine, aut ut cuique commodius videbitur, constitutis: consequens erit ut quicquid in historiarum lectione memoratu dignum occurret, suo loco inseramus, & in margine libri rerum humanarum notas adiiciamus consiliorum, dictorum, ac factorum (sic enim res ipsæ ad actiones commodè referentur) idque literis maioribus. deinde videndum erit quid in singulis honestum, turpe, aut adiaphorum sit: & eo modo notandum, C. H. id est consilium honestum. aut si quis malit repudiata Stoicorum disciplina, honestum ab utili, turpe ab inutili disungere, non repugnabo. constituet igitur quattuor genera, turpe, honestum, utile, inutile. itaque consilium Themistoclis de nauibus exurendis quod pro republica iubente populo Aristidi communicarat, quia utile visum est Aristidi, non tamen honestum: locum hunc ad caput de consiliis pro repub.

republicae capiendis referemus, adiectis in margine notis C. T. V. id est consilium turpe utile. Consilium autem dictorum & factorum veluti fundamentum quoddam est, quod sine his consistit: illa vero sine consilio non item, nisi quid temere dicatur aut fiat: & consilia rerum magnarum fere secreta sunt, nec sine scelere produntur, nec item nisi re gesta plane intelliguntur. ut Cincinatus utile consilium saepe Respublicam Romanorum in maximis fluctibus ac procellis seruauit. cum enim plebs clata Tribunorum numerum duplicari uellet, eique Appius consul acerrime resisteret: tum Cincinatus consilio cum paucis communicato, Annue, inquit, nam quod plures erunt Tribuni, eod debilius futura est uniuscuiusque potestas, cum unius intercessio potentiam omnium frangeret ac retardaret. plebs autem non intellexit se deceptam, sed ueluti pro maximo beneficio Senatui gratias egit. eiusmodi consilia de Republica, utilia honesta uocentur. factum uero Q. Mutij cum domum emeret, ac pluri ueditori daret quam peteretur, religione adductus, honestum inutile dicatur: ut consilium Themistoclis quum regem Persarum clam admonuit, pontem illum, quo Asiae Europae coniunxerat Graecos, excindere uelle, non solum honestum, sed etiam utilissimum fuit tum ipsi Themistocli; ad gratiam principis, si Graecos domuisset, retinendam: tum uniuersae Graeciae: quia de fuga statim Xerxes cogitauit. sed fere utilia cum honestis congruunt. Interdum in eadem historia consilia, dicta, facta sui similia sunt. ut Sexti Tarquinii consilium aduersus Lucretiam turpe est, dictum etiam turpius, factum uero turpissimum. interdum repugnant dicta consiliis, aut factis. ut cum Augustus perpetuum imperium

fui stabili-

stabilire vellet, victo ad Actium M. Antonio, mirabiles artes excogitavit, orationi quam habuit in Senatu, planè contrarias. verbo quidem imperium pertinaciter recusabat, vacationem à Republica petebat, ad extremũ victus eorũ precibus quos subornarat, Deos obtestatus est, se post decennium pacatis rebus imperio cessurum. hinc vota illa decennialia quibus imperium in annos quadraginta quinque sibi prorogavit. hic Cicero seruitutis impatiens diceret honestam orationem turpi consilio minimè respondere. Et quoniam plerúmque eadem historiae pars in diuersis capitibus censerì potest, causam præcipuam intueri oportet. ut ea quam de Antiocho refert Plutarchus in vita Demetrii, & Appianus in Syrio. cum enim Antiochus Stratonices incredibili amore flagraret, tæbe conficiebatur, ac iam moriturus videbatur nisi Erasistratus Aristotelis ex filia nepos, amoris vim ex ipso pulsu iudicasset. patri Seleuco refert actũ esse de vita filij: tũ Seleucus, quid ita? meam, inquit Erasistratus, uxorem deperit. an ego, inquit Seleucus, tam malè de te meritus sum, ut adolescētis amori non indulgeas? tum ille; tu ne quidem amori alterius inferuies. utinã, inquit Seleucus, Dij suum amorem in charissimam Stratonicem conuerterent. hic Erasistratus, ergo pater idem & medicus esse potes. itaque Seleucus Antiocho nouercam de spondit. Erasistratus verò donatus est sexaginta millibus aureorum. hæc historia pertinet ad amorem, ad curationem morbi grauißimi, ad paternam pietatem, ad filij verecundiam, ad prodigalitatem, denique ad argutam & urbanam Erasistrati orationem. sed quia his omnibus causam præbuit summa vis amoris, hanc histo-

riam iu-

riam iucundam ac memorabilem non ad capita virtutum, aut prodigalitatē, aut medicinā, sed ad caput amoris referemus, ne sit infinitū rem eandem toties usurpare. Sunt etiam in dictis pleraque amara, putida, scurilia, quæ turpia quoque censentur: quædam verò urbana & faceta, quæ honesta, sed quæ arguta sunt aut salsa, si neque turpium neque honestorū appellatione veniant, inter adiaphora collocare soleo. ut illud Demosthenis ad Phocionem, Perdet te populus si quādo furere cœperit. quin te potius, si resipuerit. & illud stultè quæretī, quis civium optimus? tui maximè dissimilis. hæc atque similia pertinent ad dicendi lepores. Casus autem fortuitos (quanquam nihil fortuitum esse potest, sed populari oratione utimur) qui ad homines pertinent, & partim à rebus diuinis, partim etiā à natura duci videntur, ad humanos casus referri commodius est: ut illud quod scribit Tacitus apud Fidenates unus theatri casu quinquaginta hominum millia occidisse; ad locum, quem de morte inscripsimus, spectat. idem iudicandum erit de iactura, naufragiis & fortuitis offensionibus. Contraria verò iisdem locis coniunximus, quod ea fere in historia coniunguntur. scilicet virtutes ac vitia: turpia & honesta, ut eorum facta diuisione, simul ac semel de contrariis dici possit, puta de stultitia, prudentia & malitia: de ignavia, fortitudine, temeritate: de cōfidentia, spe, desperatione: de leuitate, constantia, pertinacia: de stupore, temperantia, intemperantia: de arrogantia, modestia, deiectione: de crudelitate, clementia, impunitate: de avaritia, liberalitate, prodigalitate: de scurrilitate, urbanitate, rusticitate: de adulatione, affabilitate, contentione. ac tam-

etsi pleraque nomine carent, mediocrium tamen appella-
 tione statim extrema percipiuntur. ut in animi excelsi ma-
 gnitudine, in amicitia, in virtute, in mansuetudine, in fi-
 de: quæ aut nullum, aut unũ duntaxat extremum habent
 nomine comprehensum. in quibusdam extrema sine medio-
 rum appellatione usurpantur: ut invidia, malevolentia:
 garrulitatis, taciturnitatis: irrisionis, commiserationis: im-
 pudentiæ, pudoris; quem à virtutibus excludunt, propterea
 quòd non quavis decet etatem: id quod in virtutis defi-
 nitione necesse est. Quòd si quem minus delectat ea vitio-
 rum ac virtutum partitio, quattuor generibus complectatur,
 scilicet prudentia, temperentia, fortitudine & integri-
 tate. sic enim Philo maluit verborum ambiguitate subla-
 ta iustitiam illam, quæ aliud nihil est quàm in omnibus
consiliis, dictis, & factis rectitudo quædam & integritas,
 ἀρετὴ τῆς ψυχῆς vocare. cum enim Plato iustitiam in se quenq;
 prius stabilire doceret (sic enĩ Hebræi charitatis à se quæ-
 que initium ducere volunt) prudentiam in anima superio-
 re, veluti normam expetendorum ac fugiendorum colloca-
 uit, fortitudinem in corde, temperantiam in hepate: iusti-
 tiam verò quæ rationi quidem imperium, aliis obsequiũ,
 id est suum cuiq; tribueret, omnium communem fecit. sed
 ea aut nulla est, aut omnino cum prudentia confusa. sic e-
 nim virtutẽ illam, quæ iudicare potest quid quenque cui-
 que præstare oporteat, iuriscòsulti non virtutem moralem,
 sed prudentiam vocarunt. neque verò bonus est qui aliis
 suũ restituit, aut restitui iubet, cum sceleratus sit qui ali-
 ter faciat: nisi dicamus virtutem esse latronum qui iactant
 se iis vitam dedisse quibus non ademerunt. Illud etiam in-
 commodũ

commodum sequetur si quis illam iustitiam inferiori animae tribuat, quod animantia bruta, quae vim illam inferiorem habent, iuris ac iustitiae societate cum hominibus coniungemus. quod si qua virtus est utriusque animae communis, profecto prudentia est utriusque animae tum etiam virtutum ac scientiarum commune vinculum, quod quidem si demus, obscuram illam disputationem, utrum prudentia virtus sit necne, de philosophia sustulerimus eiusque opinionis authorem habebimus Platonem ipsum, qui extremo libro de legibus omnes omnium actiones sola virtute; virtutes omnes sola prudentia metitur. virtutes autem ipsius intellectus proprias, quae disciplina vocatur, in theoreticas, practicas, & operum effectrices, eo quo dixi modo partiemur, repudiat a Stoicorum opinione. Ita fiet ut nihil in historiarum lectione occurrat, seu laude, seu vituperatione dignum, quod non apte, & suo loco accommodari possit. Quod si turpia cum honestis, utilia cum inutilibus in historia coniungi videantur, sublata disputatione ad popularem loquendi modum accommodare oportebit. ut consilium Romani senatus, qui Gallo Proconsuli mandarant, ut Achaeos à communi societate diuelleret, quos tamen si naturae bonitatem sequeretur, in eadem amicitia tueri ac discrepantes conciliare debuisset: Romanis utile fuisse dicemus, cum eodem consilio Lacedaemonij, Veneti, ac fere populi omnes utantur. si tamen iura gentium violarentur, inutile ac turpe iudicandum esset. ut Carolo V. Imperatori utile fuit imperitorum iudicio Rinconem & Fregosium legatos occidere, aut à suis casos dissimulare, quod Turcarum opes & copias euocare dicerentur: facinus tamen illud non

lud non modò turpe, sed etiam sibi ac Reipublica perniciosum erat, & belli maximi, quo Respublica Christiana cõflagrauit, occasionem afferebat, non alia de causa Corinthi excidium, ac Tarentinorum clades contigerunt, quàm ob illatas legatis offensiones. At si quis est qui non populi, sed sapientium iudicia sequi malit (quanquam quid turpe aut honestũ, ne sapiētibus quidem inter ipsos conuenit) sepiissime in gerēda Republica labetur. Extremum illud est ut in legendis historicis, ne sepius à lectione ad scriptionem auocemur, notas comuniũ locorũ in margine adiciamus: deinde otiosè singula in locos referamus. nam hũc quoque fructum consequemur, ut optima quæque altius memoria repetita defigamus.

DE HISTORICORVM delectu. cap. quartum.

V*N* A res est que maximè Scythas impulit ut literas omnes ac monumenta veterum à stirpe conuellere conarentur, quòd acerbè ferrent Græcorum ac Latinorũ bibliothecas & parietes rerum à se gestarũ magnitudine repleti: reliquos omnes, tametsi res quoque magnas ac memorabiles gessissent, turpiter omissos, vel etiam atroci verborum contumelia notatos. fuerũt enim Græci ac Latini suarum laudum precones: ceteri, præter Hebræos, nihil fere de seipsis antea prodiderunt. Ac fit nescio quo modo, ut qui bellis & rebus gerendis occupantur, à scriptione refugiant: & qui plus aliquantò se literis dediderunt, earũ illecebris ac dulcedine

cedine capti, vix unquam ab iis diuellantur. & quidem
 sapissime contigit ut quæ nationes arma diutissime colu-
 erant, postea quàm literas amplecti cœperunt, animi vim
 ac robur amiserint: vel quòd otio & inertia languerent;
 vel quòd ij qui in rerum diuinarum & naturalium com-
 templatione versantur, non modò à cæde & sanguine ab-
 horreant, sed etiam barbariem ac feritatem omnino depo-
 nant. quod quidem Græcis primùm, deinde Latinis, post
 etiam aliis vsuuenisse constat. Itaque Phocion imperator
 Athenienses belli magis cupidos quàm peritos, hortabatur
 ut verborum copia qua præstabant, cum hostibus certa-
 rent, non armis quibus inferiores erant. molliores etiã A-
 siatici, à quibus fluxit orationis ubertas. at Lacedæmonij
 disciplinarum ac literarum omnino imperiti res præclaras
 domi forisque gesserunt, non ab ipsis, sed ab hostibus de-
 cantatas. Celtarum autem & Germanorum; tum etiam
 Arabum ac Turcarum illustria facta, bella, victorias obli-
 uione sepultas, aut una pagina comprehensas, idque ab
 eorum hostibus factum videmus; contra quàm Græcis ac-
 cidit, qui Salaminiam aut Marathoniam pugnam tanta
 copia verborum amplificarunt, ut nihil unquam memora-
 bilius gestum esse videatur. sed quemadmodum Alexan-
 der magnus cum victor in solio regis Persarum sederet, ur-
 banè respondit Græcorum legatis, qui maximo bello Græ-
 ciam ardere nuntiabant, sibi murium ac ranarum bella vi-
 deri: similiter Alexandri bella contra molles Asiaticos &
 Persas (quos Cato mulierculas appellare; Cæsar contem-
 nere solebat) exigua sint, præ iis quæ à Celtis, Germanis,
 Turcis ac Tartaris gesta sūt. id quod facillè intelligi potest

ab iis qui eorum victorias ab hostibus leuissimè scriptas meminerunt. Vt igitur ab historia rerum veritas habeatur, singulari non modo scriptorum delectu, sed etiam in iis legendis illud meminisse debemus quod ab Aristotele sapienter dictum est, in historia legenda, neque nimis credulum, neque planè incredulū esse oportere. nam si omnia omnibus assentiamur, saepe vera pro falsis habebimus, ac turpiter in Republica gerenda labemur. sin fidem omnem historiae detrahemus, nullos ab ea fructus consequemur. in altero quidem peccarunt ij qui fabulis omnia vetustatis monumenta compleuerunt: in altero Turcae, qui nec ullam antiquitatis memoriam habere, & curam penitus abiicisse feruntur: quòd putant historias ab iis scribi non posse, qui alienam fidem sequuntur; multò minùs ab illis qui rebus affuerunt aut praefuerunt, cum de se ipsi multa mentiantur, aut principum metu, vel premiis, vel odio distracti à vero deflectant: quae Plutarchus ipse sibi obiecit, & quasi foueam transiit. sed quid vetat posteritati non suis aequalibus scribere? illud autem ne verissimile quidem est, intàta scriptorū multitudine reperiri neminem, qui nec prece, nec pretio, nec inuidia, nec perturbatione adducatur ad scribendum. Prudens igitur historiarum lector inter haec vitia quorum alterum vanitatis est; alterum stuporis, medium feriet, & optimi cuiusque scriptoris delectum singularē habebit: nec priùs de historia sententiam feret, quàm historici mores ac ingeniū planè intellexerit. interest enim Reipub. iudicia descriptoribus qui in publicum exeunt, incorrupta minimèque deprauata videri: ne cum alienae industriae modum ponere volumus, optimos quosque à scriptione

ptione deterreamus. Neque verò in scriptorum delectu, quem adhibere quæque oportet, ipse iudicium ferre velim (est illud maioris cuiusdam artis ac ingenij) sed coniectura quadam & argumentis ad assentiendum probabilibus uti; quæ si nonnullis minùs probabuntur, sententiam mutare non grauabor. quæadmodum enim pictas tabulas earumque ductus, lineamenta, colores studiosè intuentè, picturæ minimè ignarum esse oportet, ut iudicium ferat; cum acutissimi cuiusque sensus & oculos multa fugiant: ita quoque necesse est non modò in omni genere historiarum, sed etiam in rebus agendis diu versatù esse, qui virtutes historicorù ac vitia notare velit. Sunt autem historicorum, ut opinor, tria genera: unum eorum qui optimè à natura: uberiùs etiam à doctrina informati ad res gerendas accesserunt: alterum eorum quibus literæ quidem, sed nec usus defuit, nec natura: postremum est eorum qui aliquantùm adiuti à natura, rerum gerendarù usu caruerùt incredibili, tamen studio ac labore se prope in historia colligenda iis æquarùt qui totum vitæ suæ tempus in Republica gerèda cõsumpserùt. est autem uniuscuiusq; generis infinita varietas, eoque maior quò quisq; plus habet aut minùs integritatis, eruditionis, experientiæ. optimum genus est eorum qui omnibus abundant, si modò in historia scribenda seipfos ab omni perturbatione liberare possint. difficile est enim de sceleratis virum bonum scribètem abstinere maledictò: vel bonos amore & gratia non completi. atque hæc amplificandæ historiæ initia fuerunt, cum honesto mendacio ad laudem bonorum, & malorum contumeliam uti pulchrum putaretur. quod si in eo genere bo
 gi ni labun-

ni labūtur, quid de improbis iudicandum erit? non parum
 igitur interest utrum historicus de seipso an de aliis: de ci-
 uibus an de peregrinis: de hostibus an amicis: de re milita-
 ri an urbana: denique utrum suæ ætatis an superioris: æ-
 qualibus an posteris historias scripserit. Rerum autem ge-
 rendarum peritum voco, qui consilij publici, aut imperij,
 aut iudiciorum particeps est vel conscius. nam in his tribus
 vertitur summa Rerumpublicarum. peritior tamen futu-
 rus est si per se Rēpublicam gesserit: peritissimus si pluri-
 mam literarū ac publici iuris cognitionem cum usu coniū-
 xerit. vix est enim ut sine literis difficillimam Reipub. gu-
 bernandæ scientiā adipiscamur, cum breuius sit vitæ hu-
 manæ spatiū, quàm ut diuturna regionū peragratione, &
 varia cognitione populorum id assequamur: quod sine li-
 bris Lycurgo, Soloni & Ulyssi contigit. hic enim prudens
 ab Homero appellatur, quod mores hominū multorū vi-
 dit & urbes. plerique regionum varietatem aut animan-
 tium ac stirpium naturas, vel ædificiorum & pyramidum
 substructiones, aut erosa veterum numismata mirātur, le-
 ges ac iura populorum, Rerūque publicarum status &
 conuersiones pro nihilo ducunt. at ex his solida prudentia
 moderandę ciuitatis comparatur. Neq; verò imperij dun-
 taxat aut consilij publici, sed etiam iudiciorum cōmunio-
 ne maximè omnium mores ac Reipub. status intelligitur.
 etenim qui in litibus versantur, ut loquitur Arcadius,
 omnia mala norunt: nec mala duntaxat, sed etiam bona,
 sine quibus illa consistere aut percipi nullo modo possunt.
 bonorum autem & malorum finibus omnis humana pru-
 dentia continetur. ex quo intelligitur deterrimum esse ge-
 nus il-

(120)

nus illud historicorum qui sine usu rerum, sine bonarum literarum scientia manibus illotis ad scribendam historiam accedunt. atque hoc præcipuum est in historicorum delectu argumentum. sed quoniã difficile est admodum omni perturbatione carere (quod in eo historico quem querimus necesse duco) cauendum imprimis erit ne scriptori de se suisque ciuibus & amicis quæ laudabilia sunt, aut de hostibus turpia scribenti facile assentiamur. contra verò minime dubia fides est eorum quæ de hostibus laudabiliter & gloriosè gesta confitemur. in reliquis domestica vel hostiũ iudicia nolo: sed ut in arbitris tertium aliquem qui ab omni perturbatione liber sit. Itaque Dionysium Halicarnassæum (qui nullos in Repub. magistratus adeptus est) de Romanis multò veriùs ac meliùs scripsisse constat, quàm Fabium, Salustium aut Catonem, qui in sua Repub. opibus & honoribus floruerunt. nam Polybius homo Græcus sæpe mendacii coarguit Fabium & Philinum: quòd alter Romanus, alter Chartaginensis de bello Punico ita scripserunt, ut hic præclara omnia de Romanis: de Pænis contra. Philinus Pænos omnia laudabiliter ac fortiter (sic enĩ Polybius) Romanos autem turpiter & ignauiter gessisse scribit. at Fabius iudicio Polybiy magnæ vir integritatis ac prudentiæ fuit, quemque nulla Reipub. nulla hostium cõsilia latuerunt. uterque tamen ad scribendum ita se comparauit ut oratores, qui hoc imprimis cauent ne quid contra seipso dicant aut sentiant. sed fieri nullo modo potest ut idem boni oratoris ac historici officio fungatur. Neque eas historias probare possum quæ perpetuas laudes ac virtutes eiusdem; nulla vitia cõmemorant: cùm nullus sit tan

ta integritate ac prudētia ut non sapissime offendat. nam Eguinardus & Acciaolus Carolum Magnum, Eusebius Constatinum, Nebriffensis Ferdinandum, Iouius Cosmum Medicem, Philostratus Apolloniū, Procopius Bellissarium, Staphylus & Leua Carolum V. Imp. tantis laudibus cumulat, ut oratores non historicos agere videantur. ergo prudens existimator laudes cuiusq; non domesticorum aut amicorum duntaxat, verumetiam hostium pōderibus examinabit: neque omnia Philippo Cominio de Ludouici XI. laudibus scribenti assentietur: sed etiā Meierum Belgicarum rerum scriptōrem adhibebit: neque hūc tantum, verumetiā Paulum Amylium: propterea quod vnus quidā plenus est Ludouici laudibus: alter eas omnino reuicit: tertius medium ferit. Meierus perfidum hominem ac fratris interfectorem vocat, & cui nihil prius esset quā violato iure diuino & humano scelere tyrannidem occupare. quinetiam Cominium ipsum patriā proditorem ac transfugam appellat. neque huic, neque illi in eo genere credendum puto, quod alter opibus & honoribus maximis à rege cumulatus est: alter hostis & odio maiore quā decuit historicum ad sceleris atrocitatem verborum contumelias adiunxit. Amylius nec hostis nec amicus (fuit enim Veronensis) prudēter ac moderatē hunc in modum, Dux, inquit, inuidiam regi conflabat, parricidij insimulans; fratris filios corrupisse, per eos illum veneno necasse. nihil temere affirmat: rumores vbique peruulgatos non omisit. illi florente Ludouico scripserunt, hic centesimo post anno, ut nulla vel gratia, vel metu, vel odio commoueri posset. itaque Cornelius Tacitus profitetur res Tiberij,

Clau.

Dux de
comitis

Meier

*Claudij, Caij, Neronis gliscente adulatione ac florētibus
 ipsis ob metum, & postquam occiderant recentibus odiis
 compositas, falsas fuisse: atque inde sibi consilium sine ira
 vel studio ea tradere, quorum causas procul haberet. scri-
 psit enim centesimo post anno quàm illi floruerant. ac for-
 tasse illud voluit Aristoteles cum diceret historias non mi-
 nus vetustate nimia quàm nouitate fabulosas & iniucū-
 das esse. sanè vix est ut qui presentium rerum historias
 in vulgus manare patiuntur vera scribant, ne cuiusquam
 nomen historia lesura, aut famam violatura sit. ac pro-
 pterea Cicero neminem eorum qui viuerent inter claros
 oratores enumerauit, ne qui ab eo præteriti essent, ut ipse
 ait, succenserent. quis autem ab historicis in ea Republica
 veritatem exquirat, in qua dicere quod nolis, turpe; quod
 velis, miserū ac periculosum sit? præstat igitur omni metu
 sublato rerum presentium scripta posteris mandare: aut si
 quis est qui suorum laborum gloria se viuo frui malit, supe-
 rioris ætatis res gestas, collectis omnibus omnium commen-
 tariis publicis ac priuatis, diuturnaque fama seniorum,
 historiã componat: id quod fecerunt clarissimi scriptores
 Linius, Trāquillus, Tacitus, Arrianus, Dionysius Hali-
 carnassæus. atque huius etiam maior fides est quàm illo-
 rum; quòd de aliena non de sua Republica scripsit, & o-
 mnium commentarios, ac ciuitatis arcana ex actis publi-
 cis collegit: in quo genere est etiam Polybius, Plutarchus,
 Metasthenes, Amianus, Polydorus, Ctesias, Æmylius,
 Aluaresius, Ludouicus Romanus, Paulus Venetus. eorū
 verò minùs probandæ sunt narrationes qui nihil aliud ha-
 bent quàm q̄ ab aliis audierunt ἐκ τῶν ἄλλων ἀκροαμάτων,
 ut loqui-*

ut loquitur Polybius; nec publica monumenta viderunt. itaque optimi scriptores quò maior fides scriptis haberetur è publicis monumentis ea se collegisse aiunt. sic Amianus se Gallorum antiquitates è publicis illorum monumentis in lucē eruisse profitetur. similiter Arrianus statim initio scribit se Regis Ptolemæi, qui Alexãdri magni rebus ubi que interfuit, cõmentarios non prius euulgatos legisse. itidem Appianus Augusti scripta: *Metasthenes & Ctesias publica Persarum monumenta. non quòd historie veritas ex regum commentariis exquiri debeat; cùm de se ipsi multa iactent: sed ea quæ nihil aut parum admodum ad eorũ gloriam aut vituperationem pertinēt: ut ratio temporum, prouinciæ, imperia, regum ætates, series, atque omnino publica rationes in quibus imperij arcana latent.* huc verba *Metasthenis referenda sunt, Neque tamen, inquit, oēs probandi sunt qui de regibus scribunt, sed solùm sacerdotes penes quos publica fides est annalium suorum, ut Berosus qui omne tempus Assyriorum ex antiquorũ annalibus digessit. hæc ille. Quòd si qua historia tot ac tam multos testes habet ut refelli minimè possit, tamen si videtur incredibilis, magnum præ se fert veritatis argumentum, præsertim si in reliquis alios alij refutant. quis crederet Senatũ Romanorum rustici cuiusdam somnio commotum, qui se ab Ioue monitum diceret ut ludi instaurarentur, quòd in prioribus præfultor indoctè saltaret? ad eius somnium decreuit Senatus instaurari ludos. uni fortassis non crederetur: sed in eo conueniunt Plutarchus, Lilius, Dionysius, Valerius, Plinius; qui in tanta S.P.Q.R. consensione errare minimè potuerunt. quid si dicat aliquis, alter alteri-*

us erro-

us errore ducatur? id sanè fieri potest: non modò in huma-
 na, sed etiã in naturali narratione. fama vetus est Olores *le y cignes*
 morituros suauiter neniã canere: id quod omnes non mo-
 dò poëta ac pictores inde vsque ab Æschylo, sed etiã prin-
 cipes ipsi philosophorum, Plato, Aristoteles, Chrisippus,
 Philostratus, Cicero, Seneca testantur: illud tamen Plini-
 us primùm, deinde Athenæus fabulosum esse experientia
diuturna tradiderunt, idque compertum habemus. sed hi-
 storiae naturales veræ sint necne, facillimè intelliguntur:
 humana verò, quæ semper sui dissimiles sunt, non item.
 multi Carolum Ducem Aureliorũ ob læsa maiestatis cri- *Charles dno de Lian*
 men supplicio affectum, idque Lutetiã, scripserunt: neque
 vnus tantum aut alter, sed xx. prope historici: quẽ tamen
 ãno post trigesimo quã ab Anglis captus fuisset, in Gal-
liã rediisse, ac fœliciter obiisse constat. atq; in eo G. Bella-
 ius meus ciuis, magnam historicorũ negligẽtiã coarguit:
 quòd quæ fama recens euulgarat pro comperto scripserũt.
 eiusdem erroris Possidonius, Eratosthenes, ac Metrodo-
 rus à Strabone arguuntur. in qua re igitur scriptores à se
 ipsi dissentiunt, posterioribus credendum putem, si argu-
 mentis aut necessariis, aut certè ad assentiendum probabi-
 libus vtantur. est enim veritatis ea vis & natura, vt non
 nisi longo ac diuturno tempore in lucem eruatur: cùm scili-
 cet vulgi errores, adulationes & odia planè conquierunt.
 & quoniam capitales sunt hominum inter se de religione
discrepantium inimicitia, non placet Ethnicorum de Iu-
 daeis, aut Iudæorum de Christianis, vel etiam nostrorum
 de Mauris ac Muhamedicis exquirere opiniones: sed col-
 latis inter se probatissimis quibusque scriptoribus, qui qua
 h lesque

lesque sint, & utrum res ipsi compertas habent, videre.
 quanquam plerique in eo genere magis errore labuntur, &
 antiquitatis ignoratione, quam quod mentiri velint. ut
 quæ Græci veteres de Romanis & Celtis, aut Romani
 de Caldaeis & Hebræis tradiderunt, magna ex parte re-
 felluntur, cum alij aliorum antiquitatis ignari essent. quæ
 verò de hostibus vituperatione digna leguntur, cohibenda
 est assensio, nisi valde perspecta fides est auctoris. sed ut ho-
 stium scripta non omnino probanda: ita nec penitus impro-
 banda sunt. ac prudenter Caligula qui Cassij & Labieni
 de Cesare historias Senatusconsulto damnatas euulgari
 iussit, cum diceret interesse Reipub. uniuscuiusque res ab
 omnibus intelligi. neque tamen huius aut illius de Cesare
 testimonia si extarent omnino mihi probarentur: nec Cæ-
 saris qui Pompeianos diuina & humana miscuisse, pecu-
 nias æ fanis abstulisse scribit, cum ipse nullo religionis ac
 Deorum metu omnia templa Gallorum spoliasset, ac æra-
 riū sanctius, quod Pompeius aperire noluerat, diripuisset.
 hæc enim Cæsar atque his similia iactabat, ut iustā belli
 suscipiendi causam (tametsi nulla iusta causa cuiquam esse
 potest aduersus patriam arma capiendi) habere videretur.
 quæ verò de bellis à se gestis conscripsit, ex magna parte
 vera iudicatur, præsertim cum imperator lege Portia pro-
 hiberetur falsum cæsorum numerū ad ærarij tribunos de-
 ferre, alioqui triumpho & imperio (cuius causa Cæsar sce-
 leratum esse iustum putabat) caruisset. quæ lex ut impune
 violata sit, attamen infamiae metus hominem gloriæ cupi-
 disimum retinebat, præsertim cum se viuo sua scripta in
 vulgus manare pateretur, & innumerabiles hostes habe-
 ret qui

(Cæsar)

ret qui se mendacij coarguere potuissent. argumento est q̄
 Ciceronis Catoni Anticationem reposuit; sed ita scripsit
 quasi reus apud iudices, ut ait Tacitus, causam agere vi-
 deretur. Quæ igitur de hostium scriptis diximus locum
 habent, nisi quis transfuga subornatus & pecunia corru-
 ptus sit: ut de Frossardo nonnulli putant, cui dubium est
 utrum plus Angli, an ipse plus Anglis debeat: cum aperte
 fateatur se ab illis maxima præmia consecutū. non aliter
 atque Aretinus, qui quem laudabat: id quod faciebat in-
 uitus: ab eo quoque se muneribus affectū gloriabatur. sic
 tamē existimo verissimè omnia scribere potuisse, cum vel
 in rebus gerendis & militia magnam partem ætatis con-
 sumpisset. patriæ verò laudes penitus obliuisci, aut æquo
 animo præterire posse puto neminem. etenim Polybius qui
 inter optimos scriptores verissimus habetur. cum de suis
 ciuibus ageret sibi temperare non potuit quin aduersus
 Phylarchum acerbissimè inueheretur, quòd Megalopoli-
 tanorum virtutem & fortitudinem in bello contra Ari-
 stomachum dissimulasset. Eadem causa, ni fallor, Plutar-
 chū impulit ut aduersus Herodotū περί ναυονθελος scribe-
 ret, in quo nihil equè reprehendit atque scripta de Bœotis
 & Cherronæis. eodem morbo (si morbus est suorum popu-
 larium dignitatem honesto mendacio tueri) omnes fere hi-
 storici laborant. itaque libenter Casari de Gallorum mo-
 ribus scribenti: aut Tacito de Germanis: aut Polybio de
 Romanis: aut Amiano de Francis assētior, cum peregrini
 essent, & eorum, de quibus scripserunt, antiquitates planè
 cognitæ haberent. Sed magna dubitatio me angit utrum
 historici laudare, vituperare, ac de re proposita sentētiam

frossardus

h ii ferre:

ferre; an verò legentibus iudicium integrum reliquere debeant. quod cum præcipuè ad historicorū delectū pertineat, rationes utrinque probabiles afferam, & cuique iudicium relinquam. Nam cum historia nihil aliud esse debeat quàm veritatis imago, & rerum gestarum veluti tabula quæ in clarissima populi luce omnibus ad iudicandum proponitur: profectò præiudicium historicorum plurimum de rebus gestis detrahit: propterea quòd imperitorum animos variis opinionibus præoccupare videntur: prudentibus verò, qui falli nolunt, ob id ipsum quia non rogati sententiam ferunt, valde suspecti sint. illud etiam non parum obest quòd plerique historici cum rethoras aut philosophos agunt, filum abrumpunt propositæ narrationis, & legentiū cogitationes ac memoriã aliò distrahunt: ut iure Timæus utroq; vitio notatus sit: & cum ab historia sæpius ad reprehensiones digrederetur iudicium & obrectator est appellatus. cum autem nihil difficilius sit quàm rectè iudicare, quis non grauitè ferat historicū qui nullam publici muneris aut consilij partem attigerit, de summis Rerumpublicarum moderatoribus sententiam ferre? quid autem ineptius quàm eos qui nunquam acies viderunt, imperatorum offensiones inter ipsos & victorias disceptare? nam is qui Henrici bella cum Carolo V. Imperatore gesta complexus est (eius nomen prætereo) iudicē utriusq; se ferens tot ac tantis laudibus Regem cumulauit, vel potius obruit, ut eas laudes ne ipse quidem Henricus sine fastidio ferre posset: Carolum verò quasi sceleratum & ignauum hominem contumeliis omnibus lacerat, nec intelligit vir bonus eiusmodi conuitia in suum principem re-

pem redundare, cui turpe sit cum tali hoste bellum gerere; turpius ab eo vinci; affinitatem verò contrahere turpissimum. quare nec bonus historicus, & iniquus iudex omnium suffragiis existimatur. non minùs audacter Iouius qui Selimi & Ismaëlis Sophi, tum etiam Caroli quinti & Pauli Pontificis max. atque aliorum principum odiosas comparationes suo iudicio meretur. his ego Xenophontem, Thucydidem, Tranquillum, Cæsarem, Guichardinum, Sleidanum oppono, qui rarò admodum, nec nisi obliquè ac prudenter iudicium ferunt. Cæsar quidem bellicis laudibus abundans, & optimus artis imperatoriae magister, suo quodam modo iure de re militari sententiam ferre potuit: nec ueri debuit reprehensiones imperitorum: illud tamen valde prudenter ac moderatè facit. cum enim P. Silla victoriam adipisci potuisse diceretur, si Pompeianos in secutus esset, hinc Cæsar; Eius consilium reprehendendum non videtur. alia enim sunt legati partes atq; imperatoris: alter omnia agere ad prescriptum; alter liberè ad summam rerum consulere debet. cum item Pompeius in acie Pharsalica militem consistere, non progredi; hostem excipere, non laceffere iussisset; Quod nobis, inquit Cæsar, nulla ratione factum videtur, propterea quòd est quaedam animi incitatio atq; alacritas naturaliter omnibus innata, quæ studio pugnae inceditur: hanc non reprimere, sed augere imperatores debent. hinc non solum armis, sed etiam arte belli gerendi cum Pompeio contendit. non desunt exempla quæ Cæsaris testimonium confirmare possint, atque imprimis Epaminonda victoria contra Lacedæmonios. sed ut sint innumerabilia, quid tam ineptum quàm si Phormio aliquis quæ castra

fornix

nunquam viderit, de talibus uiris quasi arbiter datus sententiam ferat: vel homo de schola Lycurgi ac Solonis sapientissimorum Reipub. moderatorum leges emendare velit? quod quidem cum fecisset Aristoteles, in multorum offensionem incurrit: & à Polybio tacite: à Plutarcho aperte reprehensus est. quam sapienter, nescio: illud tantum, de rebus parum sibi compertis opinari, lubricum; iudicare, periculosum videri. atq; in eo ipso *Vives* Caroli V. præceptor Cominium reprehendit, quòd sæpius ab historia proposita digrediatur, deque principum moribus ac virtutibus, atq; omnino de beata vita philosophorum in modum disputet. is tamē aliter atque *Vives* omne tempus in Republica gerenda, aut in bellis, aut in maximis legationibus obeundis consumpserat, ut recte, si quis alius, iudiciū ferre potuerit. quòd si iusta reprehensio est, præstabilius sit historico narratione proposita timide iudicare, vel assensionem omnino cohibere. At in contrariam sententiam me Polybij autoritas abducit. is enim propterea Phylarchum reprehēdit, quòd debitas cuique laudes omisisset, ac præcipuam annalium utilitatem esse putat, ut boni laudibus sui similibus ad virtutem inflammari; scelerati vituperatione & infamia terreri possint. quam rationem Tacitus & Procopius amplectuntur: & grauisissimi quique scriptores de re proposita sententiam ferunt. quinetiam Agathias (quod mirere) nudam historiam, vetularum nugis similem sibi videri scribit. sed is author non tanti est apud me ut eius oratione persuaderi possim: præsertim cum Ciceronis grauisimo testimonio Cesar omnes historicos superasse videatur, ob id ipsum quòd eius historia nuda, simplex, recta, &

quasi

quasi omnibus detractis ornamentis unicuique iudican-
da proponatur. consimilis est historia Xenophontis quam
Thucydidi cōnectit. in qua nullum suum iudicium inter-
ponit, nusquam digreditur, nulla orationis adhibet orna-
menta. & quoniam plerique honorum laudes, ac vitupe-
rationes malorum ad historiae fructum pertinere putant,
verius ac melius à philosophis, quorū illud præcipue mu-
nus est, quàm ab historicis fieri poterit. quanquam plus sa-
tis vituperat Neronem, qui iustissimos quosque viros, præ-
ceptorem, duas uxores, fratrem Britannicum, matrem de-
niq; interfecisse narrat. quæ omnia Traquillus purè, sim-
pliciter ac sine ulla verborum amplificatione scribit. Ap-
pianus verò cum Mithridatē scripsit matrē, fratrem, tres
filios impuberes, totidemq; filias interfecisse, subiicit: San-
guinolentus & crudelis in omnes fuit. superioribus fidem
non minùs detraxit, quàm Iouius, qui oratione longa Se-
limi Turcarum principis crudelitates omnes cum summa
contumelia verborū amplificauit. min. satis ad æternam
sui nominis labem, & quidem credibilius videretur sim-
pliciter narrare tres ab eo Bassas summa fide & affinita-
te sibi coniunctos, duos fratres, quinque fratrum filios ac pa-
rentem senio fractum ab eo necatos, quàm oratoris in mo-
dum, quòd minimè historicum decet, historiam amplifica-
re quæ legētib; falsa, vel suspecta videatur. Atque hæc
cum bona eorum venia dicta sint, qui nuda historia nihil
magis insipidum esse putant. neque enim magnorum viro-
rum de rebus gestis iudicia reprehendo si modò tales sunt,
qui rectè iudicium ferre possint. in urbana disciplina lau-
datur Dionysius Halicarnassæus, Plutarchus, Liuius,
Zona-

Zonaras, Dio, Appianus. in militari, Caesar, Paterculus, Amianus, Frossardus, Hircius, Bellaius. in vtraque Xenophon, Polybius, Thucydides, Tacitus, Cominius, Guichardinus. in principum arcanis & aulica vita, Tranquillus, Lampridius, Spartianus, Sleidanus, Maciauellus. in moribus populorum & regionum varietate, Diodorus, Mela, Strabo, Leo Afer, Boemus, Aluarezus. in religione, Philo, Iosippus, Eusebius, Theodoritus, Socrates, Sozomenus, Nicephorus Calistus, Orosius, Sidonius, Gregorius Turonensis, Abbas Vsspergensis, Gulielmus Episcopus Tyri, Antoninus Florentinus, tum etiam historiae Magdeburgicae scriptores. sed ut optimè ab antiquis, Ne sutor ultra crepidam: ita nec Polybij de religionibus, nec Eusebij de re militari iudicia probare possum. Hæc in uniuersum de historicis. Nunc optimi cuiusque delectum adhibeamus. meliores quidem iis quos habemus sperare, amentia; optare, sceleris esse videatur. nec eorum studia valde utilia duco, qui sibi fingunt ideam historici consummati qualis nemo fuerit unquã, nec verò esse possit: eos autem quos in manibus terimus omittunt. quis enim dubitat, quin historicus vir grauis, integer, seuerus, intelligens, disertus, & quasi vitæ communis ac priuatae, omniumque rerum magnarum scientia instructus esse debeat? ineptius tamen qui nihil in historia præter eloquentiam, aut fictas conciones, aut egressiones iucundas admirantur. sic enim statuo fieri nullo modo posse ut qui ad voluptatem, idem quoque ad rei veritatem scribat. quod in Herodoto reprehendunt Thucydides, Plutarchus ac Diodorus. miror tamen hunc unum historiae parentem à Cicerone appellari, quem

quem omnis antiquitas mendacij coarguit. nullū est enim mendacis historici maius argumentum quàm ab omnibus scriptoribus apertè confutari. neque tamen omnino reiiciendum puto. est enim in eo præter eloquentiam & suauitatis Ionice lepores plurima vetustatis imago: multa quoq; in posterioribus libris verissimè ab eo scripta memorantur. Optimi verò scriptoris indicium est ab omnibus probari, eo præsertim tempore quo vigent ij qui rebus gestis interfuerūt. in quo genere sunt, opinor, Thucydides, Sallustius, Xenophon, Cominius, Guichardinus, Cæsar, Sleidanus. nam quòd Athenienses querebatur Thucydidem multa in gratiam Lacedæmoniorum scripsisse, magnum veri scriptoris testimonium tulerunt. cùm enim Atheniensis fuerit non Lacedæmonius, & legationes in bello Peloponesiaco ac Præturas obierit: magnisque opibus & regia stirpe clarus extiterit: tum etiam res ipsas velut è specula viderit: & magnis sumptibus ingeniosos exploratores ad inquirendam rei veritatem aluerit: postremò spirantibus iis qui rebus interfuerant, sua scripta in libera ciuitate iudicanda proposuerit, quis eius historie fidem eleuaret? neque verò Lacedæmonis ita fauit, ut suorum ciuium penitus obliuisceretur, à quibus tametsi erat in exiliū relegatus cùm historiam scriberet, sui tamen exilij autorem atq; aduersarium omnium maximum Periclem, non modò à calumniis vindicauit, sed etiam tantis laudibus mortuum cumulauit, ut eius interitu Rempublicam interituram verissimè auguraretur. concionum tamen apparatus tacitè reprehendit Diodorus. eadem reprehensione utitur Trogius Pompeius (ut est apud Iustinum) aduersus Liuium & Sallu-

i stium,

stium, quòd directas & obliquas conciones operi suo inferendo, historiae modum excesserit. Nihil est enim, ut ait Cicero, in historia pura & illustri breuitate dulcius. sin conciones de Liniò detraxeris, exigua fragmenta restabunt. quæ causa Caligulam impulit ut scripta Lini & imagines de bibliothecis omnibus prope amoueret. idque magis mirum debet videri, cum libro uno & quadragesimo testatum reliquerit, se nihil præter historias Romanorum scribere decreuisse. De Sallustio, quòd eius omnia scripta fere interciderunt, non ita facile iudicari potest. ex iis tamen quæ habemus, integerrimum scriptorem & rerum magnarum usuperitum fuisse constat. ut enim Iugurthinum bellum verius scriberet, in Africam usque nauigauit. liberè tamen de rebus iudicat. quid enim liberius est quàm in uno Cæsare & Catone Romanorum omnium illius ætatis collocare virtutem? At Thucydides Periclem; Sleidanus Franciscum regem, ducem Saxonum, Bellaium, Alasconem verissimis ac propriis laudibus extulerunt, comparationes tamen odiosas reiecerunt. ac si quid est quod cuiquam infamiam afferat, necessarius confirmat argumentis, aut oblique rumoribus acceptum ferunt. hoc verò commune illis est cum Guichardino, Plutarcho, Maciauello, Tacito, ut multa multorum consilia fraudesque quatumuis occultas in clarissimam lucem proferant. fuit enim Sleidanus Francisci regis interpres, & pro sua Repub. legationes sapissime suscepit. cum autem præcipue de religionibus (ut erat pius ac religiosus) scribere proposuisset, non modò conciones directas & obliquas, sed etiam libros utrinque de religione scriptos, quæ breuitate potuit complexus est: id quod multis fa-

Aut.

eis fastidium parit. sed homini antiquitatis ac rerum magnarum avido nihil debet molestum videri. est enim in nostris scriptoribus, Annonio, inquam, Monstreleto, Frossardo, Carterio magna farrago rerum leuissimarū, in quibus tamen latet antiquitatis ac vetustatis imago non penitus contēnenda; quam non reperias apud Amylium, qui profitetur se multa pratermississe quæ alij prodiderunt. eiusmodi est etiam historia Leonis Afri, Aluaresij, M. Gazi qui maxima, mediocria, minima complectūtur, infinitaq; rerum varietate aures hominum curiosorum explere possunt. sed hæc rariùs in Grecis aut Latinis, qui duntaxat urbanam aut militarem disciplinam tractant, & quæ memorabili casu quodam contigerunt. ut apud Liuium Capitolij deflagratio in bello sociali. apud Tacitum incendiū illud quod duodecim urbis regiones absumpsit. interdū tamen prodigia planè incredibilia narrāt, non modò infimi, verum etiā clarissimi quique scriptores: ut Caesar ipse qui bello civili Tralibus statuas sudasse scribit; vir alioqui Deorum & hominum contemptor. sed in eo genere Liuius nimis religiosè dicam an suspertiosè omnes superauit. nihil enim frequentius quàm boues locutos, scipiones arfisse, statuas sudasse; quod pluuio celo frequenter accidit: Deum Annibali apparuisse, infantē semestrē triumphū clamasse: ut non immeritò Polybius eiusmodi scriptores Tragædos appellarit, qui cū Annibalem è salebris expedire non possent, Deos è machina quadam accirēt. quamquam Polybius de religionibus nefariè scripsit. illi venia digniores, quòd superstitione præstat quàm impietate obligari; & falsam quàm nullam habere religionem. Est etiā

Liuius aliquantò copiosior in laudibus alienis . cum enim P. Sempronium ciuibus omnibus antetulisset (in quo reliquis iniuria fieri videtur) omnibus humanis à natura fortunâque bonis congestis instructum fuisse tradit. nec eo contentus singula copiosè amplificat à generis splendore, opibus, eloquētia, forma, etate, animi magnitudine, disciplina militari. Furium verò Camillū in cælum usq; Africanum supra cælum tollit : ut mirum videri non debeat si Augustus Pompeianum appellauit: quòd in Pompeio laudando satietatem explere non potuisset. at in reprehensionibus parcus est & grauis. ut cum M. Liuius & C. Claudius ante censuram se mutuis accusationibus impeterent; hìc ille, Ibi fœdum certamen inquinandi famam alterius cum suâ famâ dispēdio factum est. idem alibi de antiqua plebis in patricios reuerentia; Hanc modestiam, inquit, animique altitudinem ubi nunc in vno inueneris quæ tum uniuersi populi fuit? & de Caluino Campano, Improbū, sed non ad extremum perditum, qui malet incolumi quàm euersa patria dominari. est autem quod in Liuiio miremur dicendi varietatem. interdum valde copiosus est; interdū verò concisus. nam prioribus decem libris C D LX. annos ab V. C. comprehendit. altera decade LXX III. tertia XVIII. quasi seriò ad historiã aggredieretur. reliquis decem & centum libris CXCII. annos complectitur. neque enim vlllo tempore populus Romanus à bellis conqueuit, quinetiam multò plura gesta sunt ab exactis Vrbe regibus usque ad Appium Cœcum, quàm inde ad Cæsarem. sed id factum opinor quòd veterum commētarios, qui nascente imperio pauci; florente innumerabiles extiterunt,

runt, in unum quasi corpus coaptavit. cum autem in eos incideret qui melius scripserat, iis se totum addixit: ut videre est in Punico bello quod quidem ad verbum de Polybio trāstulisse videtur. At Polybius non modò equalis ubiq; ac sui similis: sed etiam intelligens, gravis, in laudibus parcus, in reprehensionibus acerbus: ac veluti prudens legislator & bonus imperator, multa de militari urbanāque disciplina; multa de historici officio disputat. scripsit autē historias omnium fere populorum qui suis temporibus flourerūt, & paulo ante ab Olympiade CXXIII. siue ab Orbe condito ter millesimo sexcentesimo octogesimo, usq; ad annum ter millesimum septingentesimum sexagesimū sextū. sed ex libris XL. quos scripsit XXXIII. intercederunt. videtur autem non minùs philosophi quàm historici personam induisse. nam in fœdere Chartaginensiu principes ac Rerumpublicarū moderatores admonet, ut diligenter provideāt utrum ij quibus cum fœdera iungūt, necessitate coacti, an spe amicitie ducātur. plenus est eius modi præceptis liber sextus, in quo de militari & urbana Romanorum disciplina copiosè disserit. locorum verò ac regionum descriptiones nemo veterum diligentius explicavit. tum etiam superiorum temporum & historicorum ignorantiam sæpe coarguit, qui fabulosè multa de Romanis scripserant. ex eodem T. Liuij & Appiani pudendum errorem deprehendimus, qui Gallorum legiones à Brenno deletas prodiderunt, nec tantæ cladi nuntium quidem superfuisse qui Urbem à se captā gloriaretur. consimili errore lapsus est Iustinus, Callimachus & eius scholiastes, qui Brenni copias Italia vastata in Graciā influentes spolia-

to Delphorum templo fulgure percussas omnino interiisse
 fabulantur. nam Polybius clarissimis argumentis iisque
 necessariis docet easdem copias incensa Vrbe ad Helespō-
 tum usque progressas, & locorum opportunitate pellectas
 circa Bizantiū constitisse, Thracibusque deuictis regnum
 usque ad Clyari tempora tenuisse. quod mirum videri nō
 debet; cū Balduino duce non ita pridem Bizātiū ce-
 perint, & imperio Græcorum diutissimè præfuerint. Po-
 lybium secutus est ætate nostra Paulus Iouius, quòd atti-
 net ad uniuersam sui temporis historiam. sed hoc inter u-
 trūque interest, quòd ille vel rebus gestis interfuit, vel præ-
 fuit, vel publica ubique monumenta vidit; hic audita &
 inaudita plerūque scripsit: ille in militari ac domestica dis-
 ciplina diu se exercuit; hic neutram attigit: ille in sua Re-
 publica princeps; hic priuatus: ille imperator; hic medicus:
 ille magnam Europæ partem, oram Africae & Asiam mi-
 norem, ut populorum mores intelligeret, peragrauit; hic an-
 nos septem & triginta, ut ipse gloriatur, in Vaticano con-
 sedit: ille Scipionis Africani moderator ac bellorum ubiq;
 socius; hic Pontificū perpetuus comes. cū autē rogaretur
 cur simularet falsa, vera dissimularet: amicorū gratia id
 à se factum respōdit. ac tametsi superstites intelligeret suis
 scriptis fidem derogaturos, ea tamen intelligebat infinitæ
 posteritati credibilia fore, quæ sibi suisq; popularibus lau-
 dem essent allatura. illud certè ad sempiternā memoriam
 testatum reliquit Gorraeus Parisiensis, qui quas finxit A-
 madisi fabulas, non minùs veras ac probabiles quàm Io-
 uij scripta fore confidit. ferendum quidem esset, si pro sa-
 lute Reipub. mentiretur; id quod magistratibus Xenophō
 & Pla-

Et Plato permiserunt: sed assentationis causa mentiri cū omnibus turpe, tum verò historicis turpissimum. nam ut Besario Cardinalis cū inter Diuos inepta quadam ἀποβόσσει Romæ quamplurimos referri videret, quorum vitam improbat, se valde dubitare dixit, utrū vera essent quæ ab antiquis prodita fuerunt: ita mendaces historici faciūt quo minùs fidei reliquis habeatur. si Polybium imitaretur meminisse debuerat, quod ille historiæ initio profitetur, eum qui de historia veritatem detraxerit pulcherrimi animantis oculos detraxisse. quàm verè scripserit, non ex eo qui fabularum autorem appellat, aut ex Sleidano vel Bruto Florētino qui hominem mendaciū sæpe coarguunt: quòd alter religione, alter odio tyrāndis permoueatur: sed ex ipso historiæ parēte Guichardino, qui omnium iudicio verissimè scripsisse putatur cōvinci potest. cuius scripta si cum Louio conferantur, non magis congruent quam rotūda quadratis: præsertim in concionibus, epistolis, fœderibus, decretis, quæ Louius suo arbitratu finxit, in quo tamen decorū ita confudit, ut imperiti milites ipsius Alciati sui laudatoris iudicio, declamatores scholastici esse videantur. omitto ineptam Caroli Imperatoris ad Louium cohortationem; Expedire te, inquit, Loui calamos oportet &c. tum eius querelas & colloquia cum Louio, quæ tam vera mihi videntur quàm ducentos amplius leones à Muleasse interfectos: aut ex agro Brixiano sexcenta millia minoris pecoris, maioris verò ducenta millia à Gallis abducta, ut ipse affirmat, nec aliis acceptum refert. multa de Persarum Abissinorum ac Turcarum imperio: quæ utrum vera sint, ne ipse quidem scire potuit, cū rumoribus si-

*bus fidem habuerit: nec consilia principum, nec conciones, nec epistolas, nec res gestas, nec ulla publica monumenta uiderit: sic tamē scribit quasi rebus interfuisset, nec ullum dubitationi locum relinquit. quæ igitur uerissimè scribere potuit; noluit: puta res in Italia gestas. quæ uoluit; non potuit: scilicet externa. nihilominus tamē grauius se laturū scribit, si cum sui temporis scriptoribus conferatur: quod Arriani exemplo scriptum opinor. is enim tantò se reliquis historicis, qui uitam Alexandri magni scripserant, superiorē putat; quantò reliquis imperatoribus Alexander. fuit certè Arrianus summo uir ingenio, summâque doctrina præditus; ut planum sit ex eius cōmentariis in Epicetum. præterea usum cum eruditione coniunxit: ac propter summam prudentiam ab Adriano Augusto per omnes honorum gradus ad Consulatum florente Republica prouectus est. omitto flores Attici sermonis & eloquentiam, quæ in eo tanta fuit. ut alter Xenophon appellaretur. neque tamē si Iouius ulla re cum Arriano comparandus esset. molestè ferre debuit se cum aliis conferri: quod ei per me licebit. non quòd multa non sint uerè & eleganter ab eo scripta: sed hunc mendacij fructum tulit, ut etiam cū uera scribit suspectus habeatur. hoc tamen acerbius est ac indignius, quòd cū historiam uenalem prostituisset, uberiorē tulit mendacij fructus, quàm quis alius uera scribendo. Sed ad ueteres redeo, quos cū nostris, & inter se, ut casus feret, comparabo. Ac primū quidem occurrit Dionysius Halicarnassæus, qui præter moderatum dicendi genus & Atticam puritatem, antiquitates Romanorum ab ipsius Urbis origine tanta diligentia conscripsit, ut
 Græ-*

Græcos omnes ac Latinos superasse videatur. nam quæ Latini quasi peruulgata neglexerunt, puta sacrificia, ludos, triumphos, magistratuū insignia, tum uniuersam Romanorum in gubernāda Republica disciplinam, censum, auspicia, comitia, totiūsq̄e populi difficilem in classes ac tribus partitionem: postremò Senatus auctoritatem, iussa plebis, magistratuū imperia, populi potestatem unus omnium accuratissimè tradidisse mihi uidetur. quæ ut planius intelligerentur, Græcorum leges ac ritus cum Romanis institutis comparat. ut cum iura clientelatum quæ Romulus instituit (quanquam ea quoque Gallorum communia fuisse tradit Cæsar) ab Atheniensibus & Thessalis altius repetit: ac Romanorum Dictatorem parem potestatem habuisse atque Harmosten Lacedæmoniorū, Archū Thessalorum, Æzymneten Mitylenæorū. leges autem Romuli, Numæ, Seruij unā cum antiqua Romanorum origine sine hoc auctore penitus interiissent: quæ Latini quasi peruulgata negligenter omiserunt. atque id fere omnibus historicis contigisse uidemus, ut quæ vulgo cognita sunt Reipublicæ instituta prætermittant: quasi exteris æquè ac ciuibus nota, vel etiam immutabilia fore iudicarent. rectè Sleidanus, qui quòd Argentinæ missa xx. annos intermissa fuisset, deinde prementibus armis rursus admissa, plebe magno concursu uelut ad noua spectacula confluente; occasione accepta profitetur se posteritati Missæ arcana relicturum, ne si rursus dimissa, vel omissa, vel planè amissa fuerit, quæ qualisquæ sit postea ignoretur. quāquam pleraque sunt ab eo negligēter prætermissa: sed uenia dignus est, si eius sacrificij oblitus sit cui nō nisi puer

k inter-

interfuerat. ita Dionysius, Plutarchus, Polybius, Dio
 Greci homines, Romanorum disciplinam uniuersam, quã
 Latini neglexerant, diligenter pertractarunt. idem quo-
 que in nostris & Itatorum scriptis sepe desideravi, ut Dio-
 nysium sibi proponerent ad imitandum: qui singulas histo-
 riæ utilitates ubique colligens, omnia dicta, facta, consi-
 lia ad bene institutę ciuitatis formam reuocauit: maxime
 uerò ad religionem & numinis metum. quid enim diui-
 nius & ad religionem magis accommodatè dici potuit: cum
 de iustitia Romanorum ageret, quàm eterna quadam le-
 ge natura nūquam interitura decretum fuisse ut imperia
 Rerumpublicarum ab iniustis possessoribus ad iustos defe-
 rantur: illud quidem est Syraci sapientiæ magistri uetus
 oraculum. ex quo Dei bonitatem, & eam, qua in rebus
 humanis utitur, procurationem admirari debemus: cum
 omnibus etatibus ac seculis dominatū optimo cuique cum
 summa utilitate infimorum tributum uideamus. sic enim
 Deus angelis imperat, hi hominibus, homines belluis, &
 in uniuersum anima corpori, ratio libidini, mens rationi.
 atque hæc de historia Dionysij quæ si integra extaret, ni-
 hil esset cur Varonis thesauros interiisse quereremur. fuit
 enim Dionysius non solum Pompeio magno ac Tuberoni,
 sed etiam magistro Varoni tanta beneuolentia coniunctus,
 ut ab eius spatiis & colloquiis præclara omnia haussisse
 uideatur. Parem fere diligentiam in Romanorum anti-
 quitate adhibuit Plutarchus: de quo quid iudicandum sit
 satis unicuique perspectum opinor. cum enim Traiani o-
 ptimi principis moderator extiterit, & in aula principum
 diutissimè uersatus, ad extremū etiam Istriae præfectus,
 dubi-

dubium non est quin ad summum sapientiæ studium, verũ quoque gerendarũ vsum adiunxerit. populorum verò maxime illustrium historiam complectitur: tametsi non perpetuam sed abruptam, & ad principum similitudines accommodatam. est autem quod in eo miremur liberum de re quaque iudicium, ut non tam historicus quàm principũ censor esse videatur. sic tamen existimo, si quis idoneus est earum rerum arbiter, aut Plutarchum esse. aut neminem. quid enim tantam sapientiam latere potuit? patet hoc quidem omnibus qui modò grauissimas illius de Republica, deque intima philosophia disputationes legerit. bellorum verò causas, initia, progressus, offensiones, victorias non aliter ac bonus imperator diligenter explicat. interdum etiam ad minima quæque rei familiaris momenta delabatur: cuiusmodi est illud de Catone Censorio, qui de dita opera dissidia inter seruos serebat, ne quid deterius in eadẽ voluntate conspirantes molirentur. ac de Pericle qui fructus annuos, quos ex prædiis percipiebat, suo cõmodo vendere, ac victui necessaria emere consueuisset. saepe incredibilia & planè fabulosa narrat, sed utitur verbo φασί, ne quis temere assentiatur. ut in Lycurgo scribit puerum Lacedæmonium crudelissimam lacerationem & iliorum distractionem ad necem vsque pertulisse, ne vulpis furtum detegeretur. & Agesilaum ab Ephoris mulctatũ, quòd suorum ciuium animos & voluntates vnus sibi conciliarat. illud tamen animaduersione dignũ est quòd Græcos principes cum Græcis, & Romanos inter se bona fide comparauit: Græcos verò cum Romanis non item. idq; facile intelligi potest in comparatione Demosthenis ac Ciceronis:

Catonis & Aristidis: Syllæ ac Lysandri: Marcelli & Pelopidæ. quid autem aliud est Agesilaum Pompeio, quàm muscam Elephanto conferre? interdum etiam in Romanorum antiquitate labitur: quod in homine Græco, qui se linguam Latinã non satis intellexisse in vita Demosthenis confitetur, mirum videri non debet. scribit Gracchum equites cum senatoribus rogatione Sempronia de iudiciis coniunxisse: qua tamen adempta sunt iudicia senatoribus & ad equites omnino translata: ut Velleius, Appianus, Asconius, Tacitus & Florus confirmant. itaque legem Liuiam pro Sempronia: & Gracchum pro Druso usurpauit. simile est illud quod Romanorũ denario drachmam; libræ minam equauit in vita Fabij & Antonij. id quod Budæo magnam præbuit errandi occasionẽ. nam his fundamentis malè iactis, infiniti errores consequuntur. quòd item in Catone Vticensi mutuam dare uxorẽ apud Romanos licuisse tradit: idque fecisse Catonem erga Hortensium, ut ex Martia Catonis nobili ac fœcunda matrona liberos susciperet, vix adduci possum ut credã, præsertim cùm Romuli lege de adulteriis ac more veterum, quem Tiberius reuocauit, agnati adulteras uxores p̄ suo arbitratu coercerent. & quidem satis audacter Cuiacius, qui P. Manutium fabrilia tractare iubet, quòd lege Romilia de adulteriis capitalem pœnam uxori à marito & propinquis infligi licuisse putet. ea tamen lex à Gellio his verbis concepta est: In adulterio uxorẽ tuam si deprehendisses impunè sine iudicio necares: illa te si adulterares, digito non auderet contingere, neque ius est. & in oratione Catonis de veteri mulierum victu & moribus: In adulterio u-

terio uxores deprehensas ius fuisse maritis necare. neque enim *ζημιωῶ* multare significat, ut voluit Cuiacius, sed quoquomodo punire. hoc verò planius intelligitur ex ipso Halicarnassæo, qui *ἄνδρα τὸν μεγέθυς τῆς τιμοφίας κέρειον* fuisse scribit adulterij & ebrietatis causa. quibus verbis ius vitæ ac necis tribuitur. quanquam mitius agi & à propinquis ultra ducentesimum lapidem relegari adulteras consueuisse scribit Tacitus libro II. idem Plutarchus & Strabo Parthos æquè ac Lacedæmonios mutuas uxores amicis dare consueuisse aiunt. sed eum morem non tulit opinor seueritas Romanorum: neque Appiano idem quoq; de Romanis scribenti assentior, cum in eorum antiquitate sæpius offendat. Nam libro secundo bellorum ciuiliū scribit Cæsarē cum Marcello in senatu dissentientem gladii capulo manum admouisse, ac minitatem senatui dixisse, Nisi dederitis, hic dabit: quæ verba sunt Antonij, cum eo tempore Cæsar esset in Gallia. idem P. Clodium cum Calpurnia Cæsaris stupri commercium habuisse, & in sacris bonæ Deæ deprehensum tradit, quæ ad Pompeiã pertinent. fuit autem Ægyptius: postea Romæ Aurelio principe forensium causarum actor, ut ipse in Libyco profiteatur. unus est tamen ex omnibus historicis qui Romanorū prouincias, opes, exercitus, totiusque imperij descriptionem ad intuendum velut in subiecta tabula proponit. Strabo quidem Plinius ac Rufinus prouincias attigerunt, opes omiserunt. sic enim in Libyco Appianus: Habent, inquit, Romani equitum quadraginta, peditum ducenta millia: armorū vim duplo maiorem. minorum nauium duo millia: triremes mille, quinqueremes quingentas: armamenta

*naualia multò plura, præter octoginta naues aurea puppe
 ac prora insignes, adhæc trecentos elephantes, & curruum
 armatorum duo millia. talentorum verò in thesauris Æ-
 gypti quattuor & septuaginta millia. sed magnam eius hi-
 storia partem amisimus. nam Siculus, Macedonicus, Hi-
 berius, & Cartaginensis desiderantur. Atque hæc Dio-
 nis Cassij opera sarciri poterat, nisi maior esset huius quàm
 illius iactura: tametsi Xiphilinus in epitomen quæ potuit
 coniecit. cum enim Dio totum vitæ suæ tempus in Repu-
 blica gerenda consumpserit, ac per omnes honorum gradus
 bis ad Consulatum euectus, deinde Procōsul factus pro-
 uincias summa cum sua laude gubernarit, magnam deni-
 que bonarum artium scientiam cum usu coniūxerit, quis
 dubitet eum inter optimos scriptores censere? profectò co-
 mitiorum ac magistratum Romanorum, totiusque publi-
 ci iuris disciplinam accuratè collegit. principum verò con-
 secrationes & ἀποθεώσεις vnus tradidit, & ea, quæ Tacit-
 us imperij arcana vocat, penè solus euulgauit. fuit enim
 publici consilij diligens indagator. videtur tamen ubi-
 que partes Cesaris aduersus Pompeium, & Antonij ad-
 uersus Ciceronem data opera tueri voluisse. illa verò por-
 tenta quæ in acie Marcomanorū contigerunt, Arnupho
 Ægyptio, non Christianis tribuit: cōtrà quàm Tertullia-
 nus, Eusebius, Orosius, Iustinus, Paulus Diaconus, ac
 Marcus ipse Aurelius in suis ad Senatū litteris testatur.
 Sunt qui Diodorum superioribus conferendum, plerique
 ante ferendum putant. non video tamen quid in eo tanto-
 pere admirentur: siue dicendi genus, quo nihil magis vul-
 gare dici potest, siue rationem historiarum spectent. rectè
 quidem*

quidem & ordine proponit ea quæ initio cuiusq; libri dicturus est, sequè ipsum breuiter colligit. ut videre est initio primi libri, ubi totum opus in libros XL partitur. sex prioribus tempus omne complectitur ante bellum Troianum. undecim sequentibus à bello Troiano ad Alexandri mortem. reliquis XXIII ab Alexandro usque ad bellum Gallicum. quod quidem tempus annos centum ac triginta. supra mille comprehendit; præter ea quæ fabulosa veteres appellant ante bellum Troianum. ex quo ad Heraclidarum reditum annos supputat XC. secutus Apollodorum. hinc usque ad primam Olympiadem CCC XXVIII. à prima Olympiade ad bellum Gallicum DCC XXX. hæc diligenter. illustrium quoque philosophorum historicorum ac poetarum ætates solus è veteribus ad historiam adiunxit. ut libro decimoquarto scribit Ctesiam à Nino historiarum initia duxisse, Archonte Lysiade: huius etiam libros sex Assyriarum, totidem Persicarum rerum, in quibus ab Herodoto ubique fere dissenserat, in unum collegit, nam Plutarchus, Pausanias, Athenæus & Græci fere omnes auctoritate Ctesiae utuntur. quanquam eius epitomen habemus. Thucydidem verò initium historiarum fecisse tradit Archonte Charite, Q. Furio, & M. Papyrio Cos. Ephorum ab Heraclidarum reditu ad Perinthi expugnationem: Theopompum ab anno primo Philippi Macedoniae regis, Archonte Callimede, Olympiade quinta & centesima, Cn. Genutio & L. Æmylio Cos. sed quod Diodorus in Theopompo, reprehendit, idem in Diodoro coargui potest. ait enim ex libris octo & quinquaginta, quique esse quorum dubia sit fides: ita ex libris

XL. Diodori quorum vix duodecim integros habemus, quinque priores pene ex fabulis conflati videntur, ut Viues nihil eo scriptore nugatius esse putet. tametsi primus est inter Græcos qui Plinij iudicio nugari desit. cum verò vniuersitatis historiam scribere proposuisset, totus est tamen in historia Græcorum. quin etiam prolixior est in vnius Gilippi Lacedæmonij concione (Laconicæ breuitatis, & sua in Thucydidem reprehensionis oblitus) quàm in historia bellorum quæ per Italiam gesta sunt annis fere trecētis: cum tamen longa digressione de peste Atheniensium & eius causis disputet. omitto quàm absurda sit eius interpretatio de anno Lunari, cum homines annos mille ducentos aliquando vixisse crederentur: quasi non his quoque temporibus hanc ætatem multi superarent. sed cum annos xxx. in historia scribenda & regionibus obeūdis se consumpsisse fateatur, miror cur Italiae finitimæ historias adeò negligerenter tractarit: præsertim cum florente Romanorum imperio, id est Cæsare dictatore, claruerit. nam si quis Liniū ac Dionysiū cum Diodoro comparat, ubique fere in Romanorum antiquitate discrepantes iudicabit: maxime in ratione Fastorum & Olympiadum, in quibus sepiissime labitur. idque fortassis imperitia linguæ Latinæ contigisse puto, quò minùs scripta Romanorum diligentius inquireret argumento est quod ubique Φερίον pro Furio scribit, quasi Græca vox esset. idem Ancum Horatiū pro Marco: S P. Manium pro Melio: Lactucā pro Lucretio: Trigeminum pro Tricosto. quod ut librariorum vitio tribuatur (sic enim opinor) non tamen potest in Consulibus, Decemuiris, ac Tribunis militum Consulari potestate eadem

excu-

excusatio habere locum, in quibus enumerandis modò tres modò quattuor omittit, totamq; Fastorum Consularium rationem confundit. sed hæc Caroli Sigonij & Onuphrij Panuini studijs ac labore facile possunt emendari. uterq; profectò in Romanorum antiquitatibus explicandis summam ingenij laudem est adeptus. In quo genere magnum etiam Cornelius Tacitus nobis attulit adiumentum. cùm enim à Tiberio vsque ad Neruam unius seculi res gestas conscripserit, omnia maxima, mediocria, minima studiosè persecutus est. libro quarto profitetur se nec bella, nec urbium expugnationes, nec fusos exercitus, nec certamina plebis & optimatum narrare, suumque laborem inglorium fore non tamen inutile. & paulò post, Nos sæua iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, & easdem exitu causas coniungimus. quanquam omnia bella quæ illis temporibus contigerunt, & quibus fere interfuit aut præfuit, studiosè describit. nec post Actiacam uictoriam ullus est historicus qui militarem aut foresem rationem copiosius tractarit. floruit enim diutissimè in militari urbanaque disciplina, & Proconsul Germaniam inferiorem obtinuit; quo tempore Germanorum mores, instituta, ritus tanta diligentia perscripsit, ut uni Tacito suam antiquitatẽ Germani acceptam ferant. est etiam gloria maiore dignus quòd Tacitus Augustus, qui ob summam sapientiam magna consensione Senatus ac legionum Imperator creatus est, ad hunc suæ stirpis originẽ detulit, eiusque libris bibliothecas omnes compleuit: tametsi efficere non potuit ut integrum haberemus. est autem oratio Taciti mirum in modum arguta & prudentiæ plena.

l argu-

argumento sit illud, Procluius est iniuria quam benefi-
 cio vicem exolvere, quia gratia oneri; ultio in quaestu ha-
 betur. quid autem de Seiano breuius & acerbius dici po-
 tuit, quam eius voluntatem non nisi scelere quæri potuisse?
 aut de Poppæa, maritos & adulteros non distinxisse, sed
 unde utilitas ostēderetur, illuc libidinem transtulisse? Vi-
 tellij stuporem, libidinem, temulētiam, crudelitatem acer-
 bē insectatur, sed nihil acerbē dici potest in eum qui præ-
 ter nature vitia, quæ in eo maxima fuerūt, legem incestus
 ac nuptias auūculi cum sororis filia Senatui persuasit. idē
 cū inter cadauera cæсорum ciuium iter haberet, nec quis
 quam præter eum teterrimum odorem ferre posset, palam
 dixit bene olere interfectum hostem; melius ciuem. Si de
 legibus & Repub sententiam Taciti exquirimus, quid
 grauius dici potest quam omne magnum exemplum habe-
 re aliquid ex iniquo, quod contra singulos utilitate publi-
 ca rependitur? Platō paulō aliter, Hydra caput eos ampu-
 tare, qui de legibus omnia incommoda detrahi posse opi-
 nantur. si forenses ac senatorias artes, si antiquitatem non
 Romanorum modō, sed aliorum quoque populorum quæri-
 mus, nusquam uberior seges. ut cū de fœderibus apud
 Armenios sancendis agit; Mos est, inquit, regibus impli-
 care dextras pollicēsque inter se vincire, nodōque perstrin-
 gere, mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, leui
 ictu cruorem eliciunt, atque inuicē lambunt. id fœdus ar-
 canū habetur, quasi mutuo cruore sacratum. quid multa?
 nullus profectō historicus magistratui ac iudici utilior vi-
 detur. sed me lacerat & conficit quorundam reprehensio,
 quæ refutatione minūs egeret, nisi auctoritate plurimum
 vale-

valerent. nam ausus est Alciatus historiam illam planè diuinã senticeta vocare, in ea epistola quam ad Iouium scripsit. & quidem propter asperum dicendi genus ab iis repudiari solet, qui leuiiores Grammaticorum nugas malunt, quàm grauiſſimas eorum narrationes qui totum vitæ suæ tempus in Repub. gerenda consumpserunt. quanquam nõ video cur Alciatus tantum virum cõtemnere; ipse de eloquentia triumphare debeat: nisi quòd Decius illum ex albo Iurisconsultorum eximens Ciceronianum vocauit: non aliter ac Hieronimus qui se ante Christi tribunal verberibus casum scripsit, quòd Ciceronianus esset non Christianus. sed hic verberibus; ille contumelia nullo suo merito affectus est. extra iocum. Budæus acerbè Tacitum scriptorem omnium sceleratissimum appellauit: quòd nõ nihil aduersus Christianos scripsit. sed quẽadmodũ Marcellus I. C. meretricem turpiter facere respondit quòd sit meretrix; non tamẽ turpiter accipere cùm sit meretrix: ita quoq; impiè fecit Tacitus quòd non fuerit Christianus: sed non impiè aduersus nos scripsit, cùm gentili superstitione obligaretur. ego verò impium iudicarem nisi quancunque religionem veram iudicaret, non eam quoq; tueri & contrarias euertere conaretur. cùm enim Christiani & Hebræi quasi venefici & omnibus sceleribus ac stupris infames ad supplicia quotidie raperentur, quis historicus à verborum contumeliis abstineret? quòd si excusationem meretur ignorantia, profectò excusandus est Tacitus, qui Iudæos ab Ida monte Cretenſium quasi Iudæos deducit: ut Nicolaus Damascenus qui Hierosolyma quasi ἱερὸσὺλα παρὰ τὸ ἱερὸν συλῆν dici putat. Hoc igitur si scelus est,

multò maiori scelere obligaretur *Vlpianus* qui septem libros de *Torquēdis Christianis*, non ad historie cognitionē, sed ad suppliciorum acerbitatem scripsit. Sceleratus quoque *Tranquillus* ubi agit de *Christianis*: cuius tamen historia tantopere laudatur, ut æqui rerum æstimatores nihil unquam accuratius ab ullo historico scriptum fateantur. Non placet quibusdam quòd leuissima quæque persequitur: sed in principum dictis & factis, nihil leue, nihil paruum videri debet; propterea quòd in vulgus manāt, & principis exemplo mores populi semper reguntur. hoc fortassis improbari potest, quòd fœdissimas quasque principū libidines nimis studiosè consecratur, quas *Corn. Tacitus* omisit. sed in eo genere longè à *Lampridio* superatur. is enim tot portenta nouarum voluptatum ab *Heliogabalo* inuecta describit, ut non magis ea narrare, quàm unicuique ad imitandum proponere videatur. uterque tamen in intima principum aula educatus est; presertim verò *Tranquillus* qui *Adriano* fuit ab epistolis, ex eoque statu depulsus, quòd cum Imperatoris uxore familiaris egisse ferebatur, quàm decus aulicæ consuetudinis postularet. nam qui consequentium Imperatorum vitas ordine scripserunt, scilicet *Dio Spartianus*, *Capitolinus*, *Herodianus*, *Trebellius*, *Vopiscus*, *Eutropius*, *Lampridius*, *Volcatius*, *Amanus*, *Pompon. Latius*, *Orosius*, *Sext. Aurelius*; non eo fuerunt gradu quo *Tranquillus*: idque ingenuè *Vopiscus* confitetur, cum *Tranquillum* emendatissimum scriptorem appellat. ac meritò. sic enim scribit ut nec dignitate cuiusquæ, nec viriis, nec ulla omnino perturbatione commoueri videatur. *Caligule* virtutes animi, & corporis tantas initio contigisse

rigisse scribit, ut nemini maiores: eiusdem tot ac tanta vitia quæ postea consecuta sunt commemorat, ut nullum in natura monstrum fœdius fuisse videatur. idem Neronis laudabile quinquennium prædicavit. Claudium adeò stupidum fuisse scribit, ut illum pro tribunali sedentem leues causidici stultum appellarent. eiusdem nobile iudicium illud commemorat quo fœminam filium non agnoscentem, dubia utrinque argumentorum fide, indicto matrimonio filij ad confessionem impulit. quid ab ipso sapientiæ magistro Salomone potuit sapiētius iudicari? Non idem fuit in Herodiano studium veritatis inquirendæ: nec fere potest eiusdem principis virtutes ac vitia recensere, ac sæpius erroris coarguitur à Spartiano & Capitolino. Est etiã in Tranquillo plurima Romanæ vetustatis & antiqui iuris imago, multæ leges, edicta, senatuscõsulta quæ nusquã alibi reperiuntur. quæ verò qualisque fuerit principum cognitio ac iurisdictio, solus penè Tranquillus cum Tacito scribit: ex quo plurimum lucis accedit ad scripta iuriscõsultorũ. His, opinor, cõmode Velleium Paterculũ coniungemus, qui præter liberalem eruditionem, magistratus & honores maximos domi ac militiæ gessit. ut enĩ dicendi genus, quo nihil purius ac suavius fluere potest, omittã; antiquitates Romanorum ab ultimo principio tanta breuitate ac perspicuitate (siquidem integer extaret) comprehendit, ut nemini secundus esse videatur. laudes etiam illustrium virorum egregia quadam oratione & magno viro digna cõmendare solet, ut videre est in laudibus Pompeij, Cesaris, Ciceronis. quæ tamen ab eo scripta sunt, non historiæ, sed propositionis locum habent, ad uniuersa hi-

6 de h. h. ay

storiæ comprehensionem. Atque huius exemplo G. Bella-
 ius Prorex insubrum, breui libello Gallorum antiquitates
 complexus est, ad historiæ formam vel potius $\chi\nu\nu\omicron\gamma\epsilon\alpha\phi\lambda\alpha\nu$
 qua historiarum scriptoribus singulare quoddam exēplar
 dedit ad intuendum & ad imitandum. scripsit etiam La-
 tino ac vulgari sermone Caroli V. Imperatoris expeditio-
 nem in Prouiciam mira quadam ingenij ubertate ac pru-
dentia. neque verò alius esse potuit cum ingenij vim acer-
rimam, summam eruditionem, & incredibilem rerum ge-
rendarum usum haberet. totum enim vitæ suæ tempus in
 consilio principis, aut in obeundis legationibus, aut in mu-
 nere imperatorio, aut in optimarū artium studiis consum-
 psit. deniq; perfecisse dicitur ut Gallica nobilitas non mi-
 nùs litterarum quàm armorum gloria floreret, primusque
 apud nos arma litteratis, & litteras dedit armatis. sed ne
 quis meum ciuem (fuit enim natione Andegauus) à me
 plus æquo laudari putet, multò plura Sleidanus ; qui cum
 hominem omni genere laudū cumulauisset, tum verò Gal-
 licæ nobilitatis decus appellauit. hūc igitur Polybio, Thu-
 cydidi, Xenophonti, Cæsari, Tacitò coniungemus, in eo
 maxime quòd rerum causas, initia, progressus, inclinatio-
nes, atque omnia omnium consilia, dicta, facta iustissimis
ponderibus examinauit . nec refert ad historici delectum
 quòd hic noster pauca scripsit, cum ex ungue leonem. Co-
 piosè Guichardinus, quem ad illius imitationem scripsisse
 putarem, nisi iisdem quibus ille temporibus florisset. ac
 tametsi finibus Italiæ semper sese continuit, nec bellicis lau-
 dibus cum Bellaio comparari potest, attamen in scribēda
 historia iudicio grauissimorum virorum suos æquales (at-
 que

6 de fac. d. v. ay

que haud scio an veteres quoq; historicos) superavit. nam ubi quid in deliberationem cadit quod inexplicabile videatur, illic admirabilem in differendo subtilitatem ostendat, & graues ubique sententias veluti sal accommodatè perspergit. & ut pauca de multis colligam; cum militaris & urbanae disciplinae peritissimus esset, nostros homines imprudentiae tacitè coarguit, quòd armis imperia facile propagarent, ea tamen retinere non possent: nec viderèt partū imperiū iis qui domestica disciplina uti nescirent, non modò inutile, sed etiam graue ac perniciosum semper fuisse. egregia sanè & magno viro digna sententia, quae utinā principibus bene cognita esset. alio loco Venetorum arguit imprudentiam his verbis; Veneti perturbatis Italiae rebus bellorū exitum otiosè spectabant, ut ipsi quoque praedam abigerent, rati fore neminem qui se laceßere auderet. at potentiorē esse aut cum potērioribus in eadem amicitia conspirare oportet. quae reprehensiones nihil habent contumeliae vel acerbitatis. nullius verò nisi mortui nomen laude prosequitur aut vituperatione, idque facit sine ulla perturbati animi significatione: ut videre est in Leone Pontifice, à quo magnas opes, maiores etiam honores ac magistratus adeptus erat (ab eo enim legionibus sacris & prouinciis ecclesiasticis cum summo imperio praefectus est) nihilominus principem fuisse scribit, in quo multa laudare, multa vituperare possis. quinetiam eius perfidiam aduersus Franciscum regem in foedere percutiēdo solus detexit. neque tamen Carolo V. minùs infidum fuisse tradit quod eius ope Gallos Italia expulisset, ut postea Hispanos facilius eiceret. quid autem de Ferdinādo verius dici potuit, quàm

quàm omnes suas cupiditates religionis ac publicæ utilita-
tis specia texisse? aliud argumentum est eius integritatis
& animi aegritudine vacui, quod cùm Gallis vehemēter
infensus esse debuisset (ab iis enim diutissimè obsessus est
cùm Parmam strenuè tueretur, ac de vita deque fortunis
omnibus periclitaretur) nihilominus tamē Pauli Iouij de
morbo quem Gallicum vocat ortionem refellit. par est, in-
quit, Gallorum nomen ab hac infamiæ labe vindicare; cū
Hispani ab Hesperis insulis in Italiam hoc morbi genus
inuexerint. est autem mirum in eo studium veritatis in-
quirenda. nihil enim temere, sed omnia necessariis argumē-
tis confirmat. fertur enim epistolas, decreta, fœdera, concio-
nes, ex ipsis fontibus hausisse & expressisse. itaque frequē-
ter occurrit illud LOCVTVS EST IN HAEC VERBA:
aut si verba ipsa defuerit, LOCVTVS est in hanc fere sen-
tentiā. quò fit ut Iouio planè dissimilis sit, qui ut magnā
historiæ partem; ita conciones vel potius declamationes
scholasticorum in modum finxit. argumento est concio Ba-
lionis ei planè contraria quam Guichardinus ab exēplari
descripsit. fuit enim & rerum, & locorum, & personarum
atque adeo consiliorum & factorum tam diligens inuesti-
gator, ut omnes Italiae vrbes, municipia, castra, fluuios,
quodque maximum duco, publica monumēta penitus in-
spexisse videatur. quæ verò fama dissiparat in vulgus,
nusquam pretermisit. ut in acie Mariniana qua Galli
Heluetiorum exercitum fregerūt, caesorum numerum sci-
re non potuit; propterea quod, inquit, magna pars inuidia,
vel studio, vel errore ducebatur. plerique XIII. Helue-
tiorum millia: nonnulli decem: alij octo: fuere qui tria dū-
taxat

taxat millia referrent. cum autē scripserit res in Italia gestas annis fere XL. externa modicè, aut etiam intra modum attigit. Turcarū quoq; ac Persarum bella, quæ multò meliùs illi quàm Iouio nota fuerunt, prudens omisit, ne de rebus parū sibi compertis temere affirmaret. sed ne penitus ignorarētur; ita leuissimè cōmemorat; Ferebatur Selimus Syriam & Ægyptū inuasisse. videtur tamen nonnullis aliquantò prolixior: sed iis qui statum Rerumpublicarum atque omnino casus humanos intueri volunt, breuissimus: propterea quòd nulla pars orbis terrarum plures casus, aut maiores Rerumpublicarū conuersiones illis temporibus pertulit quàm Italia. at illud quanti est ab eo tantarum rerum veritatem intelligere, qui totius Italiæ consensu summa prudentia, eruditione, integritate, rerumque gerendarum usu floruisse fertur? nam cum alius aliter & fere suo quisque arbitrato fingeret historias, unus inuentus est qui tam altè edificauit, ut non modò leuissimorum hominum, sed etiam Iouij ac Bembi luminibus obstruxisse videatur. Vt enim Bembus vir clatus, & in luce totius Italię diu multūque versatus sit (omitto singularē eius eloquentiam) nihilominus aut multa in gratiam suorum ciuium aliter atque gesta sunt scripsisse, aut certè Guichardinus sæpe mentitus esse conuincitur. cuius rei unum aut alterum argumētum sit, quòd cum Galli ad Forum Nouij auxiliares Venetorum copias fudissent, ferroq; ut dicitur, viam sibiipsis aperuissent; Bembus nec victos, nec victores fuisse scribit, & eorum in Galliam reditum fugam appellat. Guichardinus argute hunc in modū; Si vincere est ea re potiri cuius causa bellum suscipitur, Galli uim cerunt,

cerunt, cum ob eam duntaxat causam praelium suscepissent, ut in Galliam Rege incolumi redirent. cum igitur hostes in fugam conuerterent, partim prostrauerint, partim in Tarrum flumen adegerint, seque in patriam tuto receperint, quis de victoria querendum putet? rei quoque veritatem dissimulauit Bembus in praelio Rauenati, cuius victoriam tam claram & illustrem nemo Gallis unquam praecepit. Militum, inquit Bembus, & equitum millia supra decem & octo interfecta sunt, pari fere utrorumque numero, fortuna dispari. quod igitur Venetos nunc Italiae columnen, nunc publicum orbis terrarum ornamentum vocat, ac eorum modo equitatem, fidem, modo magnificentiam & opes, uniusque nauis Venetae incredibilem aduersus Turcarum opes fortitudinem, omnium denique ciuium pietatem, modestiam, religionem, prudentiam ubique extollit; rem facit non tam bono historico, quam bono ciue dignam. quod vero Gallos ubique verborum contumelia insectatur; quod nihil sanctum ab illis aut tutum fuisse; quod fidem Venetis & Alfonso Aualo datam fregisse tradit; scriptoris est non se ipsum laudantis, sed vituperantis. ac siquidem militari iure infamis est qui nationem verborum contumelia violauit, quanto magis hoc historico fugiendum? praesertim si in eo ipso quod aliis obiicit, falsa pro veris tradere conuincitur? nam Guichardinus, violati foederis crimen in Venetos regerit: non tantum propter perfidiae nimiam aduersus Gallos suspicionem, sed etiam quod Aluianum acerrimum Gallorum hostem, non modo triumphantem de Gallis in urbem admiserant, sed foederis quoque legibus complecti rege Gallorum inuito conarentur. quae igitur de perfidia Gal-

Gallorum oratoriè scribit, tam vera sunt quàm in Appul-
lia bello Veneto coruos ac vultures tanta ex aère vi, tan-
tisque agminibus inter se cõflixisse, ut carri duodecim eo-
rum cadaueribus explerentur. qua de re non ambigit Bē-
bus, sed planè affirmat. & verò cùm inuitus, ut ipse testa-
tur, annosque natus sexaginta ad scribendū se contulisset
eum laborem, quem in historia scribenda quaerimus, agrè
ferebat: Tædet me, inquit libro quarto, eius belli leuiora
consecrari. quis enim legat sine fastidio singula? hæc planè
sunt oratoria: cuiusmodi est etiam Lauredani concio ad-
uersus Minium, qua nihil fieri potest ornatius. puritatem
enim dictionis ita consecratur, ut verbis quidem parum
Latinis, sed tamen ad significandum necessariis uti nolit.
Turcarū Imperatorem regem Thraciæ, quæ vix ceterima
pars est eius imperij; & Mediolani Ducem, regem quo-
que vocat. id quidem Latinè, sed non satis, opinor, ad id
quod decuit accommodatè. At Bembi omnino dissimilis
est Procopius, qui ornamenta historiarum & Græci ser-
monis puritatem aut nescisse, aut neglexisse videtur: sed
quæ ad historiam pertinent singula commemorat, ac res
quoque leuissimas magno studio consecratur. & quoniam
in rebus gerendis perpetuus Belisarij comes, ac totius pu-
blici consilij particeps fuit, sæpius etiam pro Republica le-
gationes obuit; denique mediocriter est à doctrina informa-
tus, non dubitem illum inter selectos recensere. cùm verò
singulas epistolas, decreta, fœdera, conciones vario dicen-
di genere ac stilo describit, magnū verissimi scriptoris præ-
bet argumētum: nisi quòd suum Belisarium sæpius quàm
decuit, & ineptis plerunq; laudibus oneravit: ineptius quo-

que eadem Constantiani, qui apud Iustinianum stabuli magistrum egit, Belisarij iussu perpetrata ita excusavit, ut in fatis esse diceret Constantianum sic mori debuisse. ridiculas quoque XXX. porcorum & statuæ Theoderici coniecturas eximo; quodque Thulen decies Britania maiorem facit, quæ tamen altero tanto minor est. sed illud fidem omnium superat; cineres Vesuuij motis, qui citra Neapolim situs est; Bizantium usque vento delatas, ac populum ita exterritum, ut annuis supplicationibus Deum placaret. quæ prodigia sapiunt Græcam vanitatem, & historicis non modò prophanis, verumetiã ecclesiasticis fidem sæpe derogarunt. Plenus est eiusmodi fabulis Nicephorus Callistus, quibus etiam Zonaras, alioqui probatus historicus, & Nicephorus Gregoras sæpe delectantur: ac interdum Eusebius Cæsariensis: cuiusmodi est illud quod se vidisse omni asseueratione confirmat; Plantam in basi qua nitebatur ænea Christi statua (quam ante annos CCC. fœmina sanguinis profluuio curata SERVATORI dicar) sponte natam, quæ cum primum extremam statuæ vestem attigisset, omnia morborum genera curabat. Talibus nugis referti sunt Antonini, Adonis, Saxonis Grammatici, Sigeberti, Phreculphi, Naucleri, Mariani, Merlini, Urspergensis, Annonij, Turpini, Guaguini, ac veterum annalium libri; quibus tamen omnino carere non possumus: in eo genere tamen alij aliis longè præstant. Nam Gregorius Turonensium, Antoninus Florentinorum, Guilielmus Tyri Pontifex, Abbas Urspergësis, historias tam etsi portetis ac miraculis refertas; utiles tamen ac fructuosas scripserunt, præsertim illis tēporibus quibus barbaries

omnia

omnia cumularat. fuerunt etiam in Republica gerenda & publicis consiliis diu multumque versati. aliorum reliquias veluti gemmas è stercore colligere debemus, si desunt meliores. qui enim Tartarorū gesta scripserit præter Paulum Venetum & Haytonum habemus fere neminem: ea tamen exigua sunt, & fabulis confusa. verior Haytonus. detrahamus igitur de Paulo Veneto quòd mare Caspiū piscibus semper vacuum est, præterquam ieiunij temporibus: quòd urbis Quinsææ ambitus superat milliaria septuaginta: quòd eadem duodecim millia pontium habet tantæ altitudinis, ut naues onerarias explicatis velis facile admittant: quòd Zipangrini aduersus hostium exercitus annulis utuntur, quorū ea vis est ut inuiolabiles sint. his detractis Tartarorum gesta, mores, leges, ac regionis descriptionem utcunque intelligemus. At Fr. Aluarezus multò maiori fide ac diligentia res Æthiopū primus scripsit, quæ nunc à peregrinis & optimis quibuscque scriptoribus probantur, nec sine magna voluptate leguntur. Consimiliter Zieglerus, Cromerus, Crætius, Olaus, Gothorū Saxonum, Neruiorum, Sarmatarum seu Polonorum, ac Danorum historias antea incognitas euulgarunt. cæteri quidem valde probabilia; Olaus sepe incredibilia narrat. sunt tamen nonnulla quæ scriptorum ac testium multitudine & consensu quodammodo persuaderi possunt. nam quæ de Neruiorum (hi nunc Liuones appellantur) in lupos configuratione & μέτεμ. λυχώσεα ab Herodoto, Pomponio Mela, & aliis historicis olim peruulgata sunt, ea iuniores comprobarunt. hoc enim Gaspar Peucerus vir magnæ eruditionis & minimè vanus, tum etiam Linguetus

non minùs doctrina quàm diuturna totius Europæ peragrati-
 one clarus, se ab incolis accepisse mihi confirmavit. quod
 utrũ fiat occulta quadã vi naturæ potentis, ut de Parrha-
 sio traditur: vel ultione diuina, ut de Nabuchodonosore;
 nondum mihi compertum est. Aluaresium proximè secu-
 tus est Leo Afer. hos igitur cùm Pomponio, Strabone &
 Pausania propter scribendi rationem geographicos
 appellare soleo, propterea quòd historiam unã cùm geo-
 graphia complectuntur. Strabo quidem respublicas & im-
 peria orbis terrarum leuiter attingit: Pausanias uniuersa
 Græciæ prouincias, Rerumque publicarum status & con-
 uersiones, populos, vrbes, castra, fluuios, montes, vertices,
 fontes, fana, statuas tam curiosè describit, ut in eo genere
 omnium superarit opinionem. ita quoque Leo Afer gene-
 re Maurus, natione Hispanus, religione Muhamedicus,
 deinde Christianus; postea quàm totam pene Africã & A-
 siã minorẽ, bonam quoque Europæ partẽ diuturnis itine-
 ribus obiisset, captus est à piratis, & Leoni Põtifici Max.
 dono datus, apud quem ea quæ incredibili studio ac dili-
 gentia de Africa, deque Africæ populorum moribus, legi-
 bus, institutis, totiùsque regionis situ ac descriptione Ara-
 bica lingua composuerat, in Italicam transtulit. militarem
 disciplinam leuiter tractat: sed offensiones & victorias
 imperatorum inter ipsos sine ullis concionibus & ornatu,
 non ut historicus, sed quasi geographus breuiter cõmemo-
 rat: ac perpetua rerum nouarum voluptate inuitum deti-
 net lectore. nihil admodum incredibile narrat præter Asi-
 ni Ægyptij, vel potius aurei, stupendam docilitatem.
 quòd enim se vidisse affirmat ouium Ægyptiarum caudas
 quæ

quæ pondere libras quinquaginta, interdum verò centum viginti æquarent, cum Bellonio & Hieronymo Cardano cōsentanea scribit. profectò unus est ex omnibus qui Africam post annos mille infœlici barbarie ac nostrorum hominum ignorantia sepultam aperuit, & omnium oculis patefecit. His coniungo E. Leandrū & Munsterum quorū alter uniuersam Italiam; alter Germaniam in tabula veluti sub aspectum collocarunt, & populorum historiam cū geographia coniunxerunt. sed cū Munsterus suam Germanographiam inscripserit cosmographiam: totus est tamen in Germanorum & Heluetiorum regionibus, oppidis, situ, & populorū origine ac descriptione, quibus detractis nihil fere orbi terrarum uniuerso reliquum sit. Sed animaduersione dignū est quòd omnes non modò historici, sed etiam geographi quos mihi legere contigit (excipio Ptolemæum) insularū ac regionum magnitudinem ex ambitu colligunt: & quarum circuitus æqualis est aut maior, æquales esse putant aut maiores: quo nihil absurdius dici potest. id tamen necessarium plerisque, ac mihi sepe visum est, quòsque geometrica demonstratione animaduerti sæpissimè fieri ut unius insule circuitus triplo maior sit alterius circuitu, cuius tamen decuplo minor sit magnitudo. Ut autē Geographistorici, regiones cum historia: sic Philosophistorici rerum gestarum narrationem cum sapientie præceptis cumularunt. in quo genere Xenophōtis magna laus est, eoque maior, quòd neminem habuit quem imitaretur, ut Velleius scribit de Homero; nec postea fuit qui illum imitari posset. hūc secutus est Plutarchus, deinde Laertius, postea Philo Iudæus, quem inter & Platonem, opi-

nor, ve-

nor, veteres non modò præiudiciũ, sed planè iudicium tulerunt. Huius æqualis Iosippus laude quidem philosophiæ secretioris inferior, antiquitatis tamen cognitione longè superior videtur. & quidem miratur Hieronymus tantũ Græcæ antiquitatis in homine Iudæo fuisse. id autem ex libris eius contrà Appionem Grammaticũ intelligi potest. in quibus scripta Mosis (tametsi ad fidem faciendam se ipsa contenta sunt) Græcorum, Persarum, Ægyptiorũ & Caldæorum testimoniis ita confirmauit, ut nihil ad origines intelligendas utilius scriptum esse videatur. quæ verò de hominũ ætatibus à Mose prodita sunt, ne cuiquam incredibilia viderentur, duodecim historicorum auctoritate confirmauit. populum verò Hebræorum antiquitate, fide, religione, doctrina, integritate populis omnibus superiorem facit, non tantum ut gloriam suorum ciuium inter mortuam; sed etiam ut rei veritatem ab obliuione vindicaret. nam ex eius scriptis Herodoti, Diodori, ac Iustini fabulæ refutari facile possunt. Iisdem tẽporibus, Hegeſippus Iudæus bellum Iudæicum libris quinq; complexus est, quos Ambrosius Latinos fecisse fertur. veriùs tamen ac meliùs Iosippus qui non modò affuit, sed etiam præfuit, & captiuus à Vespasiano ac Tito ius ciuitatis & nomen Flauie gentis ac statuã adeptus est. in eo certè fuerunt historici virtutes illæ, quas antea diximus: summa eruditio, eximia integritas, & maximus rerum agendarum vsus. quãta verò integritate ac fide scripserit, ex eo planũ est quòd qui religione Iudæus esset, de Christo grauè imprimis ac laudabile testimonium tulit. at ecclesiastici fere scriptores cum de aduersariis nostræ religionis scriberent, tantis odiis

exar-

Hegesippus

Iosippus

exarserūt ut non modò laudes eorum obruere, verumetiā omnibus contumeliis lacerare conarētur. argumento sit Iulianus Augustus, is qui transfuga usurpatur, qui tamen si capitali odio ac suppliciis omnibus dignus esset, quæ tamen ab eo præclare gesta sunt, historias scribentem non decuit præterire, quòd nostri fecerunt. In quo certè Amiani Marcellini candorem ac studium inquirendæ veritatis imitari debuissent. is enim principū virtutes ac vitia, ut optimus quisque scriptor, summa fide notavit. Iulianum accusat quòd religionem Christianā absolutam ac simplicem (sic enim loquitur) anili superstitione cōfudisset: quòd Christianis litteras crudeliter ademisset: quòd Palatinos Constantij comites occidi iussisset. eiusdem tamen virtutes egregias oratione singulari commendavit; summam temperantiam, fortitudinem, continentiam, sapientiæ studium, ac iustitiam opinione maiorem. quæ grauißimis exemplis ac testimoniis confirmat: cuiusmodi est illud cū Delphidius Gallus orator acerrimus, Numeriū Narbonēsis Gallia Præsidem apud Iulianū, qui tūm Lutetiæ agebat, vehementer accusaret, ac testiū inopia premeretur, tūm Delphidius; Ecquis florentissimè Cæsar nocens erit vsquam si negare sufficiet? cui Iulianus; Ecquis innocens erit si accusasse sufficiet? fuit autem Amianus natione Græcus, & ut ipse cōfiteretur, miles; Vrsicini magistri equitum comes perpetuus: quique omnibus fere bellis quæ à Romanis in Europa & Asia suis temporibus gesta sunt interfuit. & ea quidem integra restāt libris XVIII. comprehensa; id est ab anno trigesimo imperij Constantij vsque ad exitū Valentis. nam superiores tredecim ex aliorum scriptis facile

Iulianus apostata

gesta Iulianij

sarciuntur. ceperat autem à Nerua in quo desierat Tacitus; quem unum ex omnibus ad intuendum & ad imitandum sibi proposuisse videtur: hoc tamen ab eo differt, quòd Tacitus Romani sermonis dignitatē, ut tempora ferebāt, assecutus est; Amianus verò Latinis verbis, ac sæpius ne Latinis quidem Gracè scripsit. & à re proposita longius ac sæpius digreditur: quo tamen vitio summi quoque viri laborant: idq; in ipso Cicerone Possidonius grauitè nota uit. sed huic reprehensionì Amianus si non Latine, satis tamen ad id quod voluit accommodatè hunc in modum occurrit; Quòd autem est, inquit, paulo prolixior textus, ad sciētiam proficiet plenam. quisquis enim affectat nimiam breuitatem ubi narrantur incognita, non quid signatius explicet, sed quid debeat præteriri scrutatur. Ex hac igitur historicorum tanta varietate singularem delectū adhibere pro suo quemque iudicio necesse est, ne in tam breui huius vitæ curriculo, scriptorū multitudine obruamur. nā si perspectum habebimus Polydorum de rebus Anglicis (tametsi Scotis & Francis valde suspectus est) Rhenanū de Germanis, Amylium de Gallicis verissimè scripsisse, non magnopere laborādum erit de Beda, Guaguino, Gazzo, Saxone, & eiusmodi scriptoribus qui res easdem incōditè scripserūt. ac nescio quo nature genio contigit, ut cum iisdem temporibus maxima historicorum ubertas efloruisset; sic euanesceret eodem pene momento. scribit enim Plutarchus trecentos historicos Marathoniā pugnam scripsisse: ita res Italicas superioris ætatis XXX. fere scriptores litteris prodiderunt. unum tamen Guichardinum, cuius omnium opinione perspecta fides est, omnibus ante ferendum

dum putem. & nunc tota pene Europa historicorum multitudi-
 tudine abundat, qui res quasque leuissimas scribunt: cum
 multis ante seculis habuisset fere neminem. sed ne infinitum
 sit omnes omnium commentarios euoluere, optimum quæ-
 que iis quas diximus, vel etiam melioribus cōiecturis af-
 sequemur. Atque hæc de historicorum delectu: quæ sic à me
 scripta uelim, ut integrum cuique iudicium relinquatur.

DE RECTO HISTO-
 riarum iudicio. cap. quintum.

LOCVS hic postulare uidetur ut de recto
 historiarum iudicio dicamus. si enim ea fuisset
 in iis, in quibus summa esse debuerat, opinio
 ueritatis ac fides; nihil erat cur de historia du-
 bitare, aut assensionem cohibere oporteret: sed quoniam
 tanta est historicorum inter ipsos discrepantia, ut non mo-
 do alij ab aliis, uerumetiam à se ipsi plerunque uel studio,
 uel animi egritudine, uel errore dissideant: statuendum
 nobis est in uniuersum quæ qualisque sit omnium, aut ma-
 ximè illustrium populorum natura, ut historiarum ueri-
 tatem iustis ponderibus examinare, ac de rebus singulis re-
 ctius iudicare possimus. Atque id paulò aliter faciendum
 nobis est, quàm Diodorus, Volaterranus, Calius, Sabelli-
 cus, Boëmus; qui de populorum variis legibus, religioni-
 bus, sacrificiis, epulis, institutis leuissimè scripserunt, de qui-
 bus tamen, quod in infinita sunt uarietate, ac paulo mo-
 mento per sese uel principum arbitrio mutabilia, nihil cer-
 tum statui potest. queramus igitur illa quæ non ab homi-
 n u num

num institutis, sed à natura ducuntur, quæq; stabilia sunt, nec unquam nisi magna vi, aut diuturna disciplina mutantur; & mutata nihilominus ad pristinam redeunt naturam. quo de genere nihil à veteribus scribi potuit, cum regionum ac locorum, quæ non ita pridem patuerunt, penitus essent ignari: sed tantum quisque affecutus est quantum probabili coniectura potuit. Primum igitur explicabimus naturam populorum qui ad Septentriones & Austrum positi sunt: deinde eorum qui ad ortum & occasum: post etiã propria loca, montana scilicet, palustria, ventosa, quietatim quanta vis in est in disciplina ad immutandam hominum naturã: postremò Ptolemæi ac veterum errores confutabimus, qui mores populorum ad Zodiaci partes, quas cuique regioni tribuunt, referri putant oportere. quibus intellectis ac perceptis, magnã partem historiarum intellectam perceptamque fore confido. atque haud scio an ulla disputatio magis ad uniuersam historiarum cognitionem & incorruptum earum iudiciũ necessaria videatur. Sed imprimis illud statuo, nullam esse locorum aut celestium siderum tantam vim, quæ necessitatem sit allatura (quod nec cogitare quidem fas est) ab iis tamen homines sic affici, ut naturæ legem nisi ope diuina, aut diuturna disciplina superare non possint. falsum est enim quòd Galenus & Polybius affirmant; aëris temperiem necessario nos immutare. Tradunt igitur veteres uno fere consensu homines ad Aquilonem positos corpore quidem maiores ac robustiores; ad meridiem verò imbecilliores, aliis tamen ingenio præstare. id autem usu diuturno compertum, propterea quòd facilis est eius rei animaduersio: sed quousque vis illa Septentrio-

ptentrionum & Austri pertineat: quid ortum & occasum
 finiat, quidue de moribus ac insita cuique natura sentien-
 dum sit, difficile dictu est, eoque difficilius quod nullus est
 qui in tantis tenebris facem prætulit. Nam Hippocra-
 tes, cuius summa semper fuit autoritas, homines ad Septē-
 trionem exiles, & fuscus esse tradit. Aristoteles in questio-
 nibus æquè barbaros esse, qui æstu, atque ij qui frigore ni-
 mio rigent: quæ superioribus valde repugnare videtur. nã
 quomodo ingeniosi sint Australes & barbari: verè tamen
 uterq; sed ut planius intelligi possint, constituamus quat-
 tuor huius hemispherij fines; Austrum in æquatoris circu-
 lo, Septentriones in vertice poli, ortum in insulis Moluca-
 rum, occasum in insulis Hesperidum. Strabo aliter: Indos
 in ortu, Celtas in occasu, Scythas in Septentrione, Æthio-
 pes in Austro collocavit. Ptolemæus ab illa partitione non
 longius discessit. sed non ita pridem compertum est anti-
 quos vehementer in eo lapsos esse. negant etiam mathema-
 tici, ortus aut occasus ullum esse discrimẽ. quàm verè, suo
 loco dicemus. nunc satis est à nobis ortus & occasus medi-
 um in America collocari, quod ea regio ab India & Afri-
 ca infinitis spatiis diuellatur. Septentrionis verò & Au-
 stri medium esse. Æquatorem, quod ad uniuersitatẽ atti-
 net: huius autem hemispherij quod citrà Æquatorem est,
 quintum & quadragesimum latitudinis gradum: ut quic-
 quid infra supraque polum versus interiaret, Septentrio-
 nibus: cætera Austro tribuantur. & quoniam antiqui,
 præter Possidonium & Auicennam, hominum sedes tro-
 picis & polaribus circulis definierunt, rati vl. erius nullũ
 salutis esse, aut habitandi locum: eripiendus est hic error.

compertū est enim crebris nauigationibus *Æquatoris* saluberrimam esse regionem: sub *Tropicis* verò regiones incredibili æstu flagrare, & quidē ratio est in promptu. nam sol euehitur altius in *Æquatore*, ac multò celerius fertur, propter circuli magnitudinē, quàm in *Tropicis*. quinetiam *Aluaresius* scribit aquas illic Iunio mense cōcrescere gelu, modò flauerit *Auster*. accedit imbriū magna vis, montiū incredibilis altitudo ac sylvarum copia. postremò color & vultus hominum minimè ater, sed velut olearum. contrà verò sub *Tropicis* vehemētēs æstus, nulli imbres, nullæ syluæ, rara flumina, perpetua planicies arenarum, præterquã in *Arabia* fœlice & quibusdam *Indiæ* locis, propter orientis & montanæ regionis naturam. denique incolarū atracutis, non modò *Æthiopum*, sed etiam *Indorū*, ut *Ctesias* iampridem ac nostri experti sunt. vix enim persuaderi possum, quod quidem vir doctus tradit, ab execratione *Chusis* homines atros fieri. ac iampridem irrisa est *Herodoti* sentētia, qui *Æthiopum* semen nigrum esse putauit. oporteret enim *Æthiopes* in *Scythia* nigros, & *Scythas* in *Æthiopia* candidos nasci: cū omnes populi coloniarum multitudine ac frequētia confusi iampridem fuerit. at videmus homines equè ac stirpes mutato solo paulatim degenerare. & eandem esse rationem, cur ignis & sol, id quod *Aristoteles* tradit, homines inficiāt atro colore. quinetiam *Plinius* scribit *Leones* in *Æthiopia* nigros esse, qualem se vidisse testatur *Oppianus* poëta in libris de venatione. quos ego libros cū Latino versu & commentariis illustrasse, quidam grāmaticus eosdem libros oratione soluta, quantum libuit de meo labore detrahens, iterum peruulgauit.

gavit. Vt igitur veterum errorem fugiamus, triplicem regionem ab *Æquatore* ad *Polum*, quæ nonaginta partibus constat, æquali ratione cōplectemur, sic tamē ut XXX. partes calori, totidem frigori tribuamus: restabūt triginta temperatissimę regionis in qua cōmodē beatēque viui possit, præterquam in iis locis quæ vel præruptis montibus aspera, vel paludibus immersa, vel ariditate deserta, vel aquarum aut soli vitio perniciosa & infrugifera sunt. est enim tāta soli ubertas in quibusdam Tropici regionibus, ut incolæ cali graues iniurias minūs sentiāt. rursus triginta partes caloris ac frigoris regionisque temperatæ bifariā diuidemus. ut quindecim citrà *Æquatorē* temperatiores sint: quindecim circa *Tropicum* ardentiores: & in regione temperata, quindecim priores lenitate cœli moderatiores: consequentes à quadragesimo quinto gradu ad quinquagesimum, aliquātō frigidiores. rursus è triginta partib. frigidissimę regionis, quindecim coluntur (est enim *Thule* in septuagesimo quinto gradu posita) ulterius nullæ vrbes, nulla oppida, nullus denique hominū tuendæ salutis locus. hanc partitionem ut inirent ipsa natura vsúsque docuit. nam trigesimus ab *Æquatore* gradus, quasi limes secat *Atlantem*, qui ab extremis *Africæ* oris in *Ægyptum* usque procurrit, séque solis ardoribus opponens, oram *Africę* citeriorem innumeris fluminibus rigat. idem limes *Arabie* iuga, totiúsque littoris *Persici* ac *Indici* extrema diuidit. pas verò ab *Æquatore* sexagesima, *Gothorū* fines, *Liuiam*, *Moschoniã*, *Orcades* insulas, & montis *Imai* extrema lambit. hinc usque ad septuagesimum quintum gradum, agrè; ultra nullo modo habitari potest, si geographis &

phis & historicis fidem habemus. ob id etiam triginta quasque partes bifariam diuido, quòd Tropici & Polares circuli quindecim gradus hinc inde septem partitè secant: si quis eam quam dixi partitionem admittat. Et quoniam sub Tropici & utroque polo summa est intemperies frigoris & caloris, sub Equatore temperies eadem erit atque eorum qui sub trigesimo gradu positi sunt. nam hic & illic Leucoæthiopes esse feruntur: sub Tropici supra modum atrii: sub Arcto ratione contraria fusco sunt colore. post ad gradum usque sexagesimum, rubicundi euadunt: inde ad quadragesimum quintum, candidi: post ad trigesimum flavescent: & cum flaua bilis atra confusa est, subuirides fiunt, quousque fusci ac penitus atrii euaserint sub Tropici. Itaque quod ait Hippocrates ad Septentrionem homines pallore ac macie deformes esse, absurdum erit, nisi ad extrema loca Septentrionis referamus. quod item veteres robustos & proceros esse aiunt, ad citeriora. Atq; hoc mihi dubitanti confirmauit Gaspar Holster Suecus metropoli urbe Stocolmiæ, in intima Gothia oriundus, qui liberalis doctrine gloriam, linguarumque varietatè cum armorum laude coniunxit. est enim toto vultu ac pilo ruber, & planè φοινίκευχος sine vitio cutis, mediocri statura, latis humeris, oculis admodum glaucis, hebeti visu: laborat enim perpetuo glaucomate. id ipsum quoque Linguetus Gallus, literis æquè ac totius Europe peragrato nobilis, mihi sæpe narrauit, ultra Gothiam homines fuscos esse, ac macie tabescere. in ipsa verò Gothia & Suecia rubescere, neque tamen Germanis magnitudine comparandos. atque illud etiam Galenum valde exercuit, quòd Hippocrates &

Aristo-

Aristoteles scripserunt, πάντες πρὸς ἄρκτου πυρότριχες, καὶ λεπτότριχες, quasi omnes flavi essent: cū pleriq; ab extremō Septentrione φοινικώτριχες viderentur. nam quibus pili rubescunt in Britannia & Germania, hos aiunt incolæ, ut ab illis accipi, à Danis & Noruegis, qui finitimas regiones occuparunt, originem traxisse, ab iisque diligentius sibi cauēt. multi quoq; tales sunt in Gallia, præsertim Vuestria siue Normania; quæ Danis cecidit. Germani verò, ac Britanni fere omnes pilo flauescunt: de quibus Lucani dictum illud intelligi potest; Fundit ab extremo flauos Aquilone Suenos. nam Suenia vetus & mare Suevicum ad quinquagesimū quintum gradum pertinet: ultra quem nihil terrarum esse arbitrabantur. hæc autem corporis forma, tūm ad mores populorum, tūm ad historiarum cognitionem ac iudicium magnum nobis adiumentum est allatura. cetera videamus. Hoc etiam differunt Scythæ ab Australibus, quòd hi nigros; illi glaucos & ceruleos oculos habent: qui verò in medio positi sunt, caprinos. in quo Amiotus, uir summæ eruditionis, in Mario Plutarchi ὀμμάτωρ χαροπότῆτα castaneos & rufi coloris oculos vertit. ego truculentiam oculorum dicerem. sic enim Tacitus de Germanis; Truces & cerulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora. & Iuuenalis, Cærulea quis stupuit Germani lumina, flauam cæsariem, & madido torquentem cornua cirrho? at ceruleus color nihil habet cū rufo cōmune, sed vox ambigua χαροπότῆτες, oculorum crudelitatem, & colorem significat, ut scribit Eustatius in illud Homeri; ἄρκτοί τ' ἄγρότεροι τε σῦες χαροποί τε λέοντες, quòd ita Latinè redderē, Syluestrésq; sues Vrsæque, trucesque Leones. Catullus castios

vertit. utroq; modò recté. nã ut Oppianus ἀλά χαροπὴν;
 ita Seneca mare cæruleum dixit. habet Amiotus Gazam
 auctorem, qui χαροπὸν modò rufum, modò fuluum reddit,
 Scaliger raurum: Hesychius χαροπὸν cæsiū & flauum si-
 gnificare scribit: ut Aristoteles uno loco caprarum ὄμμα-
 τα χαροπὰ dixit quæ flaua sunt. sed huiusce confusionis &
 erroris initiū est ab Homero perperã intellecto; qui quòd
 Leones χαροπὸς appellat, ad oculos referens, ut illud γλαυ-
 κῶπις ἀθήνη, putarunt plerique de cute intellexisse, quam
 Aristoteles omnibus Leonibus πύρεθρον esse tradit. hinc à
 Latinis fului Leones appellati. Leonis autē oculi non tan-
 tūm Homeri, sed etiã Oppiani testimonio γλαυκίωσι. ita-
 que Symon Portius simili errore lapsus est, qui χαροπὸν ra-
 uum interpretatur, & cineritium colorem esse putat, ex eo
 quòd Horatius lupam rauam appellauit. sed ad oculos
 pertinet, quos Varro in gallo rustico rauos (id est flauos, ut
 apud Festum raua frumenta) esse voluit. sunt autem sub-
 fului, quales fere habēt accipitres & aquilæ, quæ in solem
 intuentur. nuper quidam in postremis aduersariis frumēta
 raua apud Festū interpretatus est arida: tūm rationē sub-
 iecit, quòd rauca. i. raua vox ab arido gutture fiat: in quo
 nec bonus grāmaticus & malus Physicus videri possit. est
 enim flaua ceres, & rauca vox ab humido gutture. igitur
 ut Aristoteles oculos Æthiopibus atros, Scythis glaucos:
 ita mediæ regionis caprinos, id est flauentes seu rauos tri-
 buit, quos Plinius rufos appellat. tamen si mediæ regio in-
 finitam habet varietatē ab extremis conflatam: extremæ
 nullam. est autem in Scytharum vultu maximū argumen-
 tum quo ab aliis differant, scilicet oculorum glaucus color;
 id est,

id est, ut Plato voluit, ceruleus albicans, quales sunt oculi Noctuarū quæ propterea γλαυκὲς appellatur: atque ij hebescunt ad lucem. tales etiam habent Cimbri teste Plutarcho. atque id in plerisq; Danis animaduerti. Germani verò ac Britāni non ita glaucos & albicantes, sed conspicua quadam obscuritate cæruleos habent: qui color etiam aquilus ab aqua dicitur. est autem color glaucus in oculis magnū caloris indicium, ut scribit Aristoteles in quæstionibus, niger verò qualis est in Australibus, caloris significat inopiam. qui sunt in media regione, caprinos habent siue rauos. atque hi omnium acutissimè cernunt: & quidē tradit Plinius capris lippire nunquam. prætereà mores optimos Aristotelis iudicio significat: glauci verò crudeles, cuiusmodi Syllæ, Catonis, & Augusti oculos fuisse Plinius & Plutarchus tradunt. itaq; Plutarchus ancipiti verbo χερσπότιλος & colorem & crudelitatem Cimbrorum significauit; cū haberet γοργότιλα κ̄ γλαυκότιλα. sunt igitur tres præcipui colores oculorum in tribus populis: ater, glaucus, rarus: ex quibus infinita varietas miscetur. Vitruuius hæc partim confirmat: sub Septētrionibus, inquit, nutriuntur gentes immanibus corporibus, candidis coloribus, directo capillo, & rufo, cæsis oculis, sanguine multo. qui autem sunt ad axem meridianum, breuioribus corporibus, colore fusco, crispo capillo, nigris oculis, cruribus inualidis, sanguine exiguo, solis impetu perficiuntur. hæc ille. Sanguis quoq; Scytharum fibris plenus est, ut in apris ac tauris: unde robur & audaciam ingenerari tradunt. Australes tenui sunt sanguine, ut lepores & cervi. quò fit ut timidiores sint ac imbeciliores. Hoc igitur teneamus,

hinc australes
 hinc septentrionales

eos omnes qui à quadragesimo quinto gradu, ad quintum & septuagesimum versus Septentriones positi sunt, intus magis ac magis calefcere: Australes verò quò plus habent caloris à sole, eò minùs à seipsis habere. nam hieme calor intus cogitur, astate difluit. quò fit ut hieme vegetiores ac robustiores; astate languidiores simus. eadem ratio facit ut hieme plus appetere & coquere, quàm astate soleamus: præsertim flante Aquilone. Auster contrarium efficit, ut scilicet minùs appetant animantia, ut Aristoteles scribit. atque hinc fit, ut cum Germani in Italiam, aut Galli in Hispaniã proficiscuntur, frugaliùs vesci, aut suffocari videamus: quòd Philippo duci Austriæ contigit cum in Hispania suo more epularetur. Hispani verò, qui frugalissimè in patria viuunt, in Gallia voraciores sunt Gallis. argumento fit etiam illud quod pastores vulgo ferunt, armenta gregesque macie tabescere cum ad Austrum proficiscuntur: ad Aquilonem vegetari. nec mirum si Leo Afer scribit nulla fere boum aut equorum armenta, raros etiam greges omnium in Africa videri; aut parum admodum lactis habere. contra verò laudantur ab omnibus fere scriptoribus Germanorum & Scytharum armenta: non quòd habeant pascua meliora quàm Australes, ut Plinius putat, sed celo tribuendum illud est. Facit igitur vis interni caloris, ut qui ad Septentrionem vergunt, vegetiores, ac robustiores sint Australibus. quòd etiam in aduersa parte ultra Capricorni circulum aequè contingit, ut homines quò ab Equatore longius discedunt, maiores fiant, ut in terra Patagonum, qui gigantes appellantur, eadem latitudine qua Germani. Hec igitur causa est cur Scythæ graues semper incursiones fecerunt

runt meridiem versus; quodque incredibile videatur, verum tamen sit; imperia maxima versus Austrum propagata semper fuerunt: vix ab Austro versus Septentriones. Nam Assyrii Caldeos, Medi Assyrios, Græci Persas, Parthi Græcos, Romani Pœnos, Gothi Romanos, Turcæ Arabas, Tartari Turcas fregerunt. at Romani ultra Danubium progredi noluerunt. Traianus quidem pontem lapideo miræ magnitudinis supra Danubium extructo (nam XX. pilas, quarum fragmenta etiamnum restant, habuisse dicitur) Dacos fortiter domuit: sed cum Adrianus intelligeret gentes illas nec facile vinci, nec victas acquiescere, pontem dirui mandavit. sed domesticis utamur exemplis. Galli sæpe ab Anglis maximas in ipsa Gallia clades acceperunt, ac penè imperium amiserunt, nunquam in Angliam, nisi ab incolis acciti, penetrare potuerunt. Angli verò sæpe à Scotis victi sunt: & cum annos amplius mille ducetos de imperio acerrimè inter se dimicarint, eos tamè de insula particula depellere non potuerunt: tametsi opibus ac legionibus tantò superiores sunt, quantò Gallis inferiores. neq; est quòd Angli se à Gallis impeditos querantur, cum excusso Romanorù imperio, Britani Australes, ne in Scotorù seruitutè veniret, sint coacti Anglosaxones ad præsidium euocare, qui Scotorù impetus cohibuerunt, domi laceffere noluerunt. Omitto grauiissimas Scytharù, Parthorum, Turcarù, Tartarorù, Moschouitarù, Gothorum, Hünorù, Suefsiorum in Europam & Asiam incursiones, in quibus enumerandis infinitus sim. Atque illud est, ni fallor, quòd Ezechiel, Hieremias, Iesayas, ac reliqui prophetae toties cominatur, ab Aquilone bella, legiones, equi

Scythæ

leg septentrionalis
in facia de quibus
viximus



o iii

tatus,

tatus, & rerumpublicarum venturas euerfiones. Quæ omnia veriùs pertinent ad eam quàm dixi regionem, quæ à quinto & quadragesimo, ad quintum vsque & septuagesimũ gradum porrigitur, ubi fita est Biarmia. nam qui ulteriora incolunt, qui tamen aut nulli, aut admodum rari sunt, frigore æquè aduruntur, vt scribit Hippocrates, atque ij qui ad Tropicum accedunt: non, vt putauit Aristoteles libro quarto Meteor. propter vim coloris interni ἐν τῆς ἀντιπερὶς ἀσείας (id enim plantis æquè accidit, vt frigoribus perinde atque ignibus urantur) sed frigore ad intima penetrãte & humorem perurente; unde Pompeio pruina dicitur. quæ tamen Hippocrates pertinere putauit ad eos qui sub Vrfa versantur: propter ignotas illis tēporibus regiones. Cæsar verò non ignorauit regionē, sed falsam causam attulit, cùm scriberet Germanos staturam, ac robur augere, quòd animi libertate fruerentur, nec honestis disciplinis à puero imbuerentur: cùm tamen id calori & humori tribuendum sit. idem calor efficit vt ad eum restingendum potu sapius vtantur. sitim appellant humidi & frigidi appetitũ. neque enim illa perpotandi forma qua Germani præsertim Saxones, & accolæ Baltici maris vtuntur, ullis vnquã temporibus aut legibus potuit emendari. Diem, inquit Tacitus, continuare potando nulli probrum: crebra vt inter vinolentos rixæ. humore quoque abundant, unde fames, quæ in appetitu calidi & sicci versatur; minus tamen cibo quàm potu delectantur, quia plus habent caloris. quæ ratio est cur Hippocrates fieri non posse putet, vt idē cibo ac potu copiosè vtatur. quòd in Germanis cùm animaduertisset Tacitus causam non intellexit. Inediam

& fri-

& frigus, inquit, cœli ac soli cōsuetudine ferunt: quia cœlū
 frigidum ac solum sterile. imò verò calor internus ambien-
 ti frigori validius resistit; humor vegetans famem propel-
 lit. humore abundare argumento est incrementum, quò bel-
 lue marinae, propter humiditatis copiã, reliquis animan-
 tibus præstant: tum etiam rauca vox & grauis, quæ in Hi-
 spanis, Pœnis, & Æthiopibus supra modum tenuis est &
 clara: quòd in his frigiditatem & siccitatem arguit; in il-
 lis humorem & calorem. nam humor nimius in plumbo &
 ligno virenti sonum grauem efficit. calor etiam interiores
 meatus aperit, frigus cogit. hinc fœminæ natura frigidio-
 res, clarius quàm viri loquuntur. media temperie vox sua-
 vis efficitur & canora, qualis est in Asiaticis, Italis, &
 Gallis. humor quoque multus facit ut Septentrionales cùm
 ad Austrum iter faciunt, aut in regionibus calidis bella
 gerunt sudore disfluant. habent, inquit Tacitus, mirã Ger-
 mani naturæ diuersitatem, cùm ament inertiam, & ode-
 rint quietem. aut enim bella gerunt, aut cùm à bellis ab-
 stinent, dediti sunt somno ciboque. nam calor intimus ad
 agendum impellit, ut videre est in pueris quos non sinit
 quiescere calor: humor verò mollitiem affert, & in sudo-
 rem abit. atq; hæc Plutarchus in Mario confirmauit ubi
 fluxa corpora Cimbrorum caloribus & sudoribus solui cō-
 sueuisse scribit. Quamobrem Hispani & Itali, si Gallo-
 rum & Germanorum primos impetus sustineant, eos faci-
 lè frangunt: ut Polybius primùm animaduertit: deinde
 Marius & Cæsar Clarissimis victoriis comprobarunt.
 atque hic de Gallis; Initio pugnae plusquam viri, postea
 fœminis molliores. idem Tacitus de Germanis; Magna,
 inquit,

Humor & Calor

Germani

Galli

inquit, Germanorum corpora, & tantum ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia, minimèq; sitim & æstum tolerant. frigus tamen facile ferunt, & ut Pomponius Mela scribit, ad pubertatē usq; nudi vagantur. Galenus verò miratur in frigidam à parentibus mergi simul ac nati sunt. Afri sicco, frigido, ac præduro corpore laborem & æstum patienter ferunt; ut Aphrodisæus in quæstionibus scribit: frigus tamen ferre non possunt, cum nihil habeant caloris interni, contra quam Scythæ, qui calorem externum ægrè patiuntur, cum urgeantur ab interiore. ut equi suapte natura calidi humidi, ægrè in Æthiopia; optime in Scythia viuunt: Asini verò frigidi ac sicci, alacres sunt in Africa; languidi in Europa, nulli in Scythia. Qui mediam regionem tenent, impatientes sunt frigoris & caloris, quia mediū cum utroque pugnat extremo: utrunque tamen æquè ferunt. mediam appello regionem non quæ inter polum & Æquatorem, sed quæ Tropicum inter & polum medium tenet: quia calor vehemens non sub Æquatore est, ut planū fecimus, sed sub Tropico. non erit igitur regio temperatissima, quæ à trigesimo gradu ad quadragesimum, sed quæ à quadragesimo ad quinquagesimum fertur: eoque temperatior, quò magis ad ortum spectat. In eo tractu sita est Hispania ulterior, Gallia, Italia, Germania superior usque ad Mœnum, utraque Pannonia, Illyricum, Mysia utraq;, Dacia, Moldauia, Macedonia, Thracia, Asiæque minoris bona pars, Armenia, Parthia, Sogdiana, & magna pars Asiæ maioris. sed quò propius ad ortū spectat regiones, eò sunt temperatiores, tametsi ad Austrū magis inclinare videntur, ut Lydia, Cilicia,

licia, Asia, Media, sed de ortu suo loco. erunt igitur Au-
strales citeriores Hispani, Siculi, Peloponesij, Cretenses,
Syri, Arabes, Persæ, Sufiani, Gedrosij, Indi, Ægyptij,
Cyrenæi, Pœni, Numidæ, Lybici, Mauri, & qui Flori-
dam incolunt Americi sed ita, ut qui in eadem latitudine,
ad occasum pertinent, temperie sint frigidior. Septentrio-
nales vò qui à quinquagesimo gradu ad sexagesimum po-
siti sunt. temperatiores tamen quàm qui deinceps ad se-
ptuagesimum sedes habent. nam in priore tractu sita est
Britània, Hibernia, Dania, Gothiæ pars, Germania in-
ferior à Meno & Hipani fluminibus, usque in extremã
Scythiam & Tartariam, quæ Europæ & Asiæ maioris
bonam partem occupat. Restant ij qui sub quidecim Tro-
pici partibus hinc inde setles habent; sed quoniam arden-
tissimo calore vruntur, separatim de iis agendum erit. re-
liqui sub triginta partibus cis & ultra Equatorem, pa-
rem fere temperiem sortiuntur atque ij qui sub trigesimo
gradu positi sunt, ut ex ipsa ratione caloris, & historiarũ
cognitione planum faciemus. Sed de iis populis qui à tri-
gesimo gradu ad sexagesimum continentur, præcipua di-
sputatio est, quòd eorum historias, de quibus iudicandum
nobis est, habemus, nullas fere aliorum: de omnibus tamen
quid sentiendum sit, hac veluti demonstratione conseque-
mur. Sunt igitur Australes, quòd ad formam corporis at-
inet, frigidi, sicci, duri, glabri, debiles, colore fusco, paruo
corpore, crispo capillo, nigris oculis, voce clara. Septentrio-
nales calidi, humidi, pilosi, robusti, colore candido, magno
corpore, carne molli, fluxo capillo, cæsis oculis, voce graui.
qui inter utrosque versantur, omnia moderatè consecuti
p sunt.

sunt. Sed illud dubitationē habet quòd Australes omnium consensione debiles, duri sunt tamen: Septentrionales robusti quidem, sed molles. at Hippocrates & reliqui fere scriptores, Scythas & montanos homines, qui ad Scytharum naturam accedunt, duros, agrestes, & ad laborem perferendum natos esse scribunt. in his igitur historicorum & philosophorum à se dissidentium opinionibus, rectè de historia iudicabimus, tum etiam Liuium, Tacitum, Polybium, Plutarchum, Casarem, qui Gallos & Germanos laboris impatientes esse tradunt, cum Hippocrate & Alexandro conciliabimus hunc in modum, si demus Septentrionales in regione frigida, laborem patienter ferre: in calida verò sudore difluere ac languere. cui congruit illud Agathie de Germanis, & Crantij de Scandis, quòd libenter hieme; rarò aestate bella gerunt. Australes uerò calorem facile perferunt suæ naturæ congruentē, tametsi vegetiores euadunt in regione frigida, languidi in calida. itaque Hispanæ feminae Germanos, ut audio, sua lingua pisces molles appellare consueuerunt. quinetiam Celtæ ac Belge, cum in Italiam aut Prouinciam veniunt, mirum in modum à culicibus & cemicibus cruciantur, propter cutis mollitiem; indigenæ propter duritiem minùs appetuntur. Atque hæc de forma corporis, ex qua mores animi, & recta historiarum iudicia colliguntur. Cum enim corpus & intellectus contrario modo afficiantur, quò maior vis est huius; eò minor est illius: & quò quisque plus intellectu; eò minùs corpore viget, si modò sensus integri fuerint. igitur planum est Australes intellectu, Scythas corpore præstare. id enim Aristoteles libro septimo de Republica innuit; homines robustos &

stos & animosos, minùs ingenio valere, nec Rempublicã rectè moderari. Afri verò plus satis habent consilij, virium non item: quæ tamen necessaria sunt, tum ad hostes repellendos, tum etiam ad ciues tuendos. Tertium genus est hominum qui pulcherrimas parendi & imperandi artes habent, qui viribus Australium calliditatem frangere, & consilio Scytharum impetus coercere possunt. ex eo genere Virruuius militem legendum putat, qui non minùs prudentia quàm viribus præstet. quàm rectè, aliorum esto iudicium. hic tamen in historia iudicandum relinquitur, cur Gothi, Hunni, Heruli, Vandali; Europam, Asiam, & Africam armis inuaserunt: sed inopes à consilio retinere non potuerunt. qui verò prudentium hominum consilia sibi ascuerunt, gentes ad civilem societatem idoneas nacti, florentissima imperia diutissime tenuerunt. neq, enim frustra Palladem armatam, aut Achillem ab ea comprehensum poëte fingunt. Et quoniam Scythæ fere semper à litteris: Australes ab armis abhorruerunt, nullum magnum imperium stabilire potuerunt. utrunque Romani summa quadam fœlicitate sunt consecuti, & gymnasticè cum musica, ut Plato voluit, prudenter coniunxerunt. à Grecis quidem leges ac litteras, id est urbanam disciplinam, veluti palladium acceperunt: à Pœnis & Siculis naualem scientiam: militarem verò perpetuis bellis sibi compararunt. & cum antea cæsim duntaxat Scytharum more ferirent, post etiam punctim ab Hispanis, ut est apud Polybium, ferire didicerunt. itaque mirum videri non debet, si populos omnes rerum à se gestarum gloria superarint. cum pulcherrimas naturæ dotes ad disciplinam adiunxissent. Sed

p ij illud

illud diuina quadam bonitate dicam an prudentia factū est ut Afri plus ingenio, Scythæ corporibus valerent: ne si barbaris hominibus quasi tauris vulpinam calliditatem: aut Pœnis, quasi vulpibus magnam vim ac robur dedisset, eius donis ad perniciem utriusque abuteretur. nihil est enim crudelius, inquit Aristoteles, iniustitia armata. quibus autē vires moderatas dedit, humanitate voluit ac iustitia reliquis præstare. id quod regioni temperatę tribuit Aristoteles in questionibus; Quamobrem, inquit, barbari sunt qui nimio frigore vel aestu laborant? an quia temperies optima mores optimos facit? Quid igitur historici oēs innocentiam ac iustitiam Scytharum tantopere laudant, Australium mores execratur? hic iudicium in historia requiro, ne philosophos & historicos discrepantes habeamus. neque res dubitatione caret. sunt enim homines obesi minime mali, ut recte Cæsar de Antonio ac Dolabella iudicabat: Brutum verò & Cassium macilentos homines metuendos esse. at Septentrionales obesi sunt, Australes macilenti: verum est igitur quòd ait Tacitus de Germanis: Gens, inquit, nõ astuta nec callida: aperit enim secreta pectoris licentia ioci, & nuda omnium mens postera die retractatur, salua utriusque temporis ratione. quæ etiam hæc una ratio est, cur reges ac tyranni olim hisque temporibus ad præsidium corporis Thraces, Scythas, Germanos, Circassios, Heluetios magna mercede semper quesierunt: non quòd viribus suorum, ut ineptè plerique arbitrantur, diffidant: sed quòd intelligunt in illa vastitate corporum, minimum calliditatis ac malitiæ latere; eosque potius militis quàm imperatoris munere delectari. quò igitur modo cru-

deles

obesi
macilenti

deles ac barbari appellantur? ratio est in promptu. nam quò quisque plus abest ab humanitate, id est ab hominum natura, eò propiùs ad ferarum similitudinem accedit, quæ cum ratione careant, iracundiam & appetitus cohibere nequeunt. ita fit ut Septentrionales ad crudelitatem impetu ferantur. hinc Thucidides Thracas, ubi nihil extimescant, φοινικώτατον γένος appellat. Tacitus verò de Germanis; Occidere solent, inquit, non disciplina & seueritate, sed impetu ac ira ut inimicum. nam Hungari cæso Gritto penulas militares & hastas in eius cruore gentili more tinxerunt. Britanni ex regibus XL. civili conspiratione duodecim interfecerunt: principes verò innumerales: centum quidem annis XXX. postea quàm ab externis bellis paululum conquieuisent. Transyluani (si vera sunt Polonorum & Ionij chronica) ut Georgium seditiosorum ducem acerbius tractarent (is enim nobilissimos quosque Hungaros palis transfixerat) triduo maceratos inedia milites eò crudelitatis adegerunt, ut dentibus spirantis ducis artus dilacerarent, atque deglutirent: deinde exenteratum in frusta secantes veribus coctum captiuis apposuerunt. omitto Dracula Transyluaniæ principis seuitiam omni opinione maiorem. Omitto Gothorù & Hunorù crudelitates antea inauditas, nõ modò in homines, sed etiam in belluas, vrbes, arces, lapides, & sepulchra Romanorum, quæ funditus euerterunt: Neque magis iracundiam, quàm alios appetitus coercere possunt. Tacitus de Germanis; Aleam, inquit, sobrj inter seria exercent, tanta lucrandi perdẽdiue temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo iactu de libertate contendant. hinc

p ij etiam

etiam illa quæ in Germanos & Francos iactatur à Procopio cupiditas habēdi, quæ tanta est, ut vitam auro; bellum pecunia commutent. Australes non tam auari, quàm parci ac tenaces: Scythæ prodigi ac rapaces. & quoniam ab ingenio se desereri sentiunt, supra modum suspiciosi euadunt. atque id nostri homines antea satis intellexerunt. Holster hoc amplius mihi retulit in hospitiiis publicis speculatores & ὠτρυσσοῖς in Gothia latere. oritur enim suspicio ab inopia consilij. itaque non nisi ieiuni cum Australibus contrahunt: cùmque se deceptos sentiunt, calculum reducunt, aut plerunque decipiendo præoccupant, aut denique vim afferunt. quò fit ut æquè perfidi atque Australes omnium opinione habeantur. id quod veteres historici, quòd nulla cum Scythis haberent commercia, penitus ignorarunt. postea verò relictis sedibus seipsos patefecerunt. sic igitur Procopius de Francis, cùm è Germania in Galliam venissent, (hos enim Germani à seipsis originem traxisse gloriantur) Ea gens, inquit, ad fidem prodendam omnium aptissima. & Vopiscus; Francis, inquit, familiare est fidem ridendo frangere. hinc Alciatus caudam scorpionis in Germanos iactari scribit. atque hoc prouerbum in Gallia vulgatum retinemus. quod cum bona illorum venia dictum sit, ne cuiusquam gentis nomen oratio nostra lesura videatur. neque enim de re ipsa, sed de insita cuique natura scribo. quarquã in eo genere Germani à Danis & Noruegis, quibus maxime diffidunt, longè superantur. nusquam profectò perfidia aut crudelitas populi erga principes, aut principum inter se maior exarsit, quàm inter Christiernum & Gostauum, Danos & Suecos.

varm.

Suecos. ab iis etiam Normanni, quos vulgus fidem minùs colere suspicatur, originem traxerunt. Quòd si ab inopia rationis & consilij Septētrionales appetitum cohibere nequeunt, ac propterea intemperantes, suspiciosi, perfidi, crudeles habentur. quanam ratio est cur Australes multò crudeliores sint, magis etiam perfidi quàm illi? hic rursus iudicium in historia requiro. constat enim Australes maximas habere à natura dotes ingenij. nam Flircius de Ægyptiis cōtra Cæsarem dimicātibus; Ipsi homines, inquit, ingeniosissimi & acutissimi, quæ à nobis fieri viderant, ea solertia efficiebant, ut nostri illorum opera imitari viderentur. idem paulò post; Aptissimum est genus Ægyptiorū ad proditionem. quis autem nescit quibus artibus, & quandiu Romanorum potentiam eluserunt Pœni? nihilominus crudelitatem in hostes incredibilem semper exercuerunt; ut videre est tum in bello Punico, tum etiam in eo quod Spendij & Carthaginēses, utrique Pœni, mutuò gesserunt; omnium, ut ait Polybius, quæ nos audiimus crudelitate, ac omni scelerum genere maximum. sed ludicra videri possint quæ à Polybio de crudelitate Pœnorum narrantur, si quis cū historia Leonis Afri compararit: vel etiam cū Muleassis & filiorum inaudita crudelitate, quam non ita pridem tum in ciues, tum in seip-sos exercuerunt. Nam Muleasses de regno, unde patrem deiecerat, expulsus, ab immani fratris iniuria exustorum oculorum orbitate miserabilis, suplex ad Carolum Imperatorem venit. A Pœnis igitur profecta sunt exoculationes, membrorum auulsiones, excoriationes, sectiones, lentæ vstiones, & palorum traiectiones. totius verò corporis

Crud. d. d. d.

Pœnorum suplex

→ a rom
Romanum supplicium
 poris in rota confractio à Germanis, ut videre est apud Munsterum in Colonia descriptione: à quibus supplicii Itali, Galli, Hispani, Graeci, Asiatici semper abhoruerunt, aut ab aliis inuiti acceperunt. Nam Romani fontes ante legem Portiam (quae etiamnum verbera à ciuium corpore amouit) ad summum securi, vel gulae confractio-
 ne, post etiam inedia necabant: tandem est exilium permissum. apud Graecos cicutæ usus erat: quam etiam aqua temperabant Chij, ut ait Theophrastus, quò mortem sine dolore accirent: quia in ipsa morte plus satis acerbitatis inesse iudicarent: nisi quis nouo quodam & immani scelere obligaretur. ac ne quis à praua disciplina tantam crudelitatem manare credat, ut Polybius; Americorū Australium naturam spectet, qui in caesorum hostium sanguine pueros mergunt, deinde sanguinem sugunt, & mēbris concisis epulantur. Est igitur Australium & Scytharum crudelitas longè dissimilis, quòd hi solo impetu ad iram, & generosa quadam animi audacia feruntur ad vindictam; tum etiam irritati facillimè placantur. illi nec facile irritantur, & irati difficillimè leniuntur: tum hostes inuadunt vulpina calliditate, non vi aperta: victosque immani suppliciorum acerbitate cruciant: quae immanitas partim ab ea tyrānide proficiscitur quam praua educatio & immoderati appetitus in homine stabiliunt: sed multò magis ab inaequali humorum confusione: haec autem ab elementis inaequaliter affectis: elementa vi caelestium corporum agitantur. in elementis verò corpus humanum continetur, sanguis in corpore, spiritus in sanguine, anima in spiritu, mens in anima: quae tametsi est ab omni concre-
 tione

rione libera, contagione tamen ex illa coherentia plurimum afficitur. ita fit ut qui sunt in extremis regionibus, ad vitia procliuiores sint. & quemadmodum atra bilis non aliter à sanguine, quàm fex à vino diuellitur: ita perturbationes animi, quæ ab atra bile proficiſcuntur, tenaciſſimè hærent. Auſtrales verò atra bile abundant, quæ ex hausti ardore cæli humoribus, quafi fex in imo ſubſidet, & perturbationibus magis ac magis augetur, ut qui ſunt hũc in modum à mente cõſtituti, planè implacabiles ſint. talem fuiſſe Aiacem ferunt, & Martium Coriolanum: quorum alter non priùs leniri potuit, quàm patriæ fines ac ſocias ciuitates ferro flammáq; deleuiſſet: alter cùm hoſtes vlcisci non poſſet, in furorem conuerſus greges & armenta cædebat. Hinc igitur facile eſt de hiſtoria iudicare percepta cauſa furoris. conſtat autem Auſtrales furore faciliùs capi quàm Septentrionales; ut faciliùs homines inſaniunt quàm beluæ. ſcribit enim Leo Afer inſinitam eſſe in Africa furioſorum hominum multitudinem, & ubique publicas ædes furioſis conſtitui; quibus etiam abundat Hiſpaniæ pars illa quæ Auſtraliſior eſt. in inferiore Germania, nulli ferè ab atra bile furioſi, ſed à ſanguine; quod genus furoris vulgus morbum ſancti Viti appellat: qui ad laſciuiam & inconditam ſaltationem impellit, quàm muſici lyra imitantur, deinde numeris ac modis grauioribus vtuntur, idque ſenſim faciunt, quouſque modi ac numeri grauitate planè conquieſcant. qui verò medias habent regiones, à bile flaua, cùm aduri cœperit, aguntur in phreneſim, quæ ad cædes & vulneta prorumpit. qui ſub Vrſa viuunt, cùm abũdent pituita, neceſſe eſt

Angl. aly.

*furore senum, id est lethargia laborare, quod genus demē-
 tiæ stuporem ac obliuionem affert. insania verò ubique
 grassatur. insaniam appello, cum ratio appetitum vincere
 non potest, quod maxime Septentrionalibus cōtingit. nam
 furor in sapientem cadere potest, ut ait Cicero, insania
 non potest: quod nostri admodum ineptè interpretantur,
 cum imperitos ac simplices homines incurabiles esse aiūt.
 Quæ omnia in vniuersum dicta sint. ubique enim furio-
 si, melancholici, phrenetici, lethargici, ubique sapientes,
 fortes ac temperantes homines; sed alibi longè plures, ali-
 bi pauciores. quæ igitur à medicis de abradente melācho-
 lia, & ab Aristotele de melancholicis dicta sunt, Au-
 stralibus ferè conueniunt, ad eaque iudicium historiarum
 debet accommodari. quæ à nobis prætermittuntur: ea tan-
 tum quæ sunt omissa, vel non satis intellecta planius ex-
 plicemus: cuiusmodi est illud; Australes omnibus volu-
 ptatibus ac veneri maxime deditos; Scythas verò negat
 Hippocrates ad venerē aptos esse, ob nimiam, ut ipse scri-
 bit, ventris frigiditatem ac humiditatem: tum etiam ob
 equitationem, ac propterea infæcundos esse: & cum fru-
 stra venerem tentauerint, odio veneris seipso castrare. ca-
 strationem vocat alibi venæ cephalicæ, quæ sub auribus
 latet, sectionem, qua his quoque temporibus uti quosdā
 accepimus. Hæc tamen omnibus ferè historicis repugnāt.
 adhibeamus igitur rectum illud, quod querimus, iudiciū
 historiarum; & philosophorum ac historicorum discrepā-
 tiam tollamus: nam Gothorum, Scytharum & Germa-
 norum tanta fæcunditas est, ut non modò Septentrionis
 vastas solitudines ac sylvas maximis urbibus decorarint,
 sed*

sed etiam in uniuersam Europam colonias miserint: non tantum Germani ultra Danubium, verumetiam Scædi In extremis Scythiæ finibus positi. illinc Methodius & Paulus Diaconus, exercitus quasi apum examina erumpere cõsueuisse tradunt. Iornandes uerò & Olaus appellant hominũ officinã: quòd inde Gothi, Gepidæ, Hunni, Cimbri, Longohardi, Alani, Burgũdi, Normani, Picti, Heruli, Sueni, Sclaui, Suiceri, Rugi originem traxerunt. cum autem Scythæ calidi sint & humidi, unde fœcunditas ingeneratur, dubium non est quin omnium populorum fœcundissimi sint. ac nescio quõnam modo Hippocrates Scythas ventre frigidos esseputat. idenim falsum esse natura ipsa demõstrat. nam quæ ratio est ut hieme maior sit in uisceribus, quàm æstate calor (id enim feruens ore fumanti halitus significat) eadem est in iis qui Septentriones incolunt. ac propterea sunt hieme uiri, ad gignendum aptiores, non salaciores, ut putauit Aristoteles. nam salaciores sunt æstate uiri (propter acrimoniã flauæ bilis, quæ æstate copiosior est) minùs tamen idonei: ita quoque Australes salaciores: Septẽtrionales uerò magis idonei. quod summa Dei prudentia factum est, quòd iis qui satis habent ad gignendum facultatis, voluptas non magnopere esset necessaria: iis uerò qui minùs habent humoris & caloris, maiores stimulos voluptatis optima parens natura dedit: alioqui nec suum genus propagare, nec societatem colere uellent. eadem natura fecit ut hieme uiri, æstate fœminæ ad uenerem procliuiiores sint, ut aiunt medici, non ad voluptatem propter se expetendam, quo nihil fœdius est: neque solùm ad procreationẽ, quod reliquis ani-

mantibus commune esse videmus, sed etiam ut esset fruenda societatis, ad quam nati sumus, perpetuum desiderium. poterat enim voluptas societatem ad breue tempus conciliare, ut ceteras animantes, non tamen diutiùs retinere, aut mutuum amorem tueri. Sed Hippocratis rationem cur Scythæ ad Venerem minùs idonei sint, quia braccis & equitatione perpetua utuntur, probare non possum: cùm Aristotelis testimonio, & quidem certissima ratione, quam affert in quæstionibus, salaciores sint qui equitare consueuerunt. Ex his intelligitur quid de Cæsare, Volaterrano, ac Tacito iudicandum sit, qui Germanorù continentiam tantopere laudant. Tacitus; Sera iuuenum venus, inquit, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur. quod tamen continentia tribui nullo modo potest, cùm antea docuerimus Septentrionales suapte natura intemperatissimos esse in potu, cibo, ira, alea, rapinis. nam qui temperans, idem quoque continens est, non contra. nullus est autem cõtinentiæ locus, ubi nulla sunt quæ appetantur libidines ac voluptates: ut nemo fortis dici possit, nullo proposito periculo vel labore. at Australes, qui plus habent rationis & consilij, à ratione impetrarunt, ut liberiùs peccare suauitatis causa liceret. cùm enim difficilimè se continere possint, tũ verò in libidinẽ proiecti execrãdis voluptatibus abutũtur. ab illis enim promiscui beluarum & hominũ concubitus, unde tot mōstra nobis pariunt Africæ regiones. hinc Australium, hinc Pænorum apud Leonem incredibilis Zelotypia, à qua Germani longissimè absunt. de quibus sic Cæsar; Ante XXV. annum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus,

bus, cuius rei nulla est occultatio. *Altomerus* quoque, & *Munsterus* in descriptione *Badensi* tradunt Germanos promiscuè & peregrinos quoque cum uxoribus sine suspicione perui. nomen *Zelotypi*, inquit *Munsterus*, apud istos locum non habet. *Cæsar* quoque scribit *Britannos* duodenos uxores habere communes, & fratres cum sororibus, parentes cum liberis. *Itali* hunc morem ferre nunquam potuerunt, multò minùs *Hispani*: qui amore ac zelotypia sæpe insaniunt. *Pæni* verò & *Americi* mortem præstabiliorem ducunt. quare nihil mirum si *Persarum*, *Pænorum* & *Hebraeorum* reges semper infinitam habuerint multitudinem uxoribus: *Scythæ* verò vel communes vel singulares: quibuscum tamen ita uiuunt, ut etiamnum in ipsis regibus, ex quibus populi mores intelligimus, incredibilia continentia exempla ferantur. scribit enim *Volaterranus* *Casimirum* *Poloniae*; *Vuenceclaum* *Bohemiae* reges, cœlibes & castos semper uixisse: *Henricum* verò .I. *Imp.* non modò ab alienis uxoribus, sed à sua quoque perpetuò abstinuisse. Est igitur causa generationis à calore & humore: libidinis, ab utraq; bile. à flaua quidem propter acrimoniam, ab atra verò propter spumam & flatum, qui plurimus est in eo genere bilis: atque id uoluit, opinor, *Aristoteles* in ea quaestione qua disputat cur melancholici salaciores sint. argumento est quòd qui acribus & flatulentis cibis utuntur, salaciores euadunt; eòq; magis si bilis ex adustione acris vel salsa euaserit. hinc fortassis poëta *Venerem* fingunt maris spuma natam. atque ob eam causam factum opinor, ut ex omni genere bestiarum, nullum præter leporem mascula uenere utatur. quin

q iij etiam

etiam, teste Varrone ac Æliano, concipit ac parit: fœmina verò sola ex omnibus animantibus superfœtat. constat autem nullum atrabile magis abundare. quare non mirum si Australes qui ea bile pleni sunt, ad venerem procliuus feruntur; quam propterea Ptolemæus potissimum in Africa coli, & Scorpionis sidus, quod ad pudenta pertinet, Africa præesse tradit. Habent etiam Australes ex atrabile quòd lepra laborant, qui propterea morbus Punicus à veteribus appellatur: non propter ruborem, cum Australis lepra iudicio Mosis & Plinij nihil habeat ruboris, sed quoniam illinc originem habet. illinc etiam morbus Arabum, qui ἄλφος à quibusdam, ab aliis λευκὴ & vitiligo appellatur. nam ante Pompeium magnum nullos Italia, teste Plinio, viderat leprosos, què morbum Ægypti peculiarem esse tradit. argumento sit, quòd Moses omnium antiquissimus scriptor, leges de leprosis infnitas, Græci ac Romani nullas tulerunt. & quidem in eo consentiunt Leo Afer & Aluaresius: nam alter ades infinitas in utraque Mauritania leprosis constitui; alter leprosos Abissinorum cum populo versari scribit, ut vulgaris morbus esse videatur. Americam verò nostri homines testatum reliquerunt leprosis, aut, ut ipsi aiunt, Neapolitano morbo laborantibus abundare: quem morbum Scaliger Indicum, Indi Pua vocant: quòd ab illis insulis inuectus est in uniuersam Europam & Africam: ac paulatim in Syriam & Scythiam usque peruasit. quòd autem ab atrabile ingeneratur, ex eo planum est, quòd qui plus habent melancholici humoris, eò difficilius curantur. facit etiam atrabilis ut Australes tristes sint,

2 epua

Vere

ac demisso vultu, incessu tardi & cogitabundi: Septentrionales læti & alacres, propter sanguinis copiam. Ex his perspicuum fit, cur omnes omnium historiarum scriptores tradunt Australes ad maxima corporis & animi vitia proclives esse. ratio est in promptu, scilicet cum malè fuerint ab atra bile constituti: sin bene temperata fuerit ea melancholia quæ dicitur abradens (sunt autem multa genera) egregias corporis & animi vires adipiscuntur. primum liberi sunt ab infinitis morborum generibus, quæ à repletione, fluxione, & sanguine putri deriuantur. sunt. n. in Africa rarissimæ ac leuissimæ febres, propter humoris interni & caloris inopiam. quartana verò, quæ melancholici propria est, semel curata, ut ait Hippocrates, nunquam recurrit. In Septentrionibus putres à sanguine febres, tumores, œdemata, morbi comitiales, cōuulsiones, cæcitates, quò longius à medio receditur. quorum una ratio est, crassif humoris & excrementorum copia, quæ exigua sunt in Australibus. In media regione grassantur pestes, propter aëris frequentes mutationes, cum in extremis perpetua sit hyems aut æstas; in medio, veris etiam & autumnii magna mutationes. hinc etiam morbi articulares, tertiana, herpes, & gangræna quam, ineptè dicam an impiè, nostri acceptam ferunt D. Antonio, qui à plerisque in Italia & Gallia Narbonensi ardentiore voto, certè maiore metu colitur quàm Deus immortalis. Ac falluntur qui putant media regionis homines, quòd ab extremis longius absunt, salutem aut vitam habere diuturniorem. Australium natura congruit cum calore: Scytharum cum frigore: qui in medio sunt, tametsi cæteris temperatiores videntur, nihilomi-

Gangræna

hilominus à calore & frigore oppugnantur; & frequen-
 tes habent aëris mutationes, quæ morbos pariunt & sene-
 ctam præmaturam. hinc historicorum discrepantes opinio-
 nes de vitæ breuitate. putauit Aristoteles diutiùs ad Au-
 strum viui: Plinius ad Septentrionem: Galenus in me-
 dia regione, quam ipse in Asia minore collocauit, ubi ho-
 mines optimo esse temperamento putat. Gallos verò, Scy-
 thas, Ægyptios, Arabes, ne per somnium quidem eius-
 modi temperamentum attigisse. idem tradit Hippocra-
 tes, omnia pulchriora, maiora ac meliora in Asia nasci,
 quæ partim vera, partim etiam falsa mihi videntur. nam
 maiores sunt qui ad Septentrionem, ut antea docuimus,
 & quidem præstantiore forma: idque Iosippus Cesar &
 Tacitus de Germanorum mira magnitudine testantur; &
 veteres formam Gallorum (quos à calore candido lacteos
 seu Galactas ipsi Asiatici vocarunt) & Gallicos vultus
 quasi prouerbio Tertullianus usurpauit. in eo tamen ge-
 nere Britannis inferiores videntur. sed Galeno ignota
 fuit Gallia, quam ut viseret, à M. Aurelio rogatus ad-
 duci non potuit. Cùm autem vita diuturna calido & hu-
 mido sustineatur, par esset ad Septentrionem diutiùs vi-
 ui. atq; hinc fortasse Plinius Hyperboreos annoso æuo vi-
 tam protrahere putauit. & quidem notum est in Britā-
 nia ultra centesimum annum viui: nec dubito quin Scy-
 tharum vita longè diuturnior sit futura, nisi potu ac cibo
 seipso obruerent. Australium quoque vitam longissimā
 esse veterum ac iuniorum scripta testantur. tamen si enim
 calore & humore copioso minimè abundant, excrementa
 quoque multa desunt, quæ senectam & interitum affer-

Vita
 Septentrionalis

re omnium consensu putantur. nam quò minùs plantæ ha-
 bent excremēti, eò diutiùs vigent, ut est apud Theophra-
 stum. Alij temperatiore cælo vitam protrahi longiorem
 arbitrantur. nam Italia multos alit qui centesimum annū
 his quoque temporibus superarunt. Plinius ex censu Ro-
 manorum annos centum & quadraginta quosdam vixif-
se tradit. qui tamen iuniores historicos cum veteribus, &
veteres inter se contulerit, tum etiam phisicas rationes
adiunxerit, certissimum de historia iudicium feret; scili-
cet Australes longiore vita frui, maximè tamen Numi-
das. id quod credibile est, cum annosa Cornices, quæ nihil
fere caloris, minùs etiam humoris habent, quattuor homi-
num ætates implere dicantur. prætereà Elephantes qui
Aristotelis ac Iubæ testimonio vitam omnium animan-
tium superant, non alibi quàm ad Austrum reperiuntur.
 itidem Palma, quæ interdum annos mille vigere dicitur,
 non nisi ad Australem plagam ali potest. quinetiam au-
 rum & Adamas quæ à se ipsa nunquam interitum sen-
 tiunt, ad Austrum optima; nulla ferè ad Septentrionem.
 neque enim verum est ab optimo temperamento, ut putat
 Galenus, vitam effici longiorem: alioqui lapides plantis,
 plantæ animantibus, elephas & coruus homine tempera-
 tiore essent, quod absurdum sit: cum ingenij præstati-
 am ab optima temperie iudicari putet. Iam verò cum ani-
 mus corpori præstet, maiórque vis ingeniorum sit ad Au-
 strum quàm ad Septentrionem, dubium non est quin po-
 tior mundi pars ad Austrum posita sit: & maiores sint in
 in Australibus quàm in Scythis virtutes, vitia quoque
 maiora in quancunque partem inclinarint. atque hinc fa-
 r cile

Cornices

cile iudicium de historia Liiij colligemus, qui cum Anni-
 balis virtutes commemorasset, *Has, inquit, tantas viri
 virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas,
 perfidia plusquam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus
 Deum metus, nullum iusiurandum, nulla religio. falsum
 est enim quod Macciauellus scribit, homines ad summum
 sceleratissimos esse non posse, exemplo Pauli Balionis Pe-
 rusiæ tyranni, qui cum Iulium Pontificem unà cum suo
 comitatu occidere facile potuisset, dominatum amittere,
 quam tantum scelus perpetrare maluit. hoc Annibal non
 fecisset. idem Macciauellus Italos, Hispanos, & Gallos
 sceleratissimos omnium gentium appellat. Germanorum
 iustitiam & prudentiam mirum in modum extollit uno
 loco: alibi perfidiam eorum, auaritiam, superbiam inse-
 ctatur. quæ ab ignorantia morum & nature cuiusque po-
 puli profecta sunt. Neq; enim stupidi homines & rustici
 valde flagitiosi esse possunt, sed in magnis ingeniis, ut est
 apud Platonem, magna virtutes aut vitia inesse consue-
 uerunt. & quemadmodum fecunda tellus nisi excolitur,
 magnam nocentium herbarum vim profert: & modicè
 culta valde frugifera fit; sterilis verò neque salutare, ne-
 que noxias herbas, nec quicquam omnino nisi maximo la-
 bore parit: ita quoque de Australium ac Scytharum in-
 geniis iudico. Quare non mirum si omnes propè historici
 ac poëta, iam inde usque ab Æschylo, magnam Scytharum
 innocentiam laudant, malitiam Australium insectantur.
 Plus valët, inquit Tacitus, apud Germanos boni mo-
 res, quam alibi bonæ leges. at illis temporibus omni disci-
 plina caruere Germani, ut parum à bestiis discreparent,
 quod*

Virtutes

Magna fugerunt

quod ipsi confitetur. cum igitur in summa ignorantia ver-
sarentur, non video cur tantopere laudabilis sit eorum
innocentia, qui nec valde mali, nec boni esse potuissent:
sed is summa laude dignus est, qui virtutes, quarum vim
animo comprehensam habet, sponte colit, cum iniustus esse
possit: vel quod virtutis aditus unus est, veluti recta li-
nea, circa quam hinc inde obliquae sunt innumerabiles: vel
quod homines propositis bonorum & malorum finibus,
multo magis ad scelera feruntur, à quibus non solum cru-
delissimis suppliciis, aeternaque morte proposita deterreri
non possunt; sed ne premiis quidem immortalibus ad iu-
stitiam impelli, ut plerique putent homines in summa in-
nocentia victuros, ac multo beatiores futuros, si malorum
fructus (sine quibus tamen natura bonorum percipi non
potest) nunquam degustassent: sed, ut caeterae animantes,
naturae suae congruenter vixissent. quam quidem ad na-
turam, Scythas & montanos homines nulla disciplina in-
formatos propius accedere videmus. Ex quo relinquitur
quid iudicandum sit de historicis, qui Graecorum, Aegy-
ptiorum, Arabum & Caldaeorum superstitionem, impie-
tatem, magiam, flagitiosas libidines, & crudelitates in-
sectantur, quae laudabilia sunt omittunt. ab iisdem enim lit-
terae, bonae artes, virtutes, disciplina, philosophia, religio,
humanitas denique ipsa in orbem terrarum velut à fonte
profluxit. neque tamen Scythis sua industria defuit, ne-
que item iis qui mediam regionem tenent, sed egregias à
Deo immortalis dotes sunt consecuti, quae melius intelligi
non possunt, nec certius historiae iudicari, quam si huma-
ni corporis, aut Reipublicae bene constitutae, aut mundi

siderumque caelestium imaginem proponamus. Fingamus igitur tribus his populis, eo quod diximus ordine, constitutis, praesse quosdam Planetas, idque tantum doctrinae gratia: deinde Australibus Saturnum, sequentibus Iouem, Septentrionalibus Martem tribuamus. tum in orbem redeundo rursus Australibus Venerem (nam Sol veluti fons luminis omnium communis erit) sequentibus Mercurium, Septentrionalibus Lunam. ex hac veluti distributione trium populorum, vim quandam uniuersae naturae planius intelligemus. aiunt enim Caldae Saturni vim in contemplatione positam, Iouis in actione, Martis in effectione. id autem ex Hebraeis naturae optimis interpretibus intelligitur. illi enim Saturnum שבתאי vocant, id est quietum, quo nihil ad contemplationem maius esse potest. Iouem צדק, id est iustum appellant: quod Graeci cum ab Hebraeis, ut optima quaeque, accepissent; Iustitiam Ioui assidere finxerunt. Martem vero מרס, id est fortem & robustum; quem propterea Caldae & Graeci bellis praesse putarunt. Saturnus quidem frigidus, Mars calidus, Iuppiter utroque dicitur esse temperatus. primus ad scientias & ea quae in sola contemplatione veri acquiescunt: alter ad prudentiam, quae in agendo posita est, quaeque virtutes omnes complectitur: tertius ad artes & opificia, quae in manu ac robore posita sunt, pertinet. primus ad mentem, alter ad rationem, postremus ad φαντασίαν. Nam Australes populi diuturno contemplandi studio, quod atra bili congruit, pulcherrimarum scientiarum autores ac principes fuerunt: naturae arcana detexerunt: mathematicas disciplinas inuenerunt:

de-

denique religionis cœlestiumque siderum vim & naturã
 primi perspexerunt. Scythę quòd essent ad contemplatio-
 nem minùs idonei, propter sanguinis & humoris copiam.
 (quibus ita mens obruitur ut vix unquam emergat) ad
 ea quę sub sensum cadunt, id est ad artes & opificia tra-
 ctanda, spontè ferri cœperunt. hinc à Septentrionibus ea
 quę mechanica dicuntur, belli tormenta, fusorię artes, ty-
 pographia, quęque pertinent ad metallicam disciplinam,
 quam ita tractavit Georgius Agricola, homo Germanus,
 ut Aristoteles ac Plinius in eo genere nihil intellexisse
 videantur. nec mirum videri debet si Germanos & Bri-
 tannos accire solent Itali & Hispani, quòd cœlesti quo-
 dam munere occultas terrę venas inuenire, & inuentas
 aperire norunt. iidem quoque alumni Martis militarem
 disciplinam antea semper, & nunc quoque incredibili stu-
 dio colunt, arma tractant, montes æquant, aquas deriuãt,
 seque totos venationibus, agricultura, pecuaria, aut iis ar-
 tibus quę opera moliuntur, dare consueuerunt, ut illorum
ingenium in manu positum esse videatur. quod satis indi-
 cat omne genus supellectilis & instrumentorum, quę ab
 illis tam artificiose, tam affabrè fiunt, ut ea ceteri populi
 mirentur; imitari non possint. atque id fortasse voluit Pla-
 to, cum diceret Martem & Vulcanũ artes reperisse. quòd
 si Astrologis habenda fides est, qui Martem natiuitatis
 principem habent, aut milites sunt, aut opifices futuri. At
medię regionis homines, neque ad occultas scientias ita
 nati ut Australes; neque opificiis ita dediti sunt ut Se-
 ptentrionales, sed ad res agendas omniũ aptissimi. nam si
 quis omnia historicorum scripta collegerit, iudicabit ab e-

iusmodi hominibus primùm profecta esse instituta, leges, mores, atque optimam Reipub. moderanda rationem, tum etiam mercaturam, gubernatoriam, oratoriam, dialecticam, imperatoriam denique disciplinam. harum autem disciplinarum magistri esse feruntur Iuppiter ac Mercurius; & qui Iouem, aut Mercurium, aut utrunque originis dominum habet, ad hæc suapte natura ferri dicitur. & quidem constat ex historiarum lectione, in Asia, Græcia, Assyria, Italia, Gallia, Germania superiore, quæ Polum inter & Æquatorem, à quadragesimo ad quinquagesimum gradum interiacent, maxima imperia semper floruisse; & ab illis regionibus summos imperatores, optimos legumlatores, æquissimos iudices, prudētes iurisconsultos, disertos oratores, sagaces mercatores, clarissimos denique histriones & fabularum actores ortum habuisse. nulli ab Africa, multò minùs à Scythia iurisconsulti, nulli oratores, rari poëtae, pauciores historici, paucissimi qui copiosam & vberem exercent mercaturam, qualem Itali, Græci, Galli, Hispani, Asiatici. hæc igitur cum historia conferamus, ut rectiùs de re tota iudicari possit. queritur Galenus nullos unquam à Scythia philosophos præter Acharnasim, innumerabiles à Græcia fluxisse. scribit quoque Iulianus Aug. ubi de Gallis agit, quorum naturam usu diuturno cognitam, & planè compertam habebat; Celtas nec philosophia, nec disciplinis mathematicis operam dare, sed in Dialecticis ferè ac Rhetoricis acquiescere. hinc Iuuenalis; Gallia causidicos docuit facunda Britanos. quin illa ipsa religio qua utebantur planum facit; Deum Mercurium, inquit Cæsar, Galli maximè colunt: huius pluri-

ma

Celtæ

ma sunt simulachra: hunc inuentorem artium ferunt: hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturâsque habere vim maximam arbitrantur. has igitur historias experientia diuturna comprobauit: neque enim usquam terrarum plures causidici, nusquam ciuilibus scientia maiore studio colitur. occultè verò scientiæ ac mathematicæ disciplinæ, valde frigent. Contrà verò Australes, quòd assidue contemplantur propter insitum atra bilis humorem, seipsos à rebus agendis spontè subducunt, ac desertissimas solitudines quaerunt. *contemplationis* autem ac meditationis (quæ prætiosa mors ab Hebraeis & Academicis appellatur) ea vis est ut ingenium acuat, & hominem ab homine seiungat: quòd cum adeptus est, non modò rerum naturalium arcana videt, sed etiam pernicipibus alis in cælum purgata mente fertur, rerumque diuinarum scientia repletur: post à Deo immortali subornatus, res arduas & admirabiles ignaris hominibus reuelat. quare mirum videri non debet ex historiarum lectione, ab illis regionibus summos philosophos, mathematicos, prophetas, omnes denique religiones, in orbem terrarum, velut ab uberrimo fonte fluxisse. non quòd alibi quoque diuina mens hominem cælesti spiritu aflare nolit: quod dictu nefas est; cum vigeat ubique Deus, non aliter ac solis splendor: sed quemadmodum idem splendor in aqua limpidissima sese magis ostentat, quàm in turbida: ita quoque diuinitas in purgata mente clariùs elucet, quàm in ea quæ deorsum vergens contagione corporis afficitur, ac perturbationibus secum dissidentibus implicatur. quibus enim sanguinis & humoris copia maior, illi sese difficiliùs ab hac terrestri labe seiungunt, ut

non

Sicut dicitur

non immeritò siccas animas sapientes appellavit Heraclitus. ridiculū est enim ac minimè philosopho dignum quod H. Cardanus hominem sapientissimum esse ait, quod sit humidissimus & calidissimus: cū bestias ipsas quò sunt frigidiores, ut Aristoteles scribit libro I I. de partibus animantium, eò prudentiores esse videamus. argumēto sit prudentissimus elephas, cuius sanguinem omnium frigidissimum esse Plinius autor est. Quæ cū ita sint, facile est ad iudicādum, an vera sint quæ de religione Australium historici tradunt, atq; imprimis Leo Afer, ubi agit de templorum substructionibus; Sunt, inquit, in urbe Fessa, templa septingenta, quorum maximum milliarij unius ambitum, unamque & triginta portas habet: lampades verò nongentas diu noctūque ardentes. Credibile quoque est id quod Aluaresius in Abissinorum historia tradit, de inaudita magnitudine templorum: de multitudine infinita monachorum, qui non modò in locis desertis, sed etiam in pagis, in circulis, in foro, in castris versantur: ex quibus etiam exercitus sæpe conscribuntur: cū principes ipsi hoc vitæ genus sequantur. Rex autem qui Negus & Iochan Belul, id est gemma pretiosissima, vocatur, quasi pontificem ageret, non aliter quàm ornatu ac vestitu pontificio præeuntibus pontificibus, & religionis insignia præ se ferentibus iter facit. ieiunia verò totius populi planè incredibilia narrat, si quis ea cum nostris compararit: si tamen iudicium ad historiam adhibeas, valde credibilia iudicabis. multi enim vitam lente cruda vel holeribus aqua pura coctis, & planè insipidis sine pane sustentāt. alij circulos ferreos quasi cingulū nuda cute gestāt. pleriq; ieiuniorum

rum

rum tempore, id est anni tertia parte, noctes insomnes ducunt. quidam collo tenus in aqua dormiunt. non desunt qui stantes horas xxiiii. cœlum constanter intuentur. oēs statis diebus verberum ac flagellorum crebris ictibus se lacerant: qui verò in religionem vel minimum peccant, aut qui ligneam crucem osculari dedignatur (uti sunt nonnulli) flammis ultricibus comburuntur. postremò quòd ad Rēpublicam tuendam & beatam vitam plurimum prodest, res aduersas equè ac prosperas ab unius præpotentis Dei voluntate fluere arbitrantur. At in rebus agendis, & Republica gubernanda quàm inepti sint, ex eo planum fit, quòd apud eos qui deliquerunt, non prius verberari desinunt, quàm mulctam verberantis arbitrio soluant. princeps autem iudicum, qui veluti Cancellarius maxima quæque moderatur, sæpe iussu regis verberibus ceditur. homicida propinquis interfecti cruciãdus traditur. omnia verò iudicia sine ullis actis aut scriptura conficiuntur. debitores nisi soluendo fuerint, creditoribus in seruitutē addicuntur. nulla stipendia militibus dantur, nulli commeatus, sed hordeū quisq;, aut quid simile ferre tenetur. nullæ sunt vrbes, nulla castra, nulla propugnacula: populus in pagis, præceps in tentoriis huc illuc vagatur; tametsi pretiosissimam supellectilem, & thesauros habet infinitos. nullus papyri vsus, sed rationes publice pellibus consignatur. quæ arguunt eiusmodi homines rebus agendis parum idoneos esse. Minus etiam Scythæ qui omnia vi & armis seruillem in modum, ac belluarum more exequuntur: ut de veteribus Germanis Tacitus scribit; Nihil magistratus publicè aut priuatim gerit sine armis. cui Boëmus Germanus,

& Munsterus his quoque temporibus his verbis subscri-
 bunt; Iniurias illatas rarò iure, sed ferro & rapinis ulcif-
 cuntur, nec prædari erubescunt. quid est autem iniquius
 aut magis barbarum quàm quod Clageni fieri solet, si quis
 furti suspectus sit necatur, deinde quæstio habetur? hunc
 morem Hunnis & Gothis acceptum ferunt. Ab illis etiã
 duelli leges profectæ. neque enim de omnibus iniustitiæ
 generibus ullum turpius aut maius esse potest, quam ut
 imbecillus ac tenuis accepta iniuria sit infamia dignus, ni-
 si cum aduersario, quantumcunque viribus præstet, armis
 decertarit: ac uitam periculis obiecerit. nam ista ratione
 Scythæ, si cum belluis quæ robore præstant conferantur,
 iure infames sint. Sed natura sic comparatum est, ut Scy-
 thæ qui minimum rationis, plurimum roboris habent, sum-
 mam omnium virtutum in bellica laude constituent: Au-
 strales in pietate ac religione: mediæ verò in prudentia. ac
 tametsi omnes modis omnibus Rempublicam tuentur, ni-
 hilominus tamen alij viribus: alij metu diuino; reliqui le-
 gibus ac iudiciis magis utuntur. Itaque mirum videri non
 debet si Calipharum, seu pontificum Ismaliticæ religionis
 tanta fuit maiestas, ut non modò legum ac religionum, ve-
 rumetiam imperij & armorum, omniumque possessionum,
 libertatis denique & seruitutis, postremò vitæ ac necis ius
 in omnes haberent. sed ab eorum imperio Turcæ, Scytharum
 progenies, ac Mameluchi genere Circassij, primi de-
 sciuerunt, eosque de veteri possessione deturbarunt. ac for-
 tasse illud est quòd à poëtis iactatur; Saturnum ab Ioue
 de imperio deturbatum, id est religiosos ac sapientes homi-
 nes primis temporibus iustitiæ fruendæ causa reges esse
 creatos:

creatos: sed cum sola pietate homines in officio continere
 se posse arbitrarentur, neque tamen id prestare possent, cum
 scilicet plerique nec metu diuino, nec ulla religione duce-
 rentur, prudentiores arrepta potestate Rempublicam rege-
 re: religiosi vero ac philosophi, sacrificiis & contemplatio-
 ni operam dare, plebs militiam, agriculturam & opificia
 tractare cepit. ex quo factum est, ut sapientes precibus et
 monitis; prudentes imperio ac iussu; robusti viribus & ex-
 ecutione Rempublicam tuerentur. nam his tribus partibus
 decretis inquam, edictis & executione Respublica conti-
 netur. monent Pontifices ac sapientes: lubent magistratus:
 exequuntur ministri. sic Anaxagoras Pericle, Plato Dio-
 nem, Isocrates Nicoclem, Plutarchus Traianum, Polybi-
 us Scipionem, atque omnino Magi Persas, Brachmanæ
 Indos, Mantes Græcos, Pontifices Romanos salutaribus
 sapientiæ preceptis, aut quacunque religione informabant:
 qui tamen ad res agendas inepti erant. quod Plato sapien-
 tissimus accepta ciuitate, quæ se illi commiserat, planum
 fecit. Itidem Aristoteles Anaxagoram sapientissimum vi-
 rum prudentia caruisse scribit. etenim seipsum fame ac
 inopia, præ negligentia rei familiaris interire passus est;
 id quod Theodoro Gaza in extrema senectute contigit.
 Itaque Philo Mosem magnis laudibus commendat, quod
 unus omnium mortalium fortissimus imperator, pruden-
 tissimus legislator, ac diuinissimus propheta extiterit.
 Quod igitur de una ciuitate, idem quoque de mundana
 Republica iudicandum relinquitur, ut distributis popu-
 lorum muneribus, Australium sapientia, Scytharum ro-
 bur, mediolorum prudentia quodammodo propria sit. id quod

etiam in animæ partibus videre est. etenim mens ipsa monet, ratio iubet, sensus autem veluti satellites ad exequendum adhibentur. & in triplici animæ facultate, animali, vitali, & naturali: una quidem à cerebro motum & sensum: altera spiritum à corde vitalem: tertia ab hepate vegetationem. neque enim melius, opinor, insita populo cuique natura intelligi potest, nec de historia quaque iudicium certius ac verius fieri, quàm si microcosmus hic cum magno homine, id est cum mundo conferatur. quod igitur Plato in sua, idem nos in mundana Republica faciemus, sed paulo aliter quàm ille. voluit enim penes custodes imperium esse, quos in cerebro quasi palladem in arce collocavit: in quo videtur Saturnia regna restituere voluisse: hinc eius illa vox ab omnibus laudata, sed à paucis intellecta; Aut reges philosophari, aut philosophos regnare. at philosophia, id est rerum pulcherrimarum perpetua contemplatio, ut omnes Academici volunt, nihil habet cum negotiis militaribus aut civilibus commune. militibus autem arma tribuens, in corde stationem dedit, quod illic irascendi vis posita sit: postremò agricolas & opifices in hepate, ut res necessarias & alimenta Reipublice suppeditent. sed hæc sine magna perturbatione fieri non possunt, ut suo loco dicemus. nunc illud tantum quòd ad mundanam Rempublicam, & populorum naturam spectat videamus: ac si fieri potest hunc mundum velut hominem congruenti situ constituamus. Nam in eo quoque scriptores à seipsis plurimum discrepant. Homerus, Aristoteles, Plato, Galenus, Pythagoras, Auerroes, mundi huius, quem animal vocant, dextrum latus in ortu posuere; sinistrum in occasu.

Plini-

Plinius & Varro contra statuunt, in ortu laeva, in occasu dextra: ex veterum Latinorū more. Sinistra, inquit Varro, in templis ab oriente, dextra ab occasu. sic Muhamedi ci precantur. Augures tamen ad ortum se conuertebant, ut Linius libro primo scribit; Augur dextras ad meridiem partes, lauas ad Septentrionem. quo more utimur in votis concipiendis. sed cum nullam sui dicti rationem afferant, Hebraeos & Philonem sequemur, quibus etiam consentiunt Empedocles, Lucanus, Cleomedes, Solinus. nam Moses sacrarij sinistrum ad Meridiem, dextrum ad Septentrionem conuertit: idque optima ratione, quia motus rapidus est ab ortu versus occasum: hominis verò gressus, non in terga fit, aut latera, sed in anteriora. hinc Lucanus; Vmbra mirati non amplius ire sinistras. Graecis quidē dextra sinistris meliora: sed apud Latinos sinistra in auguriis valde prospera existimantur, ut Plutarchus & Plinius tradunt: non quia sol oritur sinistra, ut Plinius voluit; sed quia pars sinistra vergit ad Austrum. quae mundi plaga reliquis praestat, siue stirpium, siue metallorum, siue gemmarum, siue hominum, siue animorum, siue caelestium corporum dignitate: ac propterea versus Austrum Abrahae profectioes dirigi putant Hebraei: ab Aquilone verò, inquit Ezechiel, venit omne malū. quinetiam Arabes & Mauri, ut est apud Picum Mirandulam, malos demones ad Austrū, aut nullos, aut raros esse aiunt; siue propter lucis copiam, qua fugati putantur; siue propter aëris tenuitatem, quo sustineri nequeunt. ad Septentrionem verò nusquam copia maior demonū & maleficarum, si Saxoni Grammatico, & Olao fidem habe-

Ab aquilone & ventum

mus. Præterea posuimus Septentrionales robustiores, Australes debiliores. at sinistra quoque pars hominis debilior est, dextra validior: & in uteri dextro mares, in sinistro fœminas moueri Plinius scribit. pes quoque dexter, & brachium dextrum maius est (id quod sutores etiamnum intelligunt) & vegetius sinistro. deinde planum fecimus Scythas rubicundos esse, ac multo sanguine abundare: Australes verò exanguis & atra bile plenos: at in dextro latere situm est hepar, in sinistro lien: hic atra bilis; illud sanguinis conceptaculum. demonstrauius quoque Scythas intemperantes & iracundos esse, & impetu ad vindictam ferri: Australes consilio suscepto. id quoque dextro; illud sinistro lateri congruit: nam atra bilis quietos, fel iracundos, iecur intemperantes efficit. consequens est igitur ut in hac Republica mundana Scythas quasi milites & opifices in dextro latere, Australes in sinistro: tum mediæ regionis homines in corde, veluti magistratus in media ciuitate, constituamus. est enim cor medium inter cerebrum & iecur, atque inter iecur & lienem. fecit autem natura. inquit Aristoteles, quosdam seruos, & eorum robusta corpora ad necessarios usus, alios debiles, sed valde utiles ad vitæ societatem. hoc igitur à Platone dissentio, quòd ille milites in corde, magistratus in cerebro, plebem in iecore, ego pontifices ac sapientes in cerebro malim, magistratus in corde, opifices ac milites, qui ex plebe leguntur, in iecore. neque enim vis animosa cordis robur efficit, quod sanguinis ac iecoris proprium est, sed ad actionem impellit. certè Macciauellus optimum imperatorem ab Italia, non militem deligi voluit, quòd maiore prudentia quàm robore valent:

valent: corporis autem munus, inquit Amianus, à milite: ab imperatore animi poscitur. nec verò imperatoris est, ut ait Plutarchus in Pelopida, cominus cum hoste pugnare: nec magistratus licitorem agere, sed imperare ac iubere. cum autem Plato philosophis ac sapiētibus imperium tribueret, quos ad contemplationem idoneos; ad actiones ineptos esse ex historia docuimus, consequens erat in corde milites collocare, qui tamen optimi ex agricolis, ut Plinius scribit de veteri Romanorum disciplina, vel ex opificibus, ut nostra etate, leguntur: quòd ad labores obduruerunt. nam Aristoteles operarios & opifices inter plebeios recenset. Et quidem videmus Scythas, aut Germanos milites antea semper, atque his temporibus magna mercede quæri. ut planum sit milites optimos ex agricolis & plebeis, quorum vis in manu posita est, semper legi consuevisse. Atque hæc si ad cœlestia referantur, æquè sibi congruent. nam si demus Ieni Saturnum, cordi Iouem, Cystifelli Martem, Lunæ iecur: recurrent illa quæ ab Astrologis cuique parti corporis tribuuntur. est enim Mars cum Luna, quasi folliculus fellis cum iecore: quòd uniuersum corpus alit ac vegetat, ut Luna mundum elementarem: quæ lumine aucta stirpes, aquas, animantia vehementer auget. qui verò Lunam habent in ortu, robore & optima valetudine præstare dicuntur. quæ omnia Scythis optimè conueniunt. accedit illud quod scribit Cæsar de Germanis: Vita omnis, inquit in venationibus atque in studiis rei militaris consistit. quid autem Dianæ ac Marti magis proprium esse potest? illud etiam animaduersione dignum quod Plinius scribit: fulgura tonitruaq; in media regione fieri,

nulla

nalla in *Aethiopia* & *Scythia*. idq; ab incolis competunt habemus. Iouis autem proptia sunt fulmina & tonitrus, non modo poetarū, sed etiam physicorum opinione. Quod si quis Solem, quem omnium communem posuimus, cordi tribuat: tum quod in medio planetarum, vel ut Copernicus, in centro mundi positus sit: tum quod vitam omnium maximè diuturnam significet, & calorem temperatū habeat, non ut Mars utentem, nihil repugno: ac fieri potest et sit omnium communis, & partis cuiusdam proprius: quæ tamen omnia non extremis, sed temperatae regionis hominibus congruunt. Hæc rursus populorum ratio triplex ad mundum triplicem referri potest, scilicet intellectilem, ubi mentes: cœlestem, ubi sidera: elementarem, ubi rerum ortus ac interitus. huc etiam pertinet triplex animorum ordo (præter eum qui est extra ordinem, qui nulla mundi contagione violatur) primus quidem puras hominū mentes in Deum conuerrere: alter Respublicas moderari: postremus circa materiā & formam occupari videtur. Quæ cum ita sint, triplex hoc hominū genus, *Scythæ*, inquam, *Australes*, & mediae regionis homines, ad triplicem animæ vim scientiæ, prudentiæ, & artis, quæ in contemplatione, actione, & effectione posita sunt: ad ἰντὺν, θυμῶν, & ἰδιουμῶν, ex ipsis cerebri cordis & iecoris, cœlestiumque siderum vi commodè, ut opinor, & ad historiarum omnium certissima iudicia referri possunt. & quemadmodum sex annorum millibus mundi elementaris conuersionem ex Heliæ cuiusdam Rabbini cōiectura fore aiunt: ita quoque duobus annorum millibus homines religione ac sapientia præstiterunt. siderumque cœlestium motus, ac

tas, ac naturæ vim universam magno studio cōquisierūt. duobus item annorum millibus in constituendis ciuitatibus, in legibus sancendis, in coloniis deducendis occupati fuerunt. quibus temporibus à Saturno ad Iouem, ab Australibus ad mediæ regionis homines imperia sunt delata. consequentibus annorum millibus, id est à Christi morte, variæ artes antea incognitæ, & opificia in lucem venerūt: tum etiam bellorum motus ingentes, idque toto terrarum orbe, cum scilicet suspensio Iouis atque imperia ut ita dicam, abrogata, & ad Scythas Martis alumnos translata fuerunt. atque hinc repente legiones Gothorum, Burgundionum, Herulorum, Francorum, Longobardorum, Anglorum, Britānorum, Hunnorum, Vandalorum, Gepidarum, Normanorum, Turcarum, Tartarorum, Moscovitarum, Europam & Asiam impleuerunt. Siue igitur vlla vis est cælestium corporum in hæc inferiora, ut etiamnum theologi confitentur; siue nulla, ut plerique putant; nihilominus id quod est, ut aiunt, & etiã si sensu percipimus, tamen etsi causæ sunt obscuriores. Ex quo multa non modò historicorum, sed etiam philosophorum & astrologorum scripta intelliguntur, historie verò falsæ sint necne, facillimè iudicantur: ut illud Ptolemæi; Asiani Australes, animis consiliisque excelsis, fortes, bellicosi: Septentrionales sapientes, magi, rerum diuinarum periti, & iusti. hæc plane falsa aut penitus sunt inuersa. falsum quoque id quod Plinius scribit, corporum proceritatem æque in Austro ac Septentrione, quod hic humoris alimentum: illic ignium vis maior est, non modò in historia, sed etiam in ipsa ratione peccat. infinita sunt eiusmodi apud Aristotelem, Hippocratem

pocratem, Galenum, Diodorum, Herodotum, Volaterranum, Sabellicum, quæ singula si persequar infinitus sim. satis est digitum ad fontes intendisse. ut quid de vniuersa populorum omnium historia iudicandum sit, veriùs ac melius intelligatur. Sed cum alij ab aliis, & secum ipsi sæpe dissentiant, in eo tamen omnes præter D. Hieronymum, conueniunt, Gallos esse leues: idque à Cesare scriptum, à Tacito & Trebellio confirmatum, ab Italis & Germanis sæpe repetitum, maximè tamen à Sleidano in concione Caroli Imp. alij tamen alias quoque gentes leues appellat; Syri, inquit Linius, Asiatici, Græci leuissima hominum genera. de Scythis quibuscum nihil habuere commercij, nihil prodiderunt. Si igitur leuitatem appellant animi quandam alacritatem ac celeritatem, quæ media regionis homines omnium aptissimos ad agendum reddit, sanè Galli, Græci Itali, Pannonij, Asiatici, Caldæi, Parthi quæ scriptoribus hoc vitio notantur, leues sunt. & quidem Iulius Scaliger Veronensis de Gallis in hunc modum scribit; Gallos videmus ad omnia momèta euentuum, disciplinarum promptos & versatiles; qui animorum vigor igneus maturaque celeritas, nulli alij nationi data est. quocunque incubuere fœlicissimè se dant, ocysimè proficiunt, gnauiter exercet mercaturam, litteras, arma, eruditionem, candorem, eloquentiam. omnium tamen gentium ac nationum fide sunt maxima, integra & constanti. hæc ille. At Scythæ crassis humoribus quasi pondere obruuntur, ne animi vis emergat. Australes ab atra bile in pulcherrima rerum magnarum contemplatione retinentur. quò fit ut celeres motus animorum quiescant. idque videmus non modo

Gallicus

leues populi

modò in Mauris & Pœnis, sed etiam in Hispanis quò propiùs ad Austrum accedunt. tanta est in illorum oratione, gestu, incessu, & omnibus actionibus tarditas, ut inertia languere videantur. Galli verò tam celeriter omnia, ut priùs rem gesserint, quàm Hispani consilium inire possint. gressu verò tam celeri feruntur, ut eos currere non incedere putent Hispani. nec minor in discendo facilitas ac celeritas, quam in aliis actionibus, quæque Australes cogitatione diuturna inuenerunt, celerrimè conficiunt & imitantur, ut non immeritò Cæsar eorum docilitatem admiretur. quæ magna sunt flauæ bilis argumenta. nam Galenus cùm humorum virtutes à corpore ad animum transfert, flauæ bili prudentiam tribuit, atræ constantiam, sanguini letitiam, pituitæ mansuetudinem. ex quibus inter se confusis infinita varietas conflatur. iidem humores si abundare, aut aduri, aut labefactari cœperint, in contraria vitia inclinant. quò fit ut flaua bilis abundans in temeritatem prorumpat, adusta in phrenesim. præceps igitur & nimia celeritas in agendo consiliis inimica, fecit ut Galli leues appellarètur. Sed cùm leuitas nihil aliud sit quam in dictis & factis inconstantia quedam, profectò temeritas debuit, non leuitas appellari. aut si leues quoque iudicamur, Scythæ nos in eo genere facile superabunt. est autem contrariorum contraria disciplina. igitur si Australis ater est, Septentrionalis candidus: si magnus hic, ille parvus: hic robustus, ille debilis: hic calidus humidus, ille frigidus siccus: hic pilosus, ille glaber: huic rauca vox, illi clara: hic calorem metuit, ille frigus: hic lætus: ille tristis: hic sociabilis, ille solitarius: hic audax, ille timidus: hic vi-

nosus, ille sobrius: hic sui & alieni negligens: ille circumspe-
 ctus & ceremoniis deditus: hic rusticè arrogans, ille ani-
 mo elatus: hic prodigus, ille parcus: hic minimè salax, ille
 salacissimus: hic sordidus, ille nitidus: hic simplex, ille ver-
 sutus: hic miles, ille sacerdos: hic opifex, ille philosophus:
 hic manibus utitur, ille mente: hic terræ venas, ille cœle-
 stes inquirat. si igitur Pœni pertinaces, ut Plutarchus scri-
 bit, quid Scythæ? docuimus utrunque crudelem ac perfidi-
 dum esse cùm in vitia labuntur, sed contrarias attulimus
 causas. quod si vitia sunt extremorum, consequens est ut si
 pertinax Australis, Scythæ leuis sit. intermedius constans.
 certè barbari & qui minùs habent rationis ad belluarũ si-
 militudinem propiùs accedunt, quæ ut faciliè irritantur;
 ita faciliè placantur, & paulo momento huc illuc sine ra-
 tione feruntur. consimiliter pueri ac fœminæ amicitias cõ-
 trahunt ac deponunt, homines consilij participes non item:
 & in hominum genere quò quisque plus ingenio valet, eò
 minùs ad amicitias, vel odia, vel opinionum nouitatem
 trahi solet, eò tamen pertractus agrè diuellitur. ac mihi
 propiùs intuenti, Australes, inter medijs, & Scythæ; senũ
 virorum, & adolescentiũ mores & humores habere quo-
 dammodo videntur. senes appello qui nondum decrepiti
 sunt. Scythæ quidem humidi calidi, adolescentium in mo-
 dum: Australes frigidi sicci, quod senibus congruit, qui
 mediam ætatem attigerunt, temperiem optimam conse-
 quuntur. iam verò si Aristoteli credimus ad Theodectẽ
 scribenti, adolescentibus cupiditatibus. & ἰαθυμία intempe-
 ranter laborant, quod hepatis & vulgi proprium esse do-
 cuimus. subiicit Aristoteles; ὀμετὰ βολοὶ δὲ, καὶ ἀφίκοροι πρὸς
 τὰς

τὰς ἰδιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἰδιθυμῶσι, ταχὺ δὲ παύονται. id est
 cū sint leues ac mutabiles, eos repente fastidium ac desi-
 derium capit nouarum cupiditatum. & paulò post; Repē-
 tinæ voluntates, nec tamen diuturnæ: ambitiosi, audaces,
 iracundi, faceti, prodigi, non improbi, sed εὐθεῖς, ac simpli-
 ces, διὰ τὸ μὴ τε θεογενεῖαι πολλὰς πορνείας, id quod ignoran-
 tia tribuit, non virtuti. sunt etiam, inquit, valde creduli,
 & inani spe pascuntur. senes contrà. qui verò mediam
 ætatem tenent, omnia sunt mediocriter consecuti. sed hæc
 fusiùs apud Aristotelem. atque hæc tribus populorum ge-
 neribus non modò ratione congruunt, verum etiam exem-
 plis. nã Germani inferiores qui aut Scythæ sunt, aut Scy-
 tharum proximi, eius leuitatis quam in Gallis accusant,
 maxima semper indicia præbuerunt. de veteribus sic Ta-
 citus; Gens inquit non astuta, nec calida: aperit enim secre-
 ta pectoris licentia ioci. ergo detecta omnium mens poste-
 ra die retractatur, & salua vtriusque ratio est. deliberāt
 dum fingere nesciunt, constituūt dum errare non possunt.
 hæc ille. sed cū Scythicæ leuitatis infinita sint exempla,
 nullum tamen maius est, aut in quo magis elucere constan-
 tia debeat quàm in religione semel probata. Ostrogothi
 & Vuisigothi sedibus ab Atila pulsī, petierunt à Valen-
 te ut agros permitteret, seque leges imperij ac religionem
 Christianā suscepturos. quòd cū impetrassent, Valentē
 perfidia incredibili oppresserunt: & viuū cremarūt. Go-
 thi cū in Italiam venissent repente Christianam religio-
 nem, mox Arrianam susceperunt. Gronlandij, qui proxi-
 me ad Polum accedunt, ingenio mobiles, inquit Munste-
 rus, facilè Christianam religionem probarunt, postea ad

Reduzo

ac Germanos veluti barbaros, ut Cardanus scribit, facillimè in fraudem impellunt: rursus Itali Græcorum, Græci Cretenfium, hi Ægyptiorum ac Pœnorum calliditatem insectantur: ita quoque Hebræi & Ægyptij Græcos, Itali Gallos, Galli Germanos leues esse queruntur. Ego verò sic existimo esse in hominum dictis & factis, ut in rebus omnibus, auream quandam mediocritatem quæ constantia dicitur; quæque inter leuitatem & pertinaciam medium tuetur: nec sapientibus unquam laudata est in una sententia perpetua permansio; sed ut in nauigando tempeitati obsequi artis est, etiam si portum tenere nequeas, tùm verò gubernaculum ad omnem cœli faciem torquere, ac sepius velificationem mutare, summa prudētia iudicatur: sic in rebus humanis (diuinas excipio) quæ varia sunt ac sui dissimiles, sententiam mutare honestum putat sapientia magister; Tautùm, inquit, in Republica contendere, quantum probare tuis ciuibus possis. qui verò suas opiniones adeò pertinaciter defendunt, ut refelli, turpe; vinci, nefas esse putent: aut qui de vita, quàm de proposita susceptaque opinione decedere malunt, ij neq; sibi sunt, neque suis ciuibus utiles, & perniciem Rebus publicis afferre solent. itaque viri omnium opinione sapientissimi Plato & Xenophon, magistratibus Reipublice causa mentiri permittunt. Cùm igitur hæc vitia sint à natura cuique genti quodammodo insita, prius est historia ex moribus & natura cuiusque populi iudicanda, quàm maledictis utendum. neque enim laudabilis est Australium sobrietas, nec ebrietas Scytharum, quàm illi tantopere accusant, admodum vituperanda; cùm Australes propter caloris

loris

admodum

perperum

loris inopiam cibo ac potu statim obruantur. Scythæ verò si velint, se cohibere non facile possint, cum urgeantur ab interiori calore, & ingenij viribus deserantur. sed Australium mollis victus magis vituperandus est, quàm Scytharum sordes in conuiujs, quæ parum admodum differebat à pastu bestiarum. Tacitus de veteribus Germanis; Sine apparatu, inquit, ac sine blandimētis expellūt famem. & paulò post; In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc membra quæ miramur excrescunt. inter eadem pecora, in eadem domo degūt. Scythæ verò ubi fames ingruit equorum secta vena sub auriculis sanguinem sugunt, & carnibus equorum epulantur, ut de Tamerlanis exercitu proditum est. At Australes mundi sunt ac nitidi, nec sordes ferre possunt, idque facile intelligitur ex illis, quibus utuntur, lauacris ac balneis, non tantum in sacris, sed etiã in priuatis rebus. neque solum ex veteribus, & Xenophonte verumetiam ex Aluaresio planum fit, quorum alter apud Persas quoquo modo spuere turpe: alter apud Abyssinos uel mucorem, uel sputum excreare in templis pro insigni flagitio haberi scribit. Athenæus verò Asiaticorum & Ægyptiorum delicias incredibiles tradit: in quo genere cum M. Antonius nobilis decoctor à Cleopatra facile vinceretur, Romanos velut ineptos ac barbaros, seq; ipsum irrisit. omitto Persarum præmia lege tributa iis qui nouas voluptates inuenissēt, ut scribit Theophrastus. eadē est in gestu & actione morū elegantia. suaues etiam cōcentus & Lydios modos fidibus cōsectantur. Scythæ suauitatem orationis, ac veneres dicendi respuunt; ut ex eorum sermone & literis sine vocalibus asperrimè collisis intelligi-

hæc hæc mundi
eo mundi

telligitur: nec Lydium modum ferre possunt: sed vocis asperitatem affectant, ut scribit Tacitus, barritūque accendunt animos fracto murmure obiectis ad os scutis, quò vox plenior & grauior intumescat. tubas & tympana libenter audiūt, fides negligunt. Amant etiam Scythæ mirum in modum societates & cœtus hominum inter ipsos: hinc Nomades à veteribus dicti, & iis quoque temporibus Horde, ut Tartari vocant, cum infinita multitudine vagantur in agris. Australes solitudinem quærunt, & in syluis delitescere, quàm in luce populi versari malūt. Mediæ regionis homines describere nihil opus est, si quis extrema perceperit. ex iis enim media facile intelliguntur, verbi gratia; Scythæ Phrygio modo sæpius vtūtur, Australes Lydio, Mediæ Dorio. Phrygio quidem ferociores sūt, & Martem, ut ait ille, cantu accendunt. Lydius Australes etiam molliores reddit. Dorius naturæ congruēs, motus animorum ad virtutem & honestatem dirigit. hic igitur à Platone laudatus, ab Aristotele in libris de Republica vehementer probatus, & suscepta religione Christianorum à Latinis tãto studio susceptus, ut cautum sit ne quis alio modo quàm Dorio in sacris vteretur. at Lacedæmonij tibia, Cretēses cythara vtebantur in bellis: non ad cohibendam iram, ut Thucidides & Plutharchus scripserunt: est enim iudicio Platonis & Aristotelis utiliter hominibus ad vltionem tributa: sed cùm nulli sint Creten-sibus & Lacedæmoniis Australiores in Europa, suæ naturæ inserviebant. Atque hoc in uniuersum de moribus populorum ex ipsa natura Septentrionis, Austri, mediæque regionis dicta sint. De ortu verò & occasu in locis planis
& equa-

& equalibus (de his enim agimus) iudicare difficile est, cum re vera nihil oriatur, nihil occidat. sed in locis inaequalibus magnum utriusque discrimen esse non modo medici, sed etiam rustici & architecti maximis argumentis deprehenderunt. ut ager Taurinus orientalis est, quod Alpes ad occasum positos habet: Palaestinus occidentalis, quod Hermon & Libanum spectat ab ortu: tamen si sol in aequatore citius oritur Palaestinis quam Taurinis hora fere ac dimidia. at cum lux oriens maleficam & crassam aëris obscuritatem moderato calore perpurgat, efficit regionem multo temperatiorem: cum autem maximis ardoribus flagrat sol, id est post meridiem, orientali regioni occidit: & oritur occidentali: hinc magnum discrimen inter Allobroges & Taurinos, qui sunt in eadem latitudine ac longitudine caeli. hoc quidem rationi congruit: sed in locis aequalibus certa ratio nulla videtur cur Galatia minoris Asiae, ab Italia Campania differat, cum in eadem latitudine sint. est tamen Hebraeorum, Graecorum, & Latinorum summo consensu, quem experientia diuturna comprobavit, temperatior ac melior situs orientis quam obitus. hinc Ezechiel de electis facies ad orientem conuersas adorasse scribit. & Iesaias iustitiam ab oriente proficisci. item alius; Respice ad orientem & intuere letitiam à Deo tibi venientem. his ego testibus libenter utor, eoque libentius quod intelligo rerum naturalium ac diuinarum verissimos interpretes fuisse. inter Latinos Plinius libro septimo scribit observatione diuturna compertum esse pestem ab ortu ad occasum ferri: quod in Gallia Narbonensi animaduerti: ut si contra fiat, id quod accidit anno Christi M. D.

LVII. pestem ubique grassaturam ominentur. Amianus inter Græcos testatum reliquit, Seleucia direpta, & aperto templi adyto quodam Caldaeorum arcanis concluso, labem exiluisse incurabilium morborum, qui Marci ac Veri temporibus ab ipsis Persarum finibus adusque Rhenum & Gallias cuncta contagione ac multitudine morientium fœdarunt. non multò post ab Æthiopia versus Septentriones pestis uniuersum pene terrarum orbem populata dicitur. huius quidem perspicua ratio est, cum Auster humidus Septentrionis regiones afluat, calore putredinem augente. est igitur causa proxima in ventorum varietate posita. nam venti ab Austro spirantes calidi humidus: à Septentrione frigidi sicci. sed quia venti à cardinibus & decumanis spirantes leniter flare consueuerunt: non efficiunt illam aëris varietatem, quàm qui à lateribus oriuntur: quia cum sol à cardinibus longissimè absit, exalationes vehementes commouere nequit: in decumanis verò calor solis violentior ventum excitat, sed eius vim cohibet. quæ ratio facit ut vere ac autumnis ventorum vis multò maior sit quàm hieme ac estate. omnium autem uehementissimi sunt Africus & Corus, deinde his oppositi Vulturinus & Aquilo. Corus quidem frigidus & humidissimus, Vulturinus calidus siccissimus. Africus humidus calidus Aquilo siccus frigidus à cardinibus frigidissimi & calidissimi percipiuntur. duo sunt in decumanis temperatissimi; ab occasu recto Fauonius, sed lenissimè ac rarè spirat, nec fere nisi sole occidente: Subsolanus ab ortu valde salutaris, & aliquantò uehementior Fauonio, præsertim cum sol ab æquatore discessit. Causa verò remotior & occulta

culta cur oriens locus occidente melior sit, cum nihil propriè oriatur & occidat, planè me latet. sed quæ consequuntur effectiones perspicuæ sunt & admirabiles. terminus autem orientis regionis mihi videtur esse ut antea dixi in insulis Molucarum. obitus verò in insulis Hesperidum. est enim pars orbis uniuersi dimidia. nam meridiani harum insularum CLXXX. gradibus à se inuicem absunt. restat altera pars orbis in qua sita est America infinito maris spatio ab utroque termino diuisa, ut orientis & occidentis rationem habere videatur. Omitto quàm multa magi de natura demonum utriusq; regionis disputant. ea tantum nunc attingo quæ sub sensum cadunt. nam grauiissimi Gregorum ac doctissimi viri, Aristoteles, inquam, Hippocrates, Galenus, Ctesias ubique confirmant propositis exemplis omnia pulchriora ac meliora in Asia quàm in Europa nasci. ac tametsi propter ignotas regionum latitudines sæpe labuntur, nihilominus tamen iis nostra ætate planè cognitum est in eodem cæli tractu populos qui ad occasum positi sunt, corporis viribus longè præstare, orientales ingenio. nam Celtae innumerabiles sæpe copias in Italiam, Græciam, & Asiam duxerunt: Itali verò non prius in Galliã penetrare ausi sunt, quàm imperium ad summum perduxissent, & quidem Casare duce, belloque intestino flagrantibus Gallis. hinc laudes Ciceronis & Agrippæ in Casarem, quòd eas gentes domuisset, quarum impetus Romani sustinere vix possent; laceßere non auderent. At Itali Græcos ita subegerunt, ut nullas acceperint offensiones. Græci verò qui suis armis intimos Asiæ recessus aperuerunt, vix unquã in Ita-

liam, præterquam Pyrrho rege venerunt, qui tamen vi-
ctus fuga turpi salutē sibi quæsit: non aliter quàm Xer-
xes qui tantas copias in Græciam duxerat ut flumina pe-
ne exsicarentur, nihilominus tamen à paucissimis Græ-
cis fractus est & maximo cum suo dedecore repulsus. ita-
que Cato Murenæ, Cæsar Pompeij manibus obiiciebat
ea bella quæ in Asia gesserant, contra mulierculas gesta
fuisse. hinc illud Iuliani Augusti; Celta & Germani au-
daces: Græci ac Romani tum bellicosi, tum urbani: Ægy-
ptij magis industrij & sagaces, quamuis imbelles ac mol-
les: Syri cum alacritate & facilitate animi ad disciplinas
apti. idem paulo post; Quid commemorem quàm cupidi
libertatis & seruitutis impatientes sint Germani, quàm
tractabiles & quieti Syri, Persæ, Parthi, ac denique po-
puli omnes ad ortum & Austrum positi? hæc ille in libris
aduersus Christianos: ubi vim ortus & occasus apertè de-
monstrat. Tacitus verò scribit Battauros, qui ad occasum
extrema Germaniæ tenent, omnium ferocissimos ac vir-
tute præcipuos fuisse; quod Plutarchus in Mario confir-
mat. magnitudine quidem præstant, ut omnes qui loca pa-
lustria & frigida incolunt. ita quoque bellicosissimi totius
Galliæ putantur qui magis occidui sunt: quòd Cæsar ipse
primùm animaduertit; Optimi generis homines, inquit,
ex Aquitanis & Rhutenis. omnium autem Europæ po-
pulorū maxime occidui Britanni & Hispani, strenuissimi
sunt. Habet igitur occasus cum Septentrione, ortus cum
Austro magnam affinitatem: quòd non solum videre est
in animantium naturis, verumetiam in stirpibus, lapidi-
bus ac metallis. fama constat aurum optimum ac gem-
mas

mas pretiosissimas ad Ortum & Meridiem nasci. cetera
 verò metalla optima versus Occasum & Septentrionem.
 quod quidem Cardanus cum ex aliorum fama scripsisset,
 reprehensus est à Scaligero, sed nulla ratione. id enim ar-
 tis metallica magister Agricola gravissimo testimonio
 prius comprobarat, quàm Cardanus scripsisset. aurum, in-
 quit, totius Europe laudatissimum affert Hispania Beti-
 ca, quæ totius Europe maximè Australis est: Africa ve-
 rò, Æthiopia. idem paulo post; Oriens, inquit, & Africa
 tota caret minio & argento vivo: ferrum quoque rarissi-
 mum in Africa; frequens in Cantabria (quæ totius Hi-
 spania maximè Septentrionalis est, & Europa maximè
 occidua) in Gallia, in Germania frequens. idem; Ferrum
 omnium præstantissimum apud Suecos & Ostrogothos,
 quòd Osemutum appellant. quinetiã in Liguis ad Sagam
 oppidum in pratis ferrum erui scribit ad altitudinẽ duo-
 rum pedum, & decennio renatum fodi, nec altiùs pro-
 pter aquas penetrari. Sulphuris verò nusquam terrarum
 copia maior quam in insula Thule, quæ Islandia dicitur,
 unde in conuersam Europam aduehitur. Idem tradit
 nusquã in Germania aurum inueniri, præterquam in Gol-
 degranacho & Carpatho monte qui cum metallis omni-
 bus abundat, tum verò Germaniæ terminus est ad ortum
 & ad meridiem vergit. at ex Siderocapsa Turcæ quotã-
 nis ducenta aureorum millia eruere dicuntur. ferrum ta-
 men difficiliùs inuenitur. itaq; Turcæ in urbiũ direptio-
 nibus ferrum multò magis expetunt quàm æs aut stannũ.
 & quemadmodum ferrum ad Septentrionem pene in i-
 psa superficie terræ: ita aurum ad Meridiem in agris &
 arena

arena pura reperitur. tradunt enim in regno Damuti iuxta mōtes Bet, ultra Capricornum aurum post imbrium copiam detegi. & ut cætera metalla ignea vi coquuntur ad Septentrionem in montibus Pyrenæis, Iurasso, Cemenno, Alpibus, Carpatho, Rhodope, Pangæo, Laurio, Imolo, Caucaſo: ita quoque ad Meridiem aurum non igneo calore, sed ſiderum cœlestium vi & ardore ſolis, velut in ſuperficie terræ & arena conſlatur. non aliter Auſtrales & Orientales homines cœleſti calore ac ſiderum vi ſuſtinentur: Occidui verò & Septētrionales ignea flamma intus concepta. Quare cū à ſingulis ad vniuerſa relabor, tū intelligo in Septentrionibus interiora calida humida, exteriora frigida ſicca: Auſtri verò interiora frigida ſicca, exteriora calida humida. Ortum verò & Orbitum temperatiora. patet hoc quidem in purioribus naturis & elementis, quò magis ſunt à concretione libera. nam cū aër ſurſum ac deorſum æſtate incaluit, tantū frigus in media regione cogitur, ut grandines quæ hieme non poſſunt, eo tempore maximo pondere concreſcant. ſic terra ſolis ardoribus uſta frigus coerces: quæ tamen cū omnia gelu obriguere, intus calorem comprimit: idque videre eſt in puteis qui calorem conceptum hieme exalant, æſtate frigidissimi ſentiuntur. cū igitur in Septentrionibus perpetuum quodammodo frigus: ita perpetuus calor occupat interiora, non modò terræ ipſius, verum etiam animantium & plantarū, ut, quòd ait Empedocles, calidū in frigido, frigidū in calido natura collocare videatur. Iam verò cū ſtirpium & animantium alimenta ſint à calore & humore: ita ſiluarum & animantium magna copia eſt in Septētrionibus

trionibus: hinc Plinius Germaniam silvarum altissimarum miraculo plenam esse tradit. quinetiam Vitruuius altissimas arbores in Apennino quæ Septentrionem spectat, nasci scribit. & ea quæ sub Polo esse dicitur Gronlandia, nomen habet à viriditate ac multitudine silvarum. in Africa nulla silua præterquam in montibus, quæ naturam habent Septentrionis, ut postea dicemus. & paulatim arbores proceræ æquæ ac homines Meridiem versus eunti minores videntur. sunt enim in Gallia Narbonensi querqus bipedales, quæ fructum ferunt, nec altius excrescunt. consimiliter metallorum omnium, præterquam auri, vis in Septentrione maxima: nulla fere in Austro, nisi in montibus altissimis. eruptiones verò ignium & incendia maxima, versus Septentrionem feruntur. nam Chimæra, Gazeuale, Vesuuius, Ætna, Picus, Carpathus, ipsaq; terrarum ultima Thule (est enim in septuagesimo gradu sita ac pene tota maximis incendiis ardet) tum pleræque loca, quæ Olaus in Gothiæ descriptione notauit, perpetuis ignibus flagrant. & Pyrenæi ab incendiis nomen habuerunt. ultra trigesimum ab Equatore gradum nullæ memorantur: nec aquarum calidarum balnea; cuiusmodi sunt in Italia, Gallia, Germania & extrema Gothia. Illud est, opinor, quod Picus Mirandula obscure admodum significat, his verbis, Qui cognouerit proprietatem Aquilonis, intelliget cur Deus mundum inuicabit per ignem. Atq; hæc vetus est non modò Pici, sed etiam Heracliti, ut ait Plutarchus, & Hebræorum opinio; qui mundum aliquando deflagaturum, ignesque non è cælo delapsuros, ut putat Magianus, sed ex intimis terræ visceribus

bus erupturos confirmat. hoc autem incendium ad Septentrionem, non ad Austrum fieri necesse est, cum hic aqua; illic terra globus promineat, qui conceptos ignes alit. Tametsi enim terrarum & aquarum orbem intuenti, tantum terra tegi quantum detegi: et aequalis esse terrarum ac maris totius magnitudo videtur, nihilominus ea pars quae libera est ab aquis tota vergit ad Septentriones, si terminos Austri & Septentrionum Aequatore, quod in uniuersum fieri solet, definiamus. restat particula quaedam Africa & America regionis. nam terra quae dicitur Australis, ad ornatum infinita magnitudine pingitur, non ad rei veritatem. Itaque aut Esdrae verba interpretari necesse est aliter atque veteres; aut absurdum erit quod scribit Deum terrae septem partes detexisse; aquas in septima collocasse. absurdus etiam quod veteres Peripatetici putarunt, terram decies aqua minorem. oporteret enim terram (ut nihil aliud quam eius superficies mundi centrum attingat) omnino aquis immergi, si vel septies aquarum globus terra maior esset, ut ex circuli ad diametrum ratione docemur: quanto magis si terre centrum in centro mundi constituitur? id autem necesse est, cum ad fretum Magallianum, non procul ab aduerso polo, terrae globus aliquantum emineat. mirum est tamen, sed navigationibus & experientia diuturna compertum, maris & aquarum molem à Septentrione versus Austrum magno impetu ferri. quod Cardanus cum in Britanniam & Hiberniam traiciens à naucleris intellexisset, testatum reliquit: sed cum neque causas eius rei, neque effectiones inquireret, iuste reprehensus est à Iulio Scaligero, quasi figmentum illud per sese in-

nexisset.

nexisset. quod cum pertineat ad uniuersam mundi elementaris, hominumque naturam penitus intelligendam: tum etiam ad id quod posuimus confirmandum, scilicet terras ad Septentrionem, aquas ad Meridiem: hic exteriora calida humida; illic frigida sicca: hic interiora frigida sicca; illic calida humida: observationes veterum cum nostris conferamus. Atque illud primum quod Caldei igneam triplicitatem Europa, Aqueam Africę tribuunt: deinde quod Auster, à Grecis εν τῷς υβριος, quasi ab humore Notus dicitur. est enim ventus ille calidus & humidus: Boreas frigidus & siccus: tum etiam quod aquarum decursus à mari Sueuico per Cimbricam Chersonesum ad fretum Ixium, hinc ad Celticum & Hibericum litus omnium consensione fertur. mare uero Caspium per interiores & occultos aditus ut Maotis in Pontum euoluitur, atque hinc per Hellepontum in Mediterraneum excipitur, post ad fretum Herculeum magna vis aquarum erumpit, ut in Meridiem aduersum feratur. hæc naucleri & negotiatores testata reliquerunt, tum etiam eò nos Geographia & Hydrographia perduxit: nec temere Plinius maiores ab Austro cieri fluctus prodidit quam ab Aquilone: tæetsi rationem attulit inanem, cum perspicuum sit contra fluxum maris Austrum niti. argumento est etiam quod Diodorus olim, & non ita pridem Aluaresius, deinde nostri homines, qui in Africam nauigarunt, uno consensu testantur, imbres ultra Equatorē assiduos regiones infestare, unde incrementa Nili. atque id Plinius libro 11. testatum reliquit, perpetuos etiam ardenti æstate rores Africam irrigare. cuius rei causam nullam adfert. postremum est quod Sol ad

Austrum, ubi locus, hypogei terræ propior est quàm ad Septentrionem tota Eccentrici latitudine. ac propterea molem aquarum eo pertraxisse videri possit. Hac nostra opinionis argumenta sunt, non solum probabilia, verum etiã ut opinor, ad assentiendum necessaria. Sed obiici potest ex Aristotele febres ad Septentrionem acutiores, & caloris vim æstate quàm hieme maiorem. de febre ratio est in præceptu, quæ, coactis meatibus, facit ut etiam hieme ubique acuti morbi grauiores sint quàm æstate: sed absurdũ videri possit in Europa homines æstate magis calere quàm in Africa. illud tamen quasi cognitum ponit Aristoteles. & quidem Aluarezius scribit Abissinũ Ethiopem, quodie Lusitaniam appulerat, cum legato Præsteianis calore extinctum fuisse. iam verò Hispani queruntur in Gallia se maiores æstate quàm in Hispania sentire calores. quin etiam accepi à Purquero Germano cum Tolose ageret, ardentem æstate maiores esse calores in agro Dantisco, id est ad mare Balticum, quàm Tolose. quæ ratio fecit, opinor, ut Germani auctore Tacito hieme, vere, ac æstate annũ definiant; autumnii bona perinde ac nomen ignorent. Dani verò hieme & æstate, ut Pœni, qui veris & autumnii rationem non habent, quemadmodum Leo Afer scribit. causam caloris Septentrionalis ad aëris inertiam & crassitiam referemus. est enim Europa & Scythia plena fluminibus & fontibus, qui ex humore interno fluentes efficiunt limosa & palustria loca: hinc vapor densus æstate sursum euehitur, qui concepto calore ardentius urit, quàm aër Africa tenuis propter fluminum inopiam. quemadmodum igitur ignis ardentius urit in metallo conceptus quàm

in li.

in ligno, & in hoc quàm in culmo: sic in aëre crasso vehementiùs flagrat quàm in tenui. quare ij qui thermas sumptu minore calefieri volunt, solum aspergunt aqua, ut vapor elatus & aër crassior factus calorē sustinere possit. argumento est etiam illud quòd æstate pluuio cælo sudore & calore multò magis disfluimus ac languemus, quàm aëre sereno. neque tamen propterea dicemus exteriora Septentrionis Australibus calidiora, quæ suapte natura sunt frigida sicca: sed flātibus Austris, elatisque vaporibus aër calorem meliùs concipit ac tuetur. Africa verò terra, lapides, aquæ calefactæ multò vehementiùs vrunt, quàm in Scythia propter radiorum acumen. commodiùs itaque ab Aristotele dici potuit, maiores aëris inflammationes æstate fieri ad Septentrionem vsque ad sexagesimum gradum, quàm ad Austrum. Atque hæc in vniuersum de moribus populorum qui regiones planas & equabiles colunt, Nunc singularium discrimen in locis montanis, palustribus, aridis, ventosis, ac trāquillis videamus. Hoc igitur inter plana & montana interest in hominum naturis, quod inter Austrum & Septentrionem: & eadem fere temperatura si loca plana non fuerint palustria. ut enim maximum frigus ad Septentrionem æquabiliter fufum est in planis: sic ad Austrum in montanis, & media regione aëris tanta vis est frigoris ἐξ ἀντιπεριστάσεως τῆς θερμότητος ut non magis Hyperborei, si tamē ulli sunt, quàm Luna mōtes, aut Picus in insula Tenarife, mons omnium altissimus, gelu concrefcunt. id facile colligitur æstatis habita ratione, qua tū maximè grando in media regione aëris cogitur, quod hieme vix unquam contingere videmus, quia frigus ubiq;

dispersum minorem vim habet. falsum est igitur quòd putat Auerroes, qui plantas & animantia vegetiora esse putat in montibus, quòd cælo propiora sint. diuiniore essent montani homines ac magis ingeniosi, qui tamè valde rudes ac barbari ab omnibus appellantur. falsum etiam quòd Hippocrates scribit, mutationes temporum in montibus efficere hominum feritatem ac proceritatem. Cùm autem planæ regiones Septentrionis fere aquis immersæ sint, montes non item; necesse est montanos duriores, robustiores, ac vitæ longioris esse, eoque meliore habitu quòd montanæ aues & pecora palustribus; & montanæ arbore. reliquis præstant. & quoniam nulla fere iuga, sed latera montium coluntur, temperatior est ac magis salutaris ea pars quæ ad Septentrionem conuertitur ultra quintum & quadragesimum à Polo gradum: citrà verò salubrior quæ ad Austrum. est enim magnum utriusque discrimen: quod satis intelligunt ij qui vel in montibus iter habuerunt. quòd igitur de media regione ac populorum moribus diximus, non pertinet ad eos qui in Alpibus, Pyrenæis, Cæmeno, Acrocerauniis, Hæmo, Carpatho, Olympo, Tauro, Stella, Caucaſo, Imao, & Aruernia montibus positi sunt: tametsi cæli tractus est omnium temperatissimus. ab Australibus etiam excipiendi sunt accolæ Atlantis, Arabia montanæ, Bethæ, Angæi, Pici, Serraleonæ, qui mons ὄχνημα θρώπη à Plinio vocatur. sunt enim montani duri, agrestes, bellicosi, laboris patientes, minimèq; ingeniosi. idque non tantùm in montibus Septentrionis, sed etiam in ipso Atlante, qui Tropico proximus est, magni ac robusti homines, cuiusmodi sæpe vidimus, nasci dicuntur; unde legiones con-

nes conscribunt Mauritania ac Numidia reguli. illud certè admiratione dignum est, quòd qui montes Arabia tenent, nunquam feritatem & animi robur deponere potuerunt, sed aut naturæ viribus, aut locorum præsidio freti, in summa libertate semper vixerunt. quinetiam Turcarum princeps, ut audio, sexaginta millia aureorum illis tribuit, ut agro Palestino ac Damasceno libere fruatur. Iam verò Marsi veteres Apennini accolæ, omnium Italia populorum ferocissimi fuisse feruntur. vulgatum est illud, sine Marsis triumphasse neminem. Vnde verò Gostauus legiones conscripsit ut Suecia regnum inuaderet, nisi ex Dalecarlis qui Suecia montes occupat? Quid Heluetij? qui cum à Sueciis originem traxerint, non modò se ipsos, sed etiam finitimos populos tyrannide oppressos in libertatē vindicarunt. Austriæ principes saepe fregerunt: Germanis maximas clades intulerunt: imperij Germanici non minimam partem armis occuparunt: denique tantum armis ac viribus profecerunt, ut principum censores & magistri vocentur. ex quo intelligitur id quod ait Cicero Ligures montanos suapte natura duros & agrestes; maritimos versutos esse. omitto quàm diuturna bella montani Cilices & Acroceraunij cum Turcis gesserunt, quandiu potentiam eorum ducibus Caramanis sustinuerunt ac repulerunt. his omnino repugnat eorum natura qui in locis palustribus versantur, qui propter humoris copiam maiores sunt in eadē latitudine: ut Batavi ac Phrisij, qui Rheini ostia tenent, maiores sunt reliquis in eodem tractu Germanis: & Belgæ propter paludes & locorum planitiem longiores sunt Britannis, quorum regio plana est, ut aiunt,

mini-

minimèque palustris, sed arenosa. pessimè qui in locis palustribus & calidis versantur: ut in Ægypto & in Gallia Narbonèsi, qua paludibus est immersa: illic pestes, hydrocele, vitiligo, lepra perpetuo grassantur. illic quoque videre est languentes homines & fædos pallore vultus. est enim floridus color præcipuè temperatæ regionis argumētū. arida verò regiones quantumuis caleant salubres sunt tamen. nam Hispania, Numidia, Persia, Caldea, Arabia felix, homines habent alacres, duros, ac cæteris in eodem tractu robustiores. cum enī Ægyptus, Cyrenaica, Mauritania, Gallia Narbonensis alba lepra infectæ sint, rarissimi tamen sunt in Hispania & Numidia leprosi, ut Leo Afer scribit. Facit etiam unius interdum fluminis discrimen, naturas hominum discrepantes, cum in longitudinè fluit (ut Danubius, Niger, Eridanus, Tagus, Asopus) quia Septentrionales ab Australibus diuidit, ne tam facile societatibus & commerciis utantur. quò fit ut capitalibus odiis sæpe dissideant. Australes enim qui Nigrum flumen accolunt parui, debiles, subcineritij: qui ad Septentrionem ex altera parte maiores ac robustiores sunt, ac penitus atri. nec mirum si Plato Diis gratias egit quòd Atheniensis esset: non Thebanus: Athenæ tamen ac Thebæ Asopo flumine duntaxat, ac XX. circiter milliaribus diuiduntur: sed Athenienses ad Austrum, Thebani ad Septentrionem conuersi sunt. qui sunt in conuallibus ad Meridiem maiori calore urgentur, quàm qui eodem tractu Septentrionem spectant: ita ut hi ad Scytharum; illi ad Australium naturam magis accedant. inde fit ut qui Carpatho adiacent meridiem versus retorridi sint: ex ad-
uersa

uersa parte candidi. eandem ob causam Galenus homines
 tabidos in agrum Tabianum mittebat, inter Surētum &
 Neapolim, ubi vallis ad Austrum hieme quoque Veris tē-
 periem habet. inde quoque morum dissimilitudines ac di-
 screpantes eorum natura qui Rhetiam, Carinthiam &
 Croatiam incolūt, ab Istris & Illyricis: & Insubrum à Li-
 guribus & Hetruscis. sunt etiam qui conuallibus undiq;
 ambiuntur, qui maximis caloribus vruntur ultra quintū
 & quadragesimum à Polo gradum, propter mutuum ra-
 diorum concursum, & conclusa undique loca. cū autem
 è montibus fontes & imbres limosi fluant, necesse est ferti-
 litatem maximam ingenerari. neque enim fabulosa mihi
 videntur quæ veteres de Mauritania & conuallibus v-
 triusque Atlantis prodiderunt, centesimam colligi mes-
 sem: cū his quoque temporibus Leo Afer quinquagesi-
 mam se vidisse fateatur. certè Plinius scribit Maurita-
 niæ Procuratorem Augusto tritici granum misisse, quod
 CCCC. germina, paucis minus, haberet. magis incre-
 dibile est illud Strabonis de vallibus Tauri montis, race-
 mos duorū cubitorum nasci: & ex una ficu modios colligi
 septuaginta. eadem fere de agro Damasceno, in conualli-
 bus Libani montis. nota est Aruernorum Limonia, Tau-
 rinus ager, aurea vallis Pyreneorū, Thessala Tempe, val-
 lis Sedunensis, & Carpati conualles: quæ tanta fertilita-
 tate luxuriant, ut montium sterilitatem conualliū uber-
 tas abundè compēsare possit. in hac igitur frugum copia,
 necesse est agriculturæ deditos esse incolas, rem militarem
 negligere, otium colere, delitiis disfluere. Id quod Athenæ-
 us libro XII. scribit de Lydis & Umbris deliciarum in-

y famia

famia flagrare. utraque regio sita est in locis planis & humilibus. hinc Propertius Meuaniam sitam loco plano & cauo dixit. talis etiam fuisse dicitur Sybaritarū, qui neque orientem neque occidentem Solem videbant, quorum delicias & luxum describit Athenæus. sed ridiculè Alciatus qui apud Plautum & Catullum, qui porcos Umbros appellant, parcos legit. multò etiā absurdus quòd apud Plutarchum libro II. cap. X. symposiacōn ὀμβροῦς πορκοῦς ad Umbros pertinere putauit, cū de feris illic agatur. sic enī ὀμβροῦς & ὀμβροῦς αἰαλῶς Eliano & Æschylo dicuntur catuliferarum, & qui ex oue & Musimone fero animali nascuntur Umbri à Latinis dicti sunt. sunt igitur luxui dediti qui fertiles eiusmodi conualles habitāt. contrā quān accidit iis qui loca sterilia colunt. sunt enim in bello strenui milites; in pace ingeniosi opifices, aut diligenter mercaturam exercent. eam ob rem Atticus ager sterilis Athenienses habuit artium inuectores: ut Genuēses apud Italos, Lemouices apud nos, Norimbergenses apud Germanos. beatiores igitur illi frugum copia; hi verò ingenio. & quoniam aquæ gelidæ ex niuibus coactæ in valles deriuantur, fit sepiusimè ut struma vel hydrocele capiantur. præsertim si vallis ad occasum & Septētrionem conuertatur. nam qui Valedocam agri Taurini vallem incolūt, omnes strumas habent & gula tumores aut tonsillas: amentes quoque sunt & inepti ad loquendum, ut in Aquitania Labdani populi Labdacismo balbutiunt. Atque hi morbi ab aquis ad corpora deriuantur; ab his ad animum trāsferuntur. quanta sit in aquis ad mores immutandos vis ac potestas, ex Hippocrate satis intelligitur, nec pluri-

bus

bus opus est: illud tamen animaduersione dignum quod scribit Plinius; Haliacamone flumine Græciæ oues fieri cædidas, Axio nigras; Xanto flauas: hoc etiam Vitruuius confirmat. Ab aëre verò, quo maximè viuimus, vitia non minora; interdum etiam maiora oriuntur. quod tamen etsi in uniuersum diximus: singulare tamen est quòd ueritosa loca ferociores homines, ac mobiliores reddunt. quæta verò humaniores & constantiores. ratio perspicua est. neque enim tranquilla mens esse potest in eo qui huc illuc iactatur. cuius rei argumento est. quòd in motu ac tumultu contemplari nemo potest. sed purgata mente ac perturbatione uacua, tum etiam immoto corpore id fiat oportet: & quò quisque magis sapit, eò tardiores habet corporis & animorum motus. qui verò insaniunt, perpetuò corpore æquè ac animo iactantur. itaque nautas, opinor, aquarum & ventorum perpetua iactatio barbaros & inhumanos reddit. ut ut sit, comperit est Thraciam, Galliam, Circassiam, Lybiam desertam, Lusitaniam, Persiam, Noruegiam, Noricum & Pannonias, quæ ventorum impetu magis agitari dicuntur, populos habere mobiliores ac ferociores, quàm quæ regiones eodem cæli tractu quæta sunt, ut Assyria, minor Asia, Italia, præter Liguriam, Britaniam, Ægyptus; ubi cælum aureum esse fertur. nam Circassij qui Tauricam Chersonesum incolunt, cæli tractum valde temperatum habent, mirum tamen in modum feroces, perfidi & crudeles esse dicuntur: at nusquam ventorum maior vis est. constat etiam nullos esse populos in Gallia Narbonensibus, Aquitanis, & Prouincialibus ferociores: qui tamen aliis Australiores sunt: ut putem partim ab Al

tanis (sic enim vulgo & Plinio vocatur *Circius* qui *Galiam Narbonensem* perpetuo infestat) partim etiã à *Coro*, qui ab incolis *Serra* dicitur, & omnium violentissimè spirat, hanc feritatem & irrequietam animi agitationem ingenerari. Non parum etiam mores hominum & naturam immutant confusiones populorum. neque enim verum est ab eadem cœli temperie *Scythas* omnes sui similes esse, ut putauit *Hippocrates*: cùm ubique terrarum sua sit propria quaedam temperatura. verior esset *Empedoclis* & *Stoicorum* opinio, qui, ut refert *Plutarchus*, dissimilitudines oris ab imagine animo concepta fieri putant. nam belluarum similes sunt partus, quòd nullis cogitationibus ut est apud *Plinium*, sed solo sensu mouentur: ita *Scythæ*, qui puras & naturæ congruentes amant voluptates, minúsque cogitationum varietate distrahuntur, similiores parētibus liberos procreare solent. alia tamen ratione ducor. nam in *Æthiopia*, ubi hominum genus acutissimum & salacissimum esse diximus, nemo tam sui similis est, quàm omnes omnium. sunt autem parui, crispi, attri, simi, labeones, glabri, albisimis dentibus, nigris oculis. *Scytharum* nullam esse dissimilitudinem tùm *Hippocrates* ipse, tùm etiam *Tacitus* de *Germanis* scribit, & re ipsa compertum habemus, quò longius à medio disceditur, eò sibi similiores esse vultus. in regione media videmus infinitã hominum dissimilitudinem. cùm enim in illa regione omnium oculi flauescere debeant (nam ex atro, ceruleo & flauo omnis illa varietas oculorum conflatur) videmus tamen præter flauos, glaucos, cæsius, nigros, ramos, & ex his infinitam confusionem. sunt nasuti, simi, crispi, nigri, candidi,

didi, rufi, ænobarbi, punicei, pallentes, nani, gigantes. hoc igitur tribuendum est hominum confufioni, qui ab extremis ad media velut ad optimam temperiem confluere solent. nam illæ Scytharum, Gothorum, Turcarum, & Tartarorum innumerabiles exercitus in media regione conftiterunt. nulli, præter Vandalos, in Africâ traiecerunt, ex qua paulo post eiekti sunt. & cùm Arabes ac Pœni, quos Saracenos veteres appellarunt, ex Africa in Europam & Afiam colonias deduxiffent, in media regione conquieverunt. nulli in Scythiam penetrarunt, cùm enim Hispaniam, Italiam & Graciam inuafiffent, in Gallia cæsi ac prostrati fuerunt. post etiam Galli Italiam & Hispaniæ magnam partem feruitute liberarunt. fimiliter Celtarum ac Romanorum coloniæ veteres in media regione fedes quæsierunt: nullæ in Scythiam aut in Æthiopiam deductæ. quemadmodum igitur videmus ex animantium & stirpium diuerfis generibus, diuerfas nasci formas, ut in Mulo, Pardo, Crocuta, Lycisca, Camelopardale, quæ parentibus difsimiles sunt: ita quoque iudicandû est in hominû varietate. nihil fere Lycisca ex lupo cõcepta differt à cane, quia lupo nihil aliud est quàm canis siluefter, ipfi Varroni. sed Mulus ab Equo & Afina; Camelopardalis à Camelo & Panthera maxime differt: ita si mifceantur Scythæ cùm Æthiopibus, dubium non est quî hominum genus varium ac difsimile fint edituri. fcribit Athenæus, Ptolemæum Philadelphum hominem in Scena exhibuiſſe, qui ore ac toto corpore bicolor eſſet: uno quidẽ latere niger, dextro cãdidus. Hinc igitur factum opinor, ut Dani, Saxones, & Angli confuſi cùm Britannis ferociores

ciores eos fecerint, ipsi euaserint humaniores. Britanni ve-
 rò cum sedibus pulsi in Galliam appulissent, animi feri-
 tatem egrè deposuerunt, seque ipsos à Gallorum seruitute
 paulatim vindicarunt. idem iudicandum puto de Saxonū
 colonia, quam Carolus Magnus in Belgas deduxit. nam
 ij pro libertate fortissimè semper dimicarunt. neque enim
 ut stirpes quæ aliò translatae citò vim amittunt, & soli,
 unde trahunt alimenta, naturam induunt: ita quoque ho-
 mines insitam suæ naturæ vim facile mutant, sed longa
 temporis diuturnitate. cum enim Tectosages Galli ferti-
 lissima quæque Germaniæ loca occupassent, ut scribit Cæ-
 sar, temporis decursu mores & naturam ita mutarunt, ut
 Cæsaris temporibus in eadem egestate & patientia qua
 Germani permanerēt: eodem victu & cultu corporis ute-
 rentur. itaque L. Memmius Consul dimicaturus contra
 Galatas, qui in magna bellicæ laudis opinione floruerant,
 Romanorum legiones metu Gallici nominis perterritas
 in victoriæ spem erexit, cum diceret Galatas iampridem
 Gallos esse desuisse, iam Asiæ delitiis effœminatos & cœ-
 li temperie feritatē amisisse, ut nihil ampliùs esset ab illis
 metuendum. rectè enim Cyrus apud Herodotum molles,
 cœlo molli natos dixit. & quidem Turcæ Scytharum ani-
 mi ferociam paulatim deponunt, ac nisi militarem disci-
 plinam magno studio colerent, facilè Mosconitarum &
 Sarmatarū viribus frangerentur. Restat igitur ut videa-
 mus quantùm disciplina possit ad immutandam hominū
 naturam. Duplex est autem disciplina, diuina & huma-
 na: hæc praua aut recta. utraq; profectò tantam vim ha-
 bet, ut sæpius naturam vincat. nam si verissimè Hippo-
 crates

crates omnia plantarum genera ἐπιμερῶς putavit, quanto id verius est in hominum genere: aut quæ natio tam immanis ac barbara, quæ nacta duces ad humanitatē perducta non fuerit? aut quæ gens politissimis artibus imbuta, quæ humaniore cultu neglecto in barbariem ac feritatem non aliquando degeneravit? atque eius rei cū infinita sint exempla, nullum tamen illustrius est quàm Germanorum, qui cū à feritate belluarum, ut ipsi confitentur, non procul abessent: cū in paludibus ac silvis ferarum more vagarentur: cū inueterato quodam odio semper à litteris ab horruissent, nunc tantum profecerunt ut humanitate, Asiaticis: militari disciplina, Romanis: religione, Hebraeis: philosophia, Græcis: Geometria, Ægyptiis: Arithmetica, Phœnicibus: Astrologia Caldæis: opificiorū varietate, populis omnibus superiores esse videantur. Et quidē Macciauellus suæ ætatis Italos urbanè increpuit, quòd cū ingeniosi admodum sibi viderentur, attamen Germanos accirent ad metiendos fines agrorū. quinetiam Leo Pont. Max. cū Solis ac Lunę cursum emēdare vellet, legatos in Germaniã ut olim Cæsar in Ægyptū misit. Eadē disciplina fecit ut cū Arabes et Pœni suapte natura molles ac effœminati, militarem scientiam colere ceperunt, Asiã et Africã imperium occuparint. Consimiliter Massilienses urbanam disciplinã tanta cum laude coluerunt, ut omnium populorum sapientissimi ac iustissimi clarissimo Ciceronis testimonio fuisse putentur. De Lacedæmoniorum disciplina planè incredibilia narrant historici: quæ tamen eò certiora sunt, quò ab hostibus eorū profecta videmus. Neglectæ verò disciplinæ maius

testimo

testimonium nullum esse potest quàm de Romanis, qui cū antea populos omnes iustitiæ opinione, ac militari gloria superarent, nunc fere ab omnibus utroque superantur. sic enim existimo Romanorum atque adeo Italorum naturam præstantissimam esse: sed nulla tanta naturæ bonitas est, quæ prava disciplina non corrumpatur, in his ergo quæ in hominum populari sermone versantur, & ex iisdem fontibus quibus ego haurire quisque potest, non diutiùs immorabor, sed exemplis domesticis utar. cùm maiores nostri vultus oblongos formosiores esse putarent, obstetrices sensim perfecerunt ut longissimæ viderentur: id quod videre est in antiquis statuis & imaginibus. in Persia omnes fere nasones esse aiunt, quod puto contigisse ex antiqua illa opinione Cyri valde nasuti, in quo regium quiddam inesse iudicabant, & nasos puerorum ita conformabant. quin etiam tradit Synesius se fœminam in Africa vidisse quasi formicam arte insectam, ut spectantibus voluptatem præberet. ita verendum est ut is habitus fœminarum, quo nunc utuntur ad corporis formam venustiore, efficiat ut partus angustiore thorace nascantur, & mutata forma pulmonici euadant. Quòd si tanta consuetudinis ac disciplinæ vis est in rebus naturalibus & humanis, ut paulatim abeat in mores, & nature vim obtineat, quanto id verius est in diuinis? videmus enim religionum tantam vim esse ac potestatem, ut mores hominum & corruptam naturam, penitus immutare videantur. quanquam vix fieri potest ut naturæ prioris vestigia omnino tollantur. ut enim Germani omnium magnarum artium scientiam infinito labore adepti fuerint, in illis tamen ornatus, venustas, or-

do,

do, ratio quàm in Græcorū & Itolorū scriptis elucere videmus, multorum iudicio desideratur: sed ut corporū; ita librorum magnitudinem amplectūtur. nam plura scripsit Musculus, plura Martinus, & Erasmus, quàm quis longissimo vitæ decursu legere possit. Australes longè dissimiles sunt. paucis enim versibus omnia rerum diuinarum & naturalium arcana complectuntur: & ut corporum imbecillitatem ingenij viribus; ita librorum exiguitatem utilitatis magnitudine compensant. Extremum est ut Ptolemei & eorum errores refellamus, qui Zodiaci partes ac triplicitates quas vocant, cuique regioni diserte tribuunt, ex quibus populorum naturam iudicari posse putant. Aut Europam inter Occasum & Septentriones positam, primæ triplicitati, hoc est igneæ, Leonis Arietis ac Sagittarij Ioue ac Marte dominantibus subesse: Scythiam Asiaticam inter Septentriones & Ortum, æris triplicitati, puta Geminis, Libræ, & Aquario, Iouis & Saturni radiis coniunctis: Africam inter Occasum & Meridiem triplicitati aqueæ, id est Cancro, Scorpioni, & Piscibus cum Marte, Venere & Mercurio: Asiam Australem inter Meridiem & Ortum terræ parti, hoc est Tauro, Virgini, & Capricorno unâ cum Venere & Saturno. quæ non modo iis quæ antea diximus, sed etiam ipsi naturæ & historiis valde repugnant. erroris initium attulit locorum ac Geographiæ ignoratio, quæ tanta fuit ut veteres nonnulli Oceanum flumen; Hiberiam urbem esse putarent. ac Ptolemæus ipse, qui aliis præluxit, in quantis erroribus versaretur, satis intelligunt in eo genere mediocriter eruditi. errorem auxit motuum cælestium ignota ratio. vix e-

nim Caldæi annos mille quingentos in eo studio consume-
 re potuerunt, ut ex historia sacra & eorum obseruationi-
 bus, quibus utitur Ptolemæus, intelligi potest. neque verò
 motum orbis octauæ capere potuerunt: at ne Ptolemæus
 quidem motum trepidationis obseruare. hæc enim Ara-
 bum, Hispanorum & Germanorum studiis paulatim
 cognita sunt. quòd enim Caldæi, ut est apud Ciceronem,
 iactant se C. C. C. C. & septuaginta annorum millia in
 periclitandis experiendisque puerorum animis posuisse,
 falsum est: nec huius opinionis leuitas à se ipsa confutata
 desiderat orationem meam. neq; enim ignorassent ea quæ
 à nobis temporum decursu cognita perceptaque sunt. Est
 autem omnino inexplicabile quod de signis Zodiaci pro-
 diderunt, cum ab illorum obseruationibus ad hæc usque
 tempora, Zodiaci partes omnes ac signa integra locum
 mutarint. nam prima stella Arietis, quæ annos sexcentos
 ante Ptolemæum primam partem eius signi occuparat, ad
 vigesimam octauam peruenit. itaque post Caldæorum ob-
 seruationes signum integrum, & multò amplius percurrit.
 Pleiades quæ illis temporibus Tauri caput, nunc Geminos
 tenent. Reguli stella, quæ tunc erat in Cancro, nunc vige-
 simam partem Leonis præterit. quid autem Arieti cum
 Piscibus, Leoni cum Virgine, Tauro cum Geminis? quid
 igni cum aqua commune? at ignea sidera in aqueum signum
 concesserunt. nam si nonum orbem fingamus, id quod ne-
 cesse est, nulla tamen in eo stella. igitur stare nullo modo
 potest illa de triplicitatibus doctrina. sed Ptolemæi exem-
 plis utamur. quid est enī absurdius ac tanto viro indigni-
 us (si tamē eius libri auctor est) quàm Phœnices & Cal-
 daeos

daeos propterea simplices, humanos & siderum obseruato-
 res appellare, quòd Leoni ac Soli subiiciatur: idem tamen
 Babylonem Assyriam, ac Mesopotamiam Virgini &
 Mercurio subiecit, ac propterea Caldaeos scientiarum a-
 matores esse confitetur. Iudaeos autem Syros ac Idumaeos
 audaces & impios, quòd Arieti Scorpioni & Marti sint
 obnoxij. at omnium historicorum summa consensione Syri
 adeò tractabiles sunt, ut ad seruitutem, Iudaei ad religio-
 nem nati videantur. Idumæis verò nihil mollius fieri po-
 test (excipio montanos) id quòd Cicero Pompeij cineri-
 bus obiecit; Putabat, inquit, cum Syris ac rege Naba-
 thæorum, sibi rem esse. sunt igitur hæc τῶν πεδῶν τι, quia Sy-
 ri & Idumæi ad Ægyptios, qualis fuit Ptolemæus, Se-
 ptentrionales sunt, partim etiam montani. ridiculè tamen
 Cardanus eius libri interpres, qui quòd signa locum mu-
 tasse intelligeret ab ætate Ptolemæi ad hæc usque tempo-
 ra, tradit Hispanos, Britannos, ac Normanos rapaces &
 versutos euasisse, & cordi Scorpionis nunc subiici pu-
 tat, quos olim fidos ac probos fuisse scribit, cum Sagitario
 subesset. sed illi repono quòd Appianus de Cassio scribit.
 Cum enim Romanorum exercitus Parthorum sagittis
 cæsus esset, Cassius verò reliquias ad se confugientes ser-
 uare conaretur, Caldaeus illum admonuit, ut tantisper tē-
 pus protraheret, dum Luna Scorpione decurso Sagittariū
 attigisset: tum ille; Magis, inquit, Sagittariū metuo quā
 Scorpionem: ita quoque Britannorum ac Normanorum
 sagitte nobis non scorpiones nocuerūt, cum uniuersam pe-
 ne Galliam bellis ciuilibus iactatam occupauissent: ac no-
 stros exercitus sagittis confecissent. Hæ igitur Cardani

disciplinæ si locum habeant, rerum naturam conuelli & labefactari oportet: tum plagam Aquilonis ad Austrum conuerti, ac pro Germanis audacibus molles Ægyptios: Afros bellicosos pro ignauis hominibus nasci. quod si Cardanus stellas permutatis locis signorum vim confudisse putat, quid fiet Ptolemæo cuius ipse iudicia de sideribus tantopere probauit? quid ipsi Cardano qui veterum apotelesmata sua autoritate alibi semper confirmauit? quæti am, ut de multis unum exemplū afferam, Sleidanus scribit in ecclesiastica historia Carolum Quintū Imp. iisdem Kalēdis quibus natus erat, Imperatorem creatum fuisse: Franciscū regem Gallorum cepisse; de Germania triumphasse. habuit autem in ortu Capricorni sidus, ut Cardanus confitetur, quo sidere natus erat Augustus, ac propterea numum fœlici sidere Capricorni percussit: hoc enim voluit Horatius cū Hesperia tyrannum Capricornum appellauit, quo loco interpretes omnes lapsi sunt. eodem sidere natum scripsit Carolum Burboniū, Cosmum Medicem, & Selimum principem Turcarum, qui VII. Kalēdas Septemb. eodem mense quo M. Antonium Augustus vicit, id est sextili: regem Persarum Hismaëlem in Calderanis campis fregit: biennio post iisdem Kalēdis Cæpsonem Sultanum de imperio deiecit. iam verò constat ab Augusti temporibus ad Selimum & Carolum V. omnia sidera locum mutasse, & gradus septemdecim percurrisse. Capricorni tamen vis eadem est. quis igitur populorū mores & cœlestium corporum vim putet à triplicitatum ratione duci, cū sideribus permutatis, non immutetur natura? quod etsi antea planum fecimus; planius tamen & illustri

illustrius erit, si quis à Ptolemæi temporibus vel etiam à
 Casare maximas planetarum coitiones (inferiores omit-
 to) cum historia coniungat. nihil autem illustrius est in hi-
 storia quàm bellorum motus. & quoniam Scorpioni Mar-
 tem præesse aiunt, in eo sidere coierant planetæ superiores,
 cum inter Pompeiũ & Casarem ciuilia bella toto terrarũ
 orbe exarserunt, imperij verò ac Reipub. conuersio in Eu-
 ropa contigit, quam tamen Ptolemæus Arieti, Leoni ac
 Sagittario subiecit; Africam Scorpioni, Piscibus & Cæ-
 ro. eadẽ coitio in Scorpione contigit anno DCXXX.
 quo tempore Arabes ex Asia desertis erumpentes uniuersum
 pene terrarum orbem armis domuerunt, nouas leges
 tulerunt, religiones confuderunt, imperia Persarum dele-
 uerunt, postremò linguam Græcam, Latinã, & Persicam
 in Asia & Africa sustulerunt. hac autem mutatio in Au-
 strali Asia contigit, quam Ptolemæus Tauro, Virgini &
 Capricorno subesse putauit. eadem coniunctio incurrit in
 annũ M.CCCCLXXVIII. cum repete Italia,
 quæ diuturna pace conquierat, tum suis tum Gallorum
 & Hispanorum armis est obsessa: quæ bellorum calamitas
 Hesperides insulas & nouum orbem inuasit. cum uerò in-
 audita morbi lues ab Hispanis inuecta totam Europam
 populari cæpit. cõuersiones uerò maximæ quæ ad Africã
 pertinebant, in Europa & America contigerunt. Rursus
 anno Christi LXXIII. iidem Planetæ in Sagittario
 coierant, cum Otto, Galba, Vitellius, & Vespasianus im-
 perium Romanorum perturbarunt. nusquam tamen gra-
 uiora bella quàm in Palestina, nec maior clades quàm Iu-
 daeorum, quos Ptolemæus Scorpioni subiecit. & cum an-


no Christi CCCCXXX. planeta in Aquarum incurrissent, repente legiones Gothorum ab extrema Septentrionis plaga in Europam influentes Romanorum imperium oppresserunt. Orientalis Asia quieuit, quam Aquario Ptolemæus obligarat. rursus in eodem Aquarij sidere coierunt anno M. CCCXLVIII. quo tempore Germania maximo terræ motu; Appulia bello concussa: & sacra lues ab ortu versus occasum serpere cœpit, ac totam Europam infestare, quæ tamen nihil habet cum Aquario commune, ut ipsi volunt. eadem traiectio recurrit anno CCCXII. in sidere Capricorni, quæ Asia meridionali tribuunt. secuta est trium Imperatorum & legionum Romanarum maxima strages, cum Imp. Constantinus contra Senatus P. Q. R. voluntatem vi & armis imperium inuasit, totiusque imperij Romani leges, & Rempublicam paulo momento conuertit, omnia tamen in Europa: quæ, si Ptolemæo credimus, nihil ad Capricornum, nec rursus ad Pisces: in quibus tamen coniunctio magna contigit anno Chr. M. CCCCLXIII. quo tempore tyrannides ac bella ciuilia totam Europam inuaserrunt. Eduardus III. Henricum Angliæ regem necauit. Zadamachus Tartarorum princeps à suis de regno deiectus ad Lituanos fugit. eodem tempore coniuratio Prutenicarum urbium facta est: Fridericus Imp. à suis Viëna obsessus: Ludouicus XI. Galliæ rex principum coniuratione pene oppressus: Florætiæ maxima seditiones: Saxoniæ quoque urbes cum ducibus Brunsvicensium bellum gesserunt: Scander Albani dux à Turcis defecit, eosque magnis cladibus afflixit. nihil tamen in Africa gestum video. eodem in signo

coitio

coitio facta est an. M. D. XXIII. quo tempore Gallia bellis ciuilibus, Germania uerò tota nobiliũ ac plebeiorũ inter se concurrẽtibus armis fœdissimè quassatae st. rex ipse Gallorũ ad Papiam captus : ac Roma paulò post ab Hispanis, Rhodus à Turcis est expugnata. tũ eluiones aquarũ maxima quibus orbem terrarũ inundatũ iri prædixerant. nihil tamen in Africa gestum accepi. sed infinitum sit omnia persequi. Quare cum magne illa traiectiones, rerum conuersionem uariosque bellorum motus significant, nec tamen ullius obseruatione cognitum, aut disciplina perceptum sit quæ quanque regionem signa fixa magis afficiant, nihil certi de eo genere statui potest ex illorũ præceptis. tamen si non dubito quin obseruatione diuturna disciplina certior constitui possit : si quis superiorum temporum historias, & coitiones ad initia recurrendo colligere uelit. uerbi gratia ex Polybio intelligi potest Olympiade centesima quadragesima rerum omnium quasi conuersionem quandam contigisse, atque iisdem temporibus Philippum iuniorem Macedoniae, Achæum Asiae minoris, Ptolemeum Philopatorẽ Aegypti, Annibalem Carthaginẽsiũ, Antiochum Syriae, Lycurgum iuniorem Lacedæmoniorum imperio simul successisse : ac subinde Romanis aduersus Pænos, Antiocho in Ptolemæũ, Achæis & Philippo contra Lacedæmonios & Aetolos bella grauisima intercessisse. consimiliter ex Diodoro & Iustino colligemus seruilia bella iisdem temporibus in Sicilia, Graecia & Asia contigisse. & eodem momento Spartacum latronem fugitiuorũ armis Italiam inuasisse, quo Piratæ Mediterranei maris imperium occuparunt. rursus libertate

bertate seruis à Muhamede proposita, Christianos quoq; seruos ad pileum vocasse, ut paulò post nulla fere vestigia seruitutis extarent. contrà verò tyrannides iisdem pene temporibus orbem terrarum infestasse, cùm Muhamedes magnus duos Imperatores & quatuor reges fregit. Ludouicus XI. Gallorum Rex omniũ primus suos seruitute oppressit: Christiernus Suecos miserabili tyrannide afflixit: Zadamachus Tartaros: Eduardus III. caeso rege Anglos: Circassij Memmeluchi. Ægyptios: Vssumcassanus Persas: Pandulfus Senenses: Fr. Valorius Florentinos: Ludouicus Sfortia Mediolanenses: Ioannes Bentiuolus Bononienses: Baleo Perusinos. Idem quoque de literis ac disciplinis rilinquitur iudicandum. simul enim ac semel doctõrum hominum magna uis erupit. deinde quasi extincta memoria litterarum rursus in lucem alij prodierunt. nam Plato, Aristoteles, Xenocrates, Timæus, Architas, Isocrates, & oratorum ac poëtarum infinita multitudo simul floruit, longo post interuallo Chrisippus, Carneades, Diogenes stoicus, Arcesilas in lucem uenerunt. rursus eadem ætate Varro, Cicero, Linius, Sallustius, deinde Virgilius, Horatius, Ouidius, Vitruuius claruerunt. nec ita pridem Valla, Trapezũtius, Ficinus, Gaza, Bessario, Mirandula simul floruerunt. Si quis igitur collectis rerũ memorabilium locis ad ea traiectiones maximas accommodarit, & regiones affici, aut Respublicas mutari perspexerit, tũm scientiam de moribus & natura populorum efficiet pleniorẽ: tũm etiam de omni genere historiarũ multò uerius ac melius iudicabit.

DE STATV RERV M-
publicarum. cap. sextum.

 *M* historia magna sui parte in Rerum-
publicarum statu & conuersionibus explicā-
dis posita sint, consequens est ad consumma-
tam historiarū rationem initia, status, & exi-
tus imperiorū breuiter explicare: præsertim cū nihil sit
in toto historiae genere magis frugiferum ac fructuosum.
cætera quidem ad agnitionem animi pulcherrima, & ad
conformandos cuiusq; mores valde præclara iudicantur:
quæ verò de ciuitatum initiis, incrementis, statu, inclina-
tione, ruina percipiuntur ab historicorum lectione, non sin-
gulis modò, verumetiam vniuersis adeò necessaria sunt,
vt Aristoteles nihil efficacius putet ad hominum societa-
tes stabiliendas ac retinendas, quàm Reipub. moderandæ
sciētia informari. de qua tamen tam variæ sunt magnorū
virorum, tamque discrepantes sentētia, vt mirum videri
debeat tot seculis neminem adhuc constituisse, quis esset
optimus ciuitatis status. etenim Plato cū nullam Rei-
publicæ gerendæ scientiam esse putaret, aut ita difficilem
ad intelligendū, vt eam nemo caperet; legum tradendarū
ac ciuitatis bene instituendæ rationem hanc animaduer-
tit: si viri prudētes omnibus omnium Rerūpublicarū mo-
ribus ac legibus collectis, eas inter se compararent & ex
his optimum Reipublicæ genus conflarent. quod quidem
consilium Aristoteles, quoad eius fieri potuit, secutus vi-
detur; non tamen assecutus. post Aristotelem Polybius,
Dionysius Halicarnassæus, Plutarchus, Dio, Tacitus
A (eos

(eos omitto quorum scripta interciderunt) multa præclarè & grauitè in historiis dispersa reliquerunt. multa quoque Macciauellus, primus quidem, ut opinor, post annos mille circiter ac ducentos quàm barbaries omnia cumularat, de Republica scripsit, quæ omnium ore circumferuntur: nec dubium est quin multò plura verius ac melius scripturus fuerit, si veterum philosophorum & historicorum scripta cum usu coniunxisset. hoc quidem illi defuisse Iouius tradit, & res ipsa loquitur. hunc secuti Patritius. Th. Morus, Rob. Britannus, Garimbertus, multa grauitè & copiose, de serendis moribus de sanandis populis, de principe instituendo, de legib. stabiliendis: leuiter tamen de statu, nihil de conuersionibus imperiorum: & ea quæ Aristoteles principum σοφίσματα, seu κέρφια; Tacitus imperij arcana vocat, ne attigerunt quidem. alij aliquot Rerumpublicarum imagines puras, nulla subiecta ratione, velut historiam ob oculos posuerunt. ex cipio Contarenus, qui Reipub. Venetæ formam, quam ipse omnium pulcherrimã iudicabat, non modò ad intuendum proposuit, sed etiam ad imitandum. atque hi fere sunt quorum de Republica scriptiones habemus: qui tametsi tam accurtè quàm decuit eo de genere scripsissent, nihilominus ea breui methodo complecti necessariũ ducerem: quantò magis si à multis multa desiderantur? Quamobrem utile visum mihi est ad eam quam instituto methodum, philosophorum & historicorũ de Republica disputationes inter se, & maiorum imperia cùm nostris comparare, ut omnibus inter se collatis vniuersa Rerumpublicarũ historia planius intelligatur. Sed ne plus auctoritatis in disputandò, quàm rationum momẽta que-

ta quaerantur, prius Aristotelis definitiones de ciue, de ciuitate, de Republica, de summo imperio, de magistratu, quæ sunt huius disputationis fundamenta, necessariis argumentis refellenda sunt, deinde nostram de singulis opinionem explicabimus, & inueteratum errorem de statu temperato reiiciemus: tum de triplici Republica suo ordine dicemus: postea de conuersionibus imperiorum: postremo de optimo statu. Ciuem definit Aristoteles iudiciorum, magistratus, & consilij capiendi potestate, quam definitione populari tantum imperio conuenire fatetur. sed cum definitio debeat esse uniuersorum, nullus Aristotelis iudicio ciuis erit, nisi natus Athenis, & eo tempore quo Pericles: ceteri in sua ciuitate exules aut peregrini, qui ab honoribus, iudiciis, & consilio publico prohibentur. quid igitur fiet Imperatori Antonino, qui omnes homines monarchiæ Romanæ finibus comprehensos, promulgata lege ciues Romanos esse iussit? nam si Aristoteli credimus peregrini fuerunt sublata populari potestate. quæ opiniones cum absurde sint, ac ciuitatibus perniciosæ, & illa ex quibus sequuntur absurda uideri necesse est. atque hæc Aristotelis sententia Contarenum, Sigonium, Garimbertum, ac plerosq; alios impulit in errorem: nec dubium est quin multis ciuitatibus bellorum ciuilium magnam præbuerit occasionem. quid si ne populari quidem Reipublicæ congruit ciuis hæc ab Aristotele allata descriptio? nam Athenis, ubi Respublica maximè omnium popularis fuisse dicitur, quarta classis infimorum ac tenuium, id est populi pars longè maxima, lege Solonis ab honoribus, à Senatu à magistratuum sortitione arcebatur, ut Plutachus scribit.

A ii quan-

*quanquam quid prohibet in Monarchia & Aristocrati-
 aequè ac in Democratia ciues omnes esse, cum pricipis vel
 optimatum perinde atque populi voluntate magistratus
 & imperia omnibus vicissim tribui possint? Idem magi-
 stratum definit imperio, iurisdictione, & consilij capiendi
 iure. ex quo innuit eum qui adeptus sit ea quæ ciuis adi-
 pisci potest, appellari magistratum, ut ciuis aptitudine tã-
 tum ac potestate; magistratus verò actu ac re ipsa defini-
 tur. quæ si Dialecticorum ponderibus exigamus, ut solet
 Aristoteles, absurda sane videbuntur. sed ne subtilius a-
 gere videamur, quisnam in Republica magistratus ista
 ratione dici poterit, cum tanta magistratum paucitas ad
 consilium admittatur? nam ubique fere imperio ac iuris-
 dictione caret Reipublicæ Senatus, & ea quæ decernit,
 non prius vim habitura sunt, quàm à populo, vel optima-
 tibus, vel principe sanciantur, ut postea planum faciemus.
 sed quid argumenter, cum ipse Aristoteles infinita gene-
 ra magistratum extremo libro enumeret, qui nec imperi-
 um, nec iudicium, nec consilij capiendi ius vllum habent?
 Cum verò Rempublicã ciuitatis ac magistratum descri-
 ptionem vocat, sane ciuitatem Republica priorem facit,
 ut ciuitas sit quædam hominum multitudo sine magistra-
 tibus & imperiis; Respublica verò ciuium ac magistratu-
 um descriptio. sed si plures vnũ in locum coeant sine legi-
 bus & imperiis, si nemo rem communem quæ nulla sit,
 sed priuatam quisq; tueatur, si nullæ pœnæ sint improbis,
 nulla præmia bonis constituta, ubi nam ciuitatis imago
 existere potest? hac igitur congregata multitudo, non ciui-
 tas debuit, sed ἀνάγκη, vel alio quàm ciuitatis nomine vo-
 cari,*

carū: cūm eiusmodi homines ἀπόλιες sint, ut est apud Ho-
merum, καὶ ἀδέμιοι. Iam verò summum imperium, quod i-
pse κύριον πολιτεύμα vocat Ἐκείνην ἀρχήν, in quo versatur
Reipublicæ status, nusquam definit. nisi putemus id vo-
luisse cūm tres omnino statuit Reipub. partes; unam in
consilio capiēdo: alteram in creādis magistratibus: postre-
mam in iurisdictione. sed imperium quod summū dicitur,
eiusmodi esse debet, ut nulli magistratui tribuatur: alio-
qui summum non sit, nisi populus aut princeps imperio se
penitus spoliaret. is autem cui summū imperium dabitur,
non iam magistratus, sed princeps erit. consilij verò de
Republica capiendi ius, etiam priuatis conceditur, ἔτι iu-
risdictione minimis quibuscūq; . non pertinent igitur ad sum-
um imperium. itaque nulla pars est ex his tribus, in qua
imperij summi maiestas elucere possit, preter quā in ma-
gistratum creatione, quæ solius principis est, vel populi,
vel optimatū pro ciuitatis cuiusque statu, at multò magis
ad summum imperium pertinet leges iubere ac tollere: bel-
lum indicere ac finire, extremum ius prouocationis, vitæ
denique ac præmiorum potestatem habere. quòd si demus
Aristotelem noluisse summum imperium, sed Reipubli-
cæ administrationem significare: illud quoque fatendum
erit, nusquam imperium summū ab eo definiri, nec omni-
no Reipublicæ statum, quia status in summo imperio ver-
satur. gubernatio verò ipsa Reipublicæ, quæ longè latè pa-
tet, breuiùs fortasse ἔτι commodiùs decretis, edictis, ἔτι exe-
cutione definitur. quartum nihil est, ἔτι his tribus omnia
Reipublicæ mūnera, imperia, magistratus, honores conti-
nentur. verbi gratia; Senatus bellum decernit: princeps e-

dicit: milites exequuntur. in iudicis, decernunt etiam pri-
 uati iudices & arbitri: imbecillitas magistratus: exequuntur
 apparitores. quæ sæpe fiunt ab uno & eodem. cum igitur
 decernant & edicant magistratus, non possunt edicta, quæ
 Latini iussa, & imperia vocant, τὸ κρείον πολίτευμα signi-
 ficare: multò minùs decreta vel executiones, in quibus iu-
 risdictio consistit. Quæ cum ita sint, certiora principia si
 modò fieri potest, ac magis explorata quàm quæ hæcenus
 allata sunt queramus. Sic igitur statuo familiam aut col-
 legium Reipub. veram imaginem esse: & quemadmodum
 in vniuersi hominis solitudine familia consistere nequit: ita
 nec Respublica in vna familia, vel in vno collegio. quòd
 si plures iisdem tectis contineantur, nec tamen alter alteri
 pareat aut imperet, nec vnus omnibus, nec omnibus pau-
 ci, nec singulis vniuersi, non poterit familia vel collegium
 sibi constare, & non aliter quàm imperio domestico retine-
 tur. contra verò si plures puta vir, uxor, liberi, serui; aut
 plures collega eiusdem imperio priuato, ac domestica pote-
 state retineantur, familiam aut collegiū efficiunt: ita duæ
 pluresve familie aut collegia Rempublicam constituunt,
 si legitima imperij potestate simul coniungantur: si fami-
 lia, vel collegia à se inuicem diuisa sint, nec ullius impe-
 rio coerceantur, ἀνάγκη debet non Respublica vocari: nec
 refert utrum eodem in loco familie coeant: an locis ac se-
 dibus seiungantur. non aliter atque familia dicitur eadem,
 tametsi pater familie seorsum à liberis & seruis, aut hi à
 se inuicem locorum interuallo distant; modò patrisfamili-
 as imperio coniungantur. ita quoque Respublica dicitur
 eadem ex pluribus conflata familiis, etiam si locis ac sedi-
 bus

bus à se inuicem diuellatur, modò sint in eiusdem imperij tutela: siue vnus imperet omnibus: siue singulis vniuersi: siue pauci vniuersis. Ex quo illud efficitur, ut Respublica nihil aliud sit, quàm familiarum, aut collegiorum sub vnum & idem imperium subiecta multitudo: cuius autem qui cõmuni libertate fruitur, ac imperij tutela. nam quòd Tullius Rempublicam definit hominũ multitudinem bene viuendi causa sociatam: finem quidem optimum significat, non Reipublicæ vim & naturam. nam hæc definitio pertinet ad collegia Pythagoræorum, & eorum qui bene viuendi causa simul coeunt: non tamen Respublicæ dici possunt, sine magna Reipublicæ & collegij confusione. prætereà sceleratorum quoque familiae sunt, non minùs quàm virorum bonorum, quia non minùs homo est sceleratus quàm bonus. idem quoq; de Republica iudicandũ relinquitur. quis enim dubitat quin maxima quæque imperia sint à latronibus ui constituta? Hæc igitur Reipublicæ definitio à nobis allata, pertinet ad vicos, vrbes, ciuitates, & principatus quantũuis latè pateãt. modò eiusdem imperio coerceantur. neque enim locorum angustis, vel amplitudine Respublica describitur: ut neque magis animal est elephas quàm formica, cùm utrique mouendi ac sentiendi vis insit: ita non minùs Respublica dici debet Rhagusia vel Geneua, quarum dominatus pene mœnibus ipsis concluditur, quàm Tartarorum imperia quæ iisdem regionibus quibus solis cursus definiuntur. itaq; absurdũ est quòd Aristoteles ait; nimis magnam multitudinem hominum, quanta fuit Babylone, gentem esse non Rempublicam. at nullum est imperium commune gentium inter ipsas, neq;

verò

verò lex vlla: Babylonij autem non solum iisdem imperiis, magistratibus, ac legibus, sed etiam mœnibus continebantur. quid igitur Respublica nisi hoc est? Obscurius tamen videtur quòd Cicero alicubi Rempub. definit ceterum multitudinis iuris consensu & utilitatis communione sociatum: quod quidem si admittatur, non satis erit ciues eodem imperio, nisi legibus iisdem simul deuinciantur. sed absurdum sit imperium Turcarum, qui populos habet nulla iuris societate sibi coherentes Rempublicam non esse, cum iisdem magistratibus, & imperiis simul coniungantur. erit autem Respublica vel anarchia: non hoc; illud igitur. Ex quo sequitur Rempublicam eodem imperio definiri: ciuitatem imperio ac iure: urbem autem, quae non solum imperiis ac legibus, verumetiam mœnibus iisdem suos ciues amplectatur. itaque vrbs vicos; ciuitas pagos, interdum etiam vrbes & oppida modò iuris societate coniuncta; principatus denique siue dinastia, utamur hoc verbo, plures ciuitates; Respublica denique veluti genus hæc omnia complectitur. sic enim Cæsar, Omnis, inquit, ciuitas Heluetia in quatuor pagos diuisa est. & Cicero Tusculum municipiũ Romanã ciuitate contineri dixit: aliter quàm Bartolus qui ciuitatem muris definiit, in l. vrbs appellatio. de rerum & verborum signif. & ad legem municipalem, municipẽ genus ciuis appellauit, nec ratione nec auctoritate cuiusquã adductus. quemadmodum igitur maior est eorum coniunctio qui sunt eiusdem vici, quàm vrbs: ita maior est eorum propinquitas qui sunt eiusdem vrbs quàm ciuitatis: quòd non modò imperia, iudicia, leges, instituta ciuibus inter se communia, verumetiam vrbs ipsius

ipsius tutela, forum, fana, porticus, viæ, theatra, sacrificia, multæque cum multis amicitia rationesque cõmunes sint. ut cùm Romana Respublica ex Albanorum tribus omnino millibus coaluisset in eodẽ agello, primùm Antemna-tes, Camerinos, Crustuminos, Sabinos; post etiã Albanos victos partim eadem ciuitate: partim iisdem agris & mœnibus excepit. cùm autem Tusculanos, Æquos, Volscos, Hernicos bello fregisset, non in urbem aut agrum Romanum propter loci angustias, sed tamen in Rempublicam admisit, & saluis eorum legibus, honores & magistratus capere voluit: qui ciues eodem quo alij nomine; proprio municipes: incolæ autẽ agri Romani veriùs Quirites dicebantur, quorum fuit conditio melior. hinc illa M. Scauri vox ad auum Ciceronis, quòd Arpini quàm Romæ uiuere mallet; Utinam M. Cicero isto animo atque virtute in summa Republica, quàm in municipali uiuere maluisset. huius nepos orator, non modò in urbe domiciliũ quæsiit, sed etiam domum quinquaginta millibus aureorum æstimatã: nihilominus tamen nouus homo, & peregrinus est ab aduersariis appellatus: nouus quidem; quòd primus in sua gente honores esset adeptus: filius nobilis; quia patrem nouum habuit: ille peregrinus contumeliosè dictus, quòd Arpini esset, non in agro Romano natus. Ex quo existit illud, variè ciues à Latinis usurpari, ac ciues urbanos meliori conditione fuisse quàm ciues coloniarum, quia tametsi legibus, moribus, & imperiis iisdem uterentur, non tamen iisdem agris & urbe, à qua lux imperij & immunitates quærebantur: ipsa verò municipia deteriore fuerunt olim conditione quàm coloniae, propter generis ac sanguinis

nis Romani dignitatem. nam pro beneficio datum est municipiis ius coloniarum usque ad Tiberij tempora, quibus municipia repudiarunt ultro ius illud, ac suis legibus & moribus quam Romanis uti maluerunt, ut est apud Gellium. itaque ciues quidem fuerunt eiusdem Reipublicæ, non tamen eiusdem ciuitatis, sic igitur interpretari debemus legem Iuliam, qua Romani bello sociali ciuitatē omnibus sociis communicarunt; non quòd antea ciues non essent, cum omnes iisdem imperiis tenerentur, sed ab honorum petitione arcebantur. postea ius illud Italis omnibus dari cœpit. deinde colonia, quas Vlpianus complexus est in titulo de censibus, ius Italicum habuerunt. reliqui populi partim vectigales fuerunt, qui à Plinio enumerantur: tametsi aliud alij paulo momento cōcessum est: partim liberi, qui suæ Reipublicæ dignitatem tuebantur: ut apud nos Albi, Meldi, Bituriges, Santones, Tarbelli, Aruerni, Neruij, Verunni, Vlbanectes: apud Græcos; Athenienses, Lacedæmonij, Thessaloncenses, post etiam tota Achaia beneficio Neronis: partim liberi ac fœderati, qui iure ciuitatis honorario fruebantur, ut Massilienses, Hedui, Remi, Cauratani, non tamen re vera ciues, quia Romanorū imperiis non tenebantur. quòd igitur Lilius libro XXIII. scribit eos qui Puteolos, Salernum, & Buxentum deducti fuerant coloni, cum se pro ciuibus ferrent, iudicatos à Senatu non esse ciues: hoc pertinet ad ius suffragiorū, & honorum petitionem, quo nihil maius ac melius ciui dari poterat: non quòd ciues non esset: alioqui peregrinos fuisse fatendam sit. quod etiam Boëtius ad Ciceronem tradit; ciues Romanos mediam capitis diminutionem pati,

cum

cùm in colonias Latinas deduceretur, & ciuitatem amittere: hoc est ius suffragiorum, domicilium, sacra, tribum: ius autem honorum, magistratum, ordinis, nexorum, dominij Mancipi, testamentorum, connubiorum consequebantur municipales & coloni, sed alius alio plus. quòd si æquo iure omnes uterentur, nemo cuius haberetur nisi qui ingenuus Romæ natus esset. at ubique apud Liuium & alios scriptores ciues etiã appellantur, qui habuerunt ius Quiritium, quod multò deterius erat: vel etiam Municipium, vel ius Latij, vel coloniarum Latinarum; quæ Romanis coloniis iure inferiores erant: vel ius Italicum, quod item duplex erat in Italia & prouinciis, ut planum fit in titulo de censibus. quòd si appellatio ciuis in omnes valet, falsa est illa definitio quæ ciues omnes honoribus, suffragiis, consiliis, iudiciis, ac tributorum immunitate metitur. præsertim cùm lex Iulia de ciuitate sociis omnibus ciuitatem dedit: tùm etiam lex Antonini Pij de statu hominum his uerbis concepta; In orbe Romano qui sunt ciues sint Romani: non modò sociis, sed prouinciis omnibus ciuitatem communicarit: neque tamen prouinciales Italici, nec Italia præfecturas municipibus, nec municipales Italos Latinis, nec Latinos municipales colonis Latinis, nec Latinas colonias Romanis colonis, nec Romanas colonias Quiritibus, nec Quirites Romanis æquauit, ut falsò plerique putant. cur enim ius Romanum Italicum & municipale iurisconsulti tam accuratè interpretarentur? nam Scaeuola, Papinianus, Paulus, Hermogenianus, Marcellus, Modestinus, floruerunt post Antoninum Pium, qui hanc legem tulit: fallitur enim Onuphrius qui latam putat ab Anto-

nino Caracalla, ut planum fit ex Authen. LXXVIII. prætereà falsum esset quòd Dio scribit, Alexandrinis à Seuero concessum esse ut Senatores fieri possent. quid igitur, dicet aliquis, lege Iulia sociis datum est si iam libertate & imperij tutela fruereantur? cur pro ciuitate adipiscenda tandiu bella gesserunt? hoc scilicet, ut honores petere, ac suffragium in comitiis ferre possent. hoc ius Romana ciuitatis appellabant optimum: aliis honores petere, non tamen suffragium ferre licuit: aliis neutrum, sed tamen iure priuato Romanorum utebantur, quo alij carebant, liberi tamen à uectigalibus erant. aliorum alia iura sunt à iurifconsultis explicata, quæ longum esset percensere. lege uerò Antonini prouinciales quoque omnes Romani generis nobilitatem adepti sunt, sic enim Iustinianus scribit: ut postea magistratus parem in eos iurisdictionem haberent. cum antea ciuis libera prouocatio Præsidi omnem adimeret cognitionem. cum enim D. Paulus, cuius pater ius ciuitatis emerat, in capitali causa Cæsarem appellasset, tùm Fælix Syriæ Præses; Poterat, inquit, hic homo liberari nisi appellasset Cæsarem. & Plinius Secundus ad Traianũ scribēs de Christianis; Qui ciues erant annotari in Urbẽ mittendos. neque solùm in Republica Rom. sed ubique discrimen illud ciuium reperiemus. Romæ quidem in iisdem mœnibus fuerunt patricij, equites, plebei. apud ueteres Aegyptios sacerdotes, milites, opifices, ut scribit Diodorus: apud maiores nostros, Druidæ, equites, agricola: nunc sacerdotes, nobiles, plebei. apud Venetos nobiles, citadini plebei. apud Florentinos olim grandes, populares, plebei: & popularium tres ordines; potentiores, mediocres, infimi

infimi. Plato quoque custodes, milites, agricolas cōstituit: omnes ubique iure, legibus, muneribus, suffragiis, honoribus, priuilegiis, conditione, immunitate aut re quapiam à se inuicem diuisi. omnes tamen sunt Reipub. ciues, veluti mēbra corporis eiusdem. rectè enim Augustinus; Dicet ne pes, non sum oculus, non igitur de corpore? igitur valde absurdum debet videri, pace dicam Aristotelis, eiusmodi ciues partim ciues esse, partim peregrinos. cui enim rei descriptio & rei appellatio congruere debet. Sed obscurius est quod ait Cicero; neminem suæ & Romanæ ciuitatis ciuē esse potuisse, apud Græcos tamen licuisse. ego verò putem eandem esse omnium rationem, & Ciceronis dictum de ciuibus duarum ciuitatū, ad ciues honorarios pertinere. quòd Hermogenianus interpretatur in l. municipes, ad legem municipalem: ita ut alterius quidem ciuitatis necessarius, alterius sit honorarius ciuis. alioqui fatendum erit eundem ciuem diuersis imperiis ac iussis simul ac semel obligari, quòd absurdum sit. quid enim facturus est si alter iubeat, prohibeat alter? quod igitur Vlpianus ad legem municipalem manumissum duarum ciuitatum ciuem effici posse tradit, ad eam quoq; pertinet interpretationem. cū autem una ciuitas alterius imperio gubernatur, ut olim præfectura, colonia, fora, concilia, municipia, prouinciæ imperio Romano tenebantur, suorum quisque ciuium decretis parere cogebatur, salua tamē imperij Romani maiestate: ut collegæ statutis collegij obligantur, salua Reipublicæ dignitate. quod autem Romanis, idem populis omnibus video licuisse; ut dimissa ciuitate propria possint alienam vsupare, si modò recipiantur. ut enim ad

beneficiarium seu fidelem constituendum, necesse est ut ea conditione natus sit, aut si alteri suam fidem obligare velit, necessarius est imperantis & obsequentis consensus: ita quoque ad ciuem constituendum, satis est ut eius imperio, in cuius finibus natus est, acquiescat (acquiescit autem si non aperte dissentit) aut si aliò se transferat, necesse est antequam ciuis dicatur, ut se alterius imperio subiiciat et recipiatur: quod quidem si factum erit, postliminio redire non potest, quia ciuis alienus factus est, & suæ ciuitatis peregrinus, ut in curia Parisiorum iudicatum memini. quare in causa Mancini, qui deditus hosti fuerat, ab eo tamē repulsus, iudicatum est ciuem esse non desisse: tametsi Tribunus plebis è Senatu iusserat educi ueluti peregrinū. peregrinos igitur à ciuibus hac ratione potissimum distinguemus, quod hi vel patriæ imperiis acquiescant: vel alieno imperio se subiecerint & accepti sint. illi quod nec originis imperio acquiescant: nec se aliis dediderunt, aut repulsi sunt. Scribit enim Appianus se multarum gentium legatos Romæ uidisse, qui se suæque Romanorū potestati permitterent, ab illis tamen repulsam tulisse. ac tametsi ius peregrinis dicitur æquè ac ciuibus, propter eā quæ est homini cum homine rationis societatem, multaque liberaliter communicantur, urbis domicilium, sacra, forum, via, theatra, nullum tamen est imperium in illos, nisi scelere pacto uel se obligarint: nec ad munera cogi possunt, nisi ubi suarum fortunarum domicilium collocarint, ut iurisconsulti tradunt. Veneti annos XIII exigunt, ut in urbe habitari peregrinus priusquam efficiatur ciuis: nec tamen honoribus fruitur, sed collegiorum societate & imperij

perij tutela. quòd autem ciues sint, qui originis imperio ac quiescunt, tametsi ex peregrinis nati, planum fit ex omnibus omnium gentium moribus & institutis. ampliùs etiã Germani qui eos admittūt ad honores, non item Veneti, nec veteres Romani, nec Athenienses; nisi quis utroque parente ciue nasceretur, ut est apud Plutarchum in Themistocle, & Liuium ubi agit de iis qui ex ciuibus Romanis & Hispanis mulieribus nati erant. apud nos qui ex peregrinis parentibus nascitur, a quo iure ciuis est, ac si ex ciuibus nasceretur: & bonis parentum peregrinorum (quæ non modò nostris, sed etiam Britannorum ac Turcarum legibus fisco vindicantur, nisi liberos in ipsa Gallia legitimos susceperint) liberè frui potest. illud etiam magni ponderis est ac momenti, quòd peregrini iure omnium gentium imminente bello possunt expelli, ciues etiam ab iniustis possessoribus iure vindicari. tametsi reges Abissinorum ac Moscouitarum peregrinos contrà ius gentium inuitos retinere, ac liberaliter fouere dicuntur. Ex quibus perspicuum fit definitionem ciuis ab Aristotele inuectam, Contareno, Sigonio, Garimberto, Soderino probatam, consistere nullo modo posse. Sed ut omnis ambiguitas tollatur, quæri potest utrum fœderate inter se ciuitates Republicam efficiant eandem, puta ciuitates Heluetiorum, & Balticae urbes. id quidem Leandro Mutio ac multis saepe visum est: quòd Heluetij arctissimo inter se fœdere sociati sunt, habent prætereà cætus eosdem, Badese oppidum, & pleraque loca inter ipsos communia, quo magistratus communes mittunt. sed habere commercia mutua, rerum contractarum fidem, iura connubiorum & hospitij, deni-

denique magnam amicitiae cōmunionem, efficere non possunt ut una sit & eadem Respublica: alioqui Gallorum quoque, & Hispanorum, quibus sunt hæc inter se cōmunia, Respublica eadem sit; quod falsum est, non etiam si legibus iisdem utantur, ut olim Romani legibus Græcorū acceptis: non denique si tanta sit fœderis inter ipsos coniunctio, ut eosdem hostes persequantur, eosdem amplectantur amicos: ut sæpe fit inter principes summa cōspirationis fide & consensu. restat igitur ea quam dicebam imperij societas & coniunctio. Heluetiorū autem ciuitates XIII. Rethorū tres, Balticæ LXX. iis legibus fœdera percusserūt, ut ne aliis alij noceant, & iuratos hostes in communē perniciē mutuis auxiliis persequantur. imperij verò nulla societas, nulla coniunctio est. non alio fœdere utebantur Amphyctionum urbes VII. Etolorum tres, Ionum XII. quæ tametsi communes quosdam conuentus haberent, ut sua tuerentur, & hostes propulsarent, attamen unaqueque ciuitas ab aliis erat imperij iure diuisa: sic Heluetiorum ciuitates singulæ aliarum decretis non aliter obligantur, quàm si sponte assentiāt, ut in pactis sociorum priuatis. at in eodem imperio quod pluribus placuit oēs obligat. aliud sentiendum est de ciuitatibus XLVII. Latinorum, XII. Achæorum, totidem Hetruscorum & Germanorū imperialibus oppidis ac prouinciis, quæ Rempublicam constituunt, propterà quòd eidem imperio ac imperatori obligantur. nam Achæi, Latini, Hetrusci singulis annis imperatorem creabant (interdum tamen imperium diutius prorogabant) Germani perpetuū. & quem admodum Philippus uterque & Antigonus Macedoniæ reges,

reges, ab Achæis imperatores aliquando electi sunt, ut Plutarchus & Polybius tradunt: sic etiam Seruius Tullius, & Tarquinius superbus, imperatores Latinorum creati sunt; Coriolanus Hetruscorum, ut Dionysius scribit. consimiliter Hispani, & Galli reges Germanorum imperatores facti sunt. Suenica verò societas, quæ in annos XL. concepta fuerat, & Balticarum urbium fœdus, hoc tantum differt ab Heluetica societate, quòd hæc in perpetuum; illæ verò ad tempus constitutæ; salua tamen imperij Germanici maiestate. sunt etiam interdum sanctiora fœdera quibus ciuitates non modò principum amicitiam, sed etiã fidem colunt, nec aliud præstare tenentur, nec eis aliud imperari potest: ut Traiectum, Ligij, Gueldria, Constantia, Cameracum Austriacis principibus, aliæ quoque in Germania quamplurimæ ducibus & comitibus suam fidem obligarunt, nihil tamen aliud præstare tenentur, ut vassalli plerique. Hæc autem quæ diximus grauissimis imperatorum & regum sententiis comprobata fuere. Cùm enī Tigurinis socij bellum indixissent, quòd cùm Austriacis fœdus percussissent, Tigurini sibi licere docuerunt, modò nihil contra socios molirentur. at nemo dubitat quin Austriaci communes Heluetiorum hostes, & quidem capitales essent. quare non prius bellum Tigurinum exitum reperit, quàm Basileæ & Constantiæ Pontifices, Tigurinos ab Austriaco fœdere disiunxissent: propterea quòd fraudem fœderibus faciebãt: non quòd aliorum imperiis, sed pactis suis obligarentur. atque eius rei maius argumentum nullum est, quàm de agris hostium captis à Bernatibus: sociæ ciuitates prædam ex æquo diuidi oportere con-

tendebant: Franciscus Gallorum rex arbiter electus, iudicauit ea cuiusque ciuitatis esse propria, que propriis non sociorum armis quaereretur, ut Leander Mutius scripsit. postremo cum nuper Glarenfes veterem religionem abiurassent, magna inter socios orta dissensio est: quod alij fas esse negarent ea foedera violare, quae sacro bello contracta fuerant, quibus sanctissime cauebatur, ne a suscepta religione posthac discedere liceret. Glarenfes se hoc pacto contra ius diuinum obligari potuisse negabant, multo minus posteros iam ad arma res prolapsura videbatur, nisi prudentium hominum consiliis acquiescissent, ea lege ut sua quisque religione ac imperio uteretur. Non igitur diuersarum ciuitatum foedera, commercia, iura, leges, religiones Republicam constituunt eandem, sed eiusdem imperij coniunctio. ut rex Hispanus imperium habet prouinciarum magnitudine ac locorum interuallis longe maximum: singula vero prouincia multas ciuitates legibus ac moribus diuisas, una queque ciuitas aliquot vicos, vrbes, oppida, castra quae eodem iure utuntur: nec ullum est oppidum quod non habeat singulare quiddam (ut omittam loca cuiusque uniuersitatis propria) quod aliis non comunicatur: omnium tamen communes sunt imperij leges, quae tot populos, tanta linguarum, morum & regionum distantia seiunctos unius & eiusdem principis maiestate coniungunt. idem quoque de reliquis iudicandum. omnia autem omnium regna, imperia, tyrannides, Respublicae non alio quam rationis imperio ac gentium communi iure copulantur. ex quo sequitur hunc mundum veluti ciuitatem aliquam esse, & omnes homines eodem iure quodammodo confusos, quod intel-

intelligunt se esse consanguineos, & subiectos omnes sub unam eandemque rationis tutelam. sed quia illud imperium rationis cogit neminem, re vera non potest una ex omnibus gentibus Respublica conflare. itaque principes aut mutuis armis agunt, aut foederibus, aut bona venia à se mutuo impetrant, ut res legitime transactas & iudicatas extra fines imperij exequantur. Explicata definitione civis, magistratum quoque definiamus. sunt enim hæc civitatis elementa. hunc igitur Aristoteles imperio, iurisdictione, & consilij capiendi iure describit: in extremo tamen omnia Reipub. munera magistratum nomine complectitur. qua ratione nulli fere sint magistratus; cum tanta raritas sit eorum qui consilij, iurisdictionis, & imperij participes sunt. absurdum quoque videatur eos omnes magistratus appellatione venire, qui munera publica gerunt: alioqui scribas, lictores, cornicularios, apparitores, carnifices denique licebit magistratus appellare; qui olim conditione serui fuerunt, & verius ministri dicantur. vox autem magistratus, imperium ac potestatem significat. sic enim Dictator magistratus omnium maximus, populi magister dictus est. Sit ergo magistratus is qui imperij publici partem habet. publicum adieci, ut ab imperio patrio & herili distinguatur. est autem imperium in magistratu nihil aliud quam edictum; in principe lex, at frustra quis iubeat, nisi executiones iussa sequantur. cum verò minima pars imperij exequendi adversus contumaces in comprehensione posita sit, ex regula Varronis & Ulpiani, consequens est ut is imperio careat, qui prehensionis iure caret. itaque in omnibus fere civitatibus comprehensio minimis

quibusque magistratibus permissa est, etiam iis qui vocandi ius non habent: ut Tribuni plebis, tamen si potestate saepius abuterentur, & in ius vocarent. apud Venetos, Triumviri aduocatores fontium prehensionem & accusationem habent, vocationem non habent. apud nos omnibus non modò iudicibus, sed etiam iis quos castelli commissarios vocant, prehensio tributa est; qui tamen à iurisdictione deseruntur. qui plus habent imperij, etiam vocare & mulctam irrogare possunt pro modo suæ potestatis, tuenda iurisdictionis causa, quæ alioqui inanis esset: etiam mulctare possunt iudices ij qui iurisdictionem habent minimam, quam prædicatoriam vocamus. aliis mulcta maior permittitur: quibusdam verberum potestas: nonnullis etiam questio. extremum est cum gladij ius tribuitur, in quo merum imperium posuerunt Iurisconsulti; quia nihil magistratui maius tribui potest, nisi summum imperium accedat, id est vitæ ius ac necis, quod uersatur in summa contra leges clementia vel acerbitate, quæ propria sunt eorum qui summum Reipublice imperium habent. igitur imperia magistratum, gladij potestate ac prehensione quasi finibus extremis continentur: quæ sæpe rationem habent à iurisdictione diuisam. hæc enim uersatur in decretis; imperium in edictis. itaque videmus priuatos iudices & legatos magistratum, decernere ac iudicare; magistratus ipsos imperare & exequi, cum raro ius dicant. ita curiæ superiores apud nos decernunt, princeps ipse iubet. Et quoniam Varro quibusdam magistratibus tribuit prehensionem & viatorem: nonnullis vocationem & lictores: aliis neutrum, videtur eos etiam magistratus appellare qui imperio carent: ut Aediles

&

& *Quaestores*: quod appellatione communi non propria fieri puto. quis enim magistratum vocet qui & ministro caret, nec quicquam imperare potest? id quidem muneribus & honoribus tribuatur, imperio non item. atque in eo *Carolus Sigonius* & *N. Grucchius* falluntur, quod ex opinione *Festi* potestatem illis, non imperium tribui putant. neque enim *Grammaticorum* regulis haec metienda sunt, sed *Iurisconsultorum*, qui potestatem imperio aequalem, interdum maiorem faciunt. Potestatis verbo, inquit *Paulus I. C.* imperium in magistratu significatur. *Proconsul* verò qui plenissimam iurisdictionem (sic enim *Ulpianus*) & omnium urbanorum magistratum imperia solus habet, potestas ab *Iurisconsultis* appellatur, in l. imperiū: de iurisdictione. sic usurpavit *Alexāder Augustus* apud *Lampridium*; Non patiar, inquit, mercatores potestatum. itaque cū edicti verbis caueretur ne in ius vocare liceret *Consulem*, *Prætores*, cæterosque qui imperium potestatemque habent, extrema verba de provincialibus magistratibus intelliguntur: alioqui si verum esset quod illi aiunt, non licuisset *Ædiles* & *Quaestores* in ius vocare, contra quàm *Varro* scribit, & *Valerius Max.* comprobat exemplis. caruerunt igitur potestate ac imperio, tametsi *Ædiles* *Prætoriae* iurisdictionis partem usurparent, ut est apud *Iustinianum* in *Institut.* Falsum illud quoque, *Censores* potestatem habuisse; imperio caruisse, ut *Sigonius* scripsit. at vocationem habuerunt viritim; igitur prehensionem ex regula *Varronis*. haec autem ad imperium pertinet. nam quo iure edicta proposuissent (edicta verò magistratum iussa *Latini* vocant) quæ videmus apud *Li-*

uium libro XL. XLIII. apud Zonaram libro secūdo: quo iure senatores & equites in ordinem cooptassent, aut legendo prateriissent, ciues ad censum vocassent, pignora cœpisset, Senatum habuissent, populum vniuersum ad lustrum coegissent, nisi imperium, vocationem, prehensionē haberēt. Nam Varro libro V. de lingua Latina negat Praetori exercitum vrbānum conuocare licere; Censori, Consuli, Interregi, Dictatori licere. iam verò absurdum videatur Tribunos pl. qui minores magistratus vocantur, imperium habuisse; Censores autem magistratus maiores, & qui maioribus auspiciis creabatur, imperio caruisse. Quod autem Aristoteles etiam iudicandi & consilij capiendi iure magistratū definit, nihil ad imperium. nam qui Reipub. consilio praesunt, decernendi quidem, non imperandi ius habent: priuati verò iudices ac pontifices, indicare ac decernere, non imperare possunt. nullam enim uocationem aut prehensionem; nec rursus viatorem aut lictozem habēt. Pontifices, inquit Cicero ad Atticum, religionis sunt iudices; legis Senatus. at neq; Senatus ea quae decreuerat iubere potuit, ut ex Dionysio planum faciemus, nec pontifices vllum omnino imperium, aut viatorem habuerūt, sed eorum iudicia exequabantur Praetores, ut videre est apud Liuium & Valeriū de incestis Vestalibus & ignibus extinctis. ita quoque nostri pontifices nec viatorem nec lictozem habent: sed aut viatores & lictores à magistratu impetrant, aut capitales eorum opiniones exequuntur magistratus: Quia non licet nobis (sic enim ridiculè) interficere quenquam. quae uerba sunt Iudaeorum, quibus ereptū fuerat omne imperium & Iudaea in prouincia formam re
ducta

dacta XL. annis antè secundam euerfionem templi, ut
 Rabini scribunt: non quòd lege Mosis prohiberentur, ut
 nostri falsò putant. nã septuaginta viri qui de capitalibus
 causis iudicabãt, partim sacerdotes erant: ut Caldæus in-
 terpres ad Hieremiã scribit. quare cùm magistratus mu-
 nicipales Iudæorũ animaduersionẽ modicã in seruos dun-
 taxat haberent, ut scribit Vlpianus, in l. magistratibus de
 iurisdictione: responderunt Publio Pontio Iudææ Præsi-
 di, qui Christum leniter ab illis castigari cupiebat, capi-
 tale crimen admisisse ex lege Mosis, sibi tamen non licere
 mortem cuiquam irrogare. Ex his perspicuum sit munerũ
 publicorum partitionem tertio capite à nobis allatam, non
 minus veram quàm necessariam esse. Veniamus ad impe-
 rij summi definitionem, in quo uersatur Reipublice status
 gem Aristoteles τὸν κρείττον πολιτεύμα, siue κρείττον ἀρχὴν, Ita-
 li signoriam, nos suuerenitatem, Latini summã rerum, &
 summum imperium appellant. hoc enim percepto multæ
 de Republica quæstiones obscuræ ac difficiles explicãtur:
 quod tamen est ab Aristotele, & iis qui de Repub. scri-
 pserunt prætermisum. Putabam summum imperium vel
 magistratuum creatione, vel præmiorum ac pœnarum po-
 testate definiri: sed cùm variæ quoque pœne ac præmia,
 voluntate ac imperio magistratuum soleant irrogari, oportet
 ipsos magistratus imperij summi societate cùm prin-
 cipe copulari; quod absurdum est. perniciosius tamen magi-
 stratui omnem Reipublicæ permittere potestatem, ut So-
 derinus prudenter disputat apud Guichardinum: id enim
 cùm Florentiæ fieri consueuisset, Reipublicæ perniciem
 attulit. consimiliter apud Assyrios & maiores nostros ma-
 gistri

gistri palatij semel à principe creati, omnem Reipublica potestatem tantisper gesserunt, dum ipsi regnum inuaderent. non erit igitur Respublica bene constituta in qua magistratui omne imperium tribuetur. Itaque Aristotelis Polybij, Dionysij, ac iuriscōsultorum rationibus inter se, & cum uniuersa Rerumpublicarum historia collatis; uideo summam Reipublica in quinq; partibus versari. una est ac præcipua in magistratibus creandis & officio cuiusque definiendo: altera in legibus iubendis aut abrogandis: tertia in bello indicendo ac finiendo: quarta in extrema prouocatione ab omnibus magistratibus: postrema in potestate uitæ & necis, cum lex ipsa nec facilitatis ullum, nec clementiæ locum relinquit. hæc enim magistratibus nunquam tribuuntur in imperio bene constituto, nisi extra ordinem premente necessitate. aut si de rebus iis magistratus decernat, sanctio penes est præcipem aut populum, pro rei cuiusque publicæ statu. Ac principis quidem hæc propria esse iuriscōsultorum opinione constat; & quidem multò plura: puta uectigalium ac tributorum numique percutiendi potestatem, quam solius principis esse aiunt. quam hæc magistratibus antea sæpe, atq; his temporibus tribuuntur. cum autem in democratia & aristocratia par sit imperium optimatum & populi, ut in monarchia regis, consequens est ut ea quoque imperij summa capita populo tribuantur. qua ut planius intelligi possint, explicanda quæstio est diutissime à iuriscōsultis agitata, nondum tamen definita: utrum scilicet magistratus habeat merum imperium, an solius principis proprium sit. quam quidem ad quæstionem definiendam, cum Henricus V. I. Imp. ar
biter

biter Bononiæ esset electus inter Lotharium & Azonem equi sponsione facta; iudicavit merum imperiū solius principis esse. ex quo Lotharius equum, Azo æquum tulisse dicitur. ceteri quotquot scripsere præter Alciatum, Azonis sententiam veriore esse iudicarunt. sed hæc quæstio ab hypothese ad thesim reuocari debet, ut planius intelligatur. est enim merū imperiū in sola gladij potestate, ut ex ipso Vlpiano interpretantur. hic autem quæri debet, utriū imperium magistratui à principe datum, siue gladij, siue belli gerendi, siue pacis sancientiæ, siue creandi magistratus, seu iubendæ legis, seu præmiorum ac pœnarum propriū sit principis, an in magistratum quoque transferatur? omnium enim idem iudicium est. Lotharius usurpauit Papiniani regulam de officio eius cui mādāta est iurisdictio, qua magistratus publici iudicij exercitium habere dicuntur, nec mandare posse: ac sæpius executores & administratores in iure appellari: quibus verbis Accursius ipse ius principi; exercitium aliis competere scribit, quod in factō consistit. Azo verba legis interpretatus est ad ius ipsum necessario pertinere, quibus Prætor dicitur pro suo imperio quid facere: aut Præsidem maximū imperiū post principem habere: tum etiam præfectū Egypti imperiū q̄ illi datū est deponere. hæc summa est argumentorū quæ ab omnibus interpretibus allata sunt: quæ quidem quæstionem non definiunt, magis etiam ac magis ambiguam reddunt. Neque tantūm hæc, sed infinite de iure quæstiones in magna obscuritate versantur, propterea quòd nullus interpretum hæctenus explicauit, quid inter legis actionem & iudicis officium intersit. at ne legis quidem

D actio

actio quid esset in tanta scriptorum multitudine quisquã videtur aperuisse, ut breui planum me facturum spero, & quæ cuiusque vis est ac potestas. nunc illud tantum ad id quo de agitur; esse duo capita iuris uniuersi, legem & æquitatem, à quibus pendet legis actio, & magistratus officium: & quæ ratio legis est ad eius actionem, eadem est æquitatis ad officium magistratus. hoc igitur Papinianus, hoc Ulpianus, hoc veteres illi iurisconsulti voluerunt; quæcunque lege tribuuntur, ea magistratum alteri committere non posse, sed nudam duntaxat habere legis actionem, ac propterea non tam eius esse propria quam legis ipsius: quæ verò eius æquitati permittuntur, ea pro suo iure alteri committere posse. verbi gratia Praetores ac iudices publicarum questionum (hoc enim exemplum proposuit Papinianus) aliis imperium illud mandare non poterant: nec in iudicando legis acerbitati aut lenitati detrahere, aut addere quicquam, sed uno verbo imò una littera sententiam ferebant, puta A. C. N. L. absoluo, condemno, non liquet. idque factum est ne ab hominis cuiusquam, sed ab ipsius legis arbitrio fama, vita, mors, fortuna denique ciuium penderent. at causæ ciuiles propterea quòd minùs periculosa essent, nec legibus omnino comprehendi possent, id enim est infinitum, Praetoris Urbani aut peregrini arbitrio relictae sunt, ut in illis explicandis non legis actionibus, quasi vinculis constringerentur, sed pro sua æquitate, ac religione multa præter legem, aut etiam interdum contra legem decernerent, iudicarent, iudices darent: denique leges arbitrato suo propositis edictis emendarèt, flecterent, lenirent, exacerbarent. hoc igitur propriè magistratus officium

ficium quod Bartolus nobile appellavit: & legis actionē officium mercenarium, melius seruire, propterea quòd inseruit duntaxat legi: ut quæ priuati iudices, aut arbitri iure dati, aut delegati faciunt, legis actione potius quàm iudicis officio facere dicuntur. tametsi enim Prætor Urbanus non teneretur legis actionibus, attamen iis litigantes obligabat. non quòd magistratus qui iussa legum exequitur, officio non fungatur; sed minus verè ac propriè sic usurpatur. & qui suo iure imperium, aut iurisdictionem, aut quid aliud eiusmodi habet, eius omnino proprium est, idque alteri mandare potest, ut Vlpianus scribit in l. more maiorum, de iurisdictione. is autem qui mandatum habet, quasi rem commodatam alteri commodare non potest, alioqui furti tenetur. id quod verum est, non modò in priuato, sed etiam in magistratu qui ab alio mandatam habet iurisdictionem, alienam habere scribit Iulianus in l. & si, de officio eius cui mandata est iurisdictione. & quoniam multa magistratibus sine lege permittuntur, multa legibus sunt comprehensa, planum sit ea quæ suo iure habent accepto magistratu, eorum esse propria, cetera legum, aut eorū qui mandauerunt. Ex quo perspicitur Prætores quæstionum publicarum merum imperium non habuisse, nec gladij potestatem sed nudam executionem & legis actionem; perinde ut licτόrem ipsum, ad quem Brutus verba faciens; licτόr, inquit, lege age. eum verò qui semper extraordinem cognouit de capitali crimine, nullis vinculis constrictum fuisse, quin pœnam arbitrati suo leniret aut exacerbaret, dum tamè non excederet modum, ut scripsit Vlpianus in l. hodie. de pœnis: idcirco gladij potestatem ha-

lege age

D ii buisse

buisse, at iudices quæstionum uno duntaxat verbo, vel etiam una littera tabella comprehensa, sine vocis ulla significatione sententiam tulisse constat hunc in modum; A. C. N. L. absoluo, condemno, non liquet. eodem modo Romani Consules accepto exercitu, belli gerendi potestatem habuerunt iure magistratus, ut pro suo arbitrio lacefferent aut inuaderent hostem, rationemque comneatus, ac militarem disciplinam sua voluntate regerent: bellum autem indicere, aut finire non potuerunt. hoc enim plebis; illud populi proprium erat. hinc deditio Consulium, qui cum Samnitibus & Numantinis fœdera percusserant iniussi. hinc Heluetiorum exercitus iccto cum Tramulio fœdere, obsides accepit qui capite luerent, nisi princeps id ratum haberet; quia solius principis est bellum indicere ac finire. itaque Cato Casarem Gallis dedendum esse suadebat, quod iniussus bellum illis indixisset. cum vero imperatori pacis sancienda potestas, aut indicendi belli certis legibus & conditionibus permittitur, quod fit extra ordinem, nec mandatum egredi potest, nec alteri mandare, quia non habet id iure magistratus & imperij, sed nudam legis actionem. at Dictator belli, pacis, vitæ, necis, totiusque Reipublicæ potestatem habuit iure magistratus: sed tamen quandiu magistratus: quia tametsi proprium est imperium, nihilominus tamen nec magistratus nec honores quisquam habet suo iure: sed veluti depositos quousque tempus finitur, aut is qui dedit repetat. id enim voluit Vlpianus cum diceret acceptum magistratum deponi, id quod Alciatum conturbauit. quæ autem singulari iure ac legis actione magistratui aut privato creduntur, mortuo principe,

vel

vel eo qui mandauit reuocantur, si res integra sit, ut in procuratore: quæ autem iure magistratus competunt, non item. sed hæc suo loco fusiùs. Alia quæstio difficilior est; utrum Senatus decreta principis egeant sanctione, aut eorum qui Reipublica summam habent. de principe minus ambigitur, propterea quòd sui Senatus & consilij caput est. itaque omnia decreta principis habent sanctionem, nec aliter vim haberent quàm si princeps ipse iuberet. sed in populari & optimatum statu, obscurius est; quia nec populus, nec optimates omnes consiliis de Republica interesse possunt, & ut possint perniciosa tamen res est, ac periculi plena consilium sacrosanctum manare in vulgus: sed aliter sanciri non possunt quàm intelligantur. illud tamen confirmat Dionysius libro II. Non enim Senatus Romanorum, inquit, arbiter est, id est uogios earum rerum quas decreuit, sed populus. hinc illa frequenter apud Liuium, Senatus decreuit, populus iussit. & cum Scipionis Africani potèti- am indicat; Sub umbra Scipionis, ait, ciuitatē dominā orbis terrarum latere: nutus eius pro decretis patrum, pro populi iussis esse. neque verò quicquam sacrosanctum esse potuit, inquit Cicero, nisi quod plebs populùsue iussit. itaq; Senatusconsulta duntaxat annua fuisse, contra quàm Conanus putat, auctor est idem Dionysius libro VII. nec populum aut plebem tenuisse: non aliter ac magistratuum edicta, qui leuioris duntaxat multæ irrogationem habuerunt post legem Aterinam, grauioris autem irrogatio ac mulctatio, fiebat iudicio plebis: ut uidere est apud Liuium libro XXV. & ubique apud Valerium. quare cum scilicet populi proprium esset legem iubere, nec magistratuum

D iii iussa

*iussa nec Senatus decreta leges dicebantur, & à legibus plurimum differebāt, tum pœna, tum sanctione, tum etiã vi ac potestate. nam in lege sancienda non modò magistratus, sed uniuersus populus iurabat in legem, ut scribit Ap-
 pianus libro 1. bellorũ ciuiliũ. itaq; XII. tabulis & sacra-
 tis legibus comprehensum erat, ne quis legibus solueretur nisi per populum. & quemadmodum conuentionis leges derogare non possunt iuri publico: nec collegiorum statuta municipalibus: neq; lex municipalis ciuitatum moribus: nec ciuitates legibus imperij: ita nec priuati magistratũ imperio derogare potuerunt: nec imperia magistratũ, Senatus auctoritati: nec auctoritas Senatus, plebis potesta-
 ti: nec plebis potestas, maiestati populi; penes quem fuit totius imperij summa. Sed quoniam periculosum videbatur consilia Reipublicæ manare in vulgus (id autem necesse erat si omnia decreta Senatus à populo sancirentur) Sena-
 tui tributum est à populo, ut cætera quæ ad Rempublicã pertinerent administraret, excepta creatione magistratu-
 um, legum ferendarum, belli & pacis, vitæ ac necis & extrema prouocatione, quæ propter imperij maiestatem populus sibi reseruauit: ut videre est in oratione M. Valerij Consulis apud Dionysium, & ex ipsius Polybij sententiã: in reliquis ne Senatus potestate abuteretur, permissum est Tribuni plebis aduersus omnia Senatus consulta interce-
 dere. itaque cùm Senatus haberetur stabant Tribuni pro foribus, nec prius Senatusconsultũ ratum erat, quàm Tribuni litteram T. assensionis indicem superscripsissent. postremis temporibus in Senatum licuit venire. quæ igitur Senatui vel magistratibus tribuuntur, rationem habent à
 sum-*

summo imperio diuisam: alioqui fatendum sit summū imperium in iis esse qui ab aliis acceperunt, quæ si absurda videntur, absurdum quoque debet videri quòd Polybius affirmat, Reipublicæ summum imperium partim in populo, partim in Senatu, partim in Consulibus fuisse: ac propterea imperium temperatum videri ex optimatibus, regno, ac populo. quam opinionem Dionysius ac Cicero arripuerunt: deinde Macciauellus, Contarenus, Th. Motus Garimbertus, Manutius vehementer probarunt: qui nobis sunt hac disputatione refellendi. propterea quod ad historiam Rerumpublicarum penitus intelligendam magnum habet ea disputatio momētum. Prius illud in omni Republica intuentum est, quis imperium magistratibus dare & adimere possit. utrum unus, an minor pars ciuium, an maior. hoc percepto, facile intelligitur qualis sit Reipublicæ status. nihil enim quartum esse ac ne cogitari quidem potest. neque enim virtus aut vitium efficit Reipublicæ varietatem. siue enim princeps iniustus sit, siue probus, monarchia tamen est. idem de optimatibus & populo iudicandum: qui ut nihil aliud habeant quàm magistratuum creationem, summū imperium habent, & ab iis status Reipublicæ pendeat necesse est. hunc igitur statum optimatum dicemus aut popularem (his verbis utamur ne specie virtutis ac vitiorum Aristocratiæ, Oligarchiæ, Democratiæ, & Ochlocratiæ appellationibus sæpius uti cogamur) multò magis si præter magistratus creationem, belli quoque ac pacis, vitæ ac necis, legum denique & prouocationis potestas adsit. hæc autem non modò in Monarchia, sed etiam in optimatum ac populi statu semper fu-

Status Ro-
manorum.

per fuisse constat. quod enim dicitur à Senatu & Praefecto Praetorio prouocandi ius non esse, ad ius ordinarium pertinet, quia principem vel populum extra ordinem appellare licet, quòd Arcadius supplicare dixit, cùm rei nouitas postulat, aut grauitas personarum. sed ne infinitum sit ex historiis omnia persequi; Atheniensium, Romanorum & Venerorum exemplis utemur, ut falsum esse doceamus quod illi de Romanorum temperato statu traderunt. sic igitur existimo, Romanorum statum Polybij, ac multò magis Dionysij & Ciceronis aetate omnino populare fuisse. nam exactis urbe regibus, prima lex à Bruto de imperio lata est ad populum; ut annui Consules à populo crearentur. sic enim Liuius ac Dionysius tradunt. ex eo constat omne imperium consulare à populo peti & impetrari debuisse. quòd igitur aiunt regni speciem in consulibus fuisse, tam falsum est quàm si quis dicat Praefectum Praetorio sub imperatoribus Romanorum, aut Bassam maximum apud Turcas, vel etiam Palatii magistros sub regibus Gallorum, regiam potestatem habuisse: quod per se ipsi maxima quaeque in Republica gererent. & quidẽ hi potestatem non modò maiorem quàm consules, sed etiam perpetuam habuerunt. quare si absurdum est Regiam potestatem in magistro militum, multò absurdius est in Consulibus collocare. postea docebimus potestatem Tribunipl. Consulari maiorem fuisse. venio ad Senatum, in quo Aristocratiae speciem posuerunt: cùm tamen ius omne ac imperium à populo haberet. quippe Senatorum delectus populi arbitrio vel iussu fiebat; Maiores nostri, inquit Cicero, ita magistratus annuos crearunt, ut consiliũ Reipub. praeponerent

Stat. de roma
popu

ponerent sempiternum: deligerentur autem in id cōsiliū
 ab uniuerso populo, aditūque in illum summum ordinem
 omnium ciuium industria pateret. Postea populus ut eo
 labore se leuaret, lege Quinia Tribunitia, ut est apud Fe-
 stum, iussit Censores optimum quēq; ex omni ordine cu-
 riatim legerent. Censores autem à populo ut reliqui magi-
 stratus creabantur. consequens est igitur imperium quan-
 tumcunq; fuit populo acceptum ferre. ubi nam igitur Ari-
 stocratiā Senatorum? nam si ulla est, eadem in regno sit
 oportet, ubi consiliū à principe constitutū, parem atque
 Senatus Romanorum potestatem habet: quem tamen im-
 perij societate cū principe copulare, non modò stultum,
 sed etiam capitale est. idem iudicandū relinquitur de Se-
 natu Romanorum, quem isti cū populo in partem impe-
 rij vocant: id est dominos cū seruis & procuratoribus
 imperij societate coniungūt. tenemus igitur omnia Sena-
 tus & magistratum imperia, in arbitrio ac voluntate po-
 puli fuisse. quod satis esset argumenti ad iudicandum sta-
 tum fuisse omnino popularem: sed altera quoque lex à P.
 Valerio Bruti collega lata est, quam Linius appellat præ-
 sidium unicum Romanæ libertatis, qua primo capite cau-
 tum est, ut aduersus omnes magistratus ad populum libe-
 rē prouocaretur. altero capite ne quis magistratus ciuem
Romanum aduersus prouocationem verberaret, aut ne ca-
 ret, aut pecunia multare vellet: deinde ne quis imperium
 haberet, nisi cui à populo datum esset, adiecta capitali pœ-
 na. in eo quoque sibi consentiunt Linius, Dionysius, Vale-
 rius, Plutarchus & Pomponius. nam ea lex de prouoca-
 tione, quòd sepius violaretur, ter in eadem gente lata est,

E à P.

à P. L. & M. Valerius. ubi aristocratia in Senatu; ubi regnum in Consulibus, qui nec ciuem verberare, nec mulctare contra prouocationē poterant? quòd autem belli ius omne esset in populo, planius est quàm ut egeat exemplis. nam id Seruia lege sub regibus cautum erat, ut Dionysius tradit, multò magis post regifugium. Linius libro IIII. Controuersia fuit, inquit, utrū populi iussu bellum indiceretur, an satis esset Senatusconsulto: peruicere Tribuni denunciando se delectum impedituros, ni Quinctius ad populum ferret. omnes centuria iussere. consimiliter lege Acilia bellum aduersus Antiochum susceptum est. ius autem verberum, libertatis, exilij (iam de nece dictum est) in populo fuisse planum est ex lege Portia Tribunitia, lata Valerio & Appuleio Cos. anno ab V. C. CDLIII. (fallitur enim Sigonius qui à Catone Censorio latam scibit) qua lege verbera sunt à corpore ciuium amota: quæ lex anno centesimo post Sempronia rogatione sanctius confirmata est, adiecta pœna perduellionis. Quid igitur Polybius? Si quis, ait, ad populi potestatem se conuertat, putabit Rempublicam esse popularem: si verò ad Senatum, iudicabit imperium optimatum. quia consilio publico præest, ærarij potestatem habet, legationem admittit ac dimittit, de coniuratione, perduellione ac beneficiis cognoscit. in eo multa peccat, ut etiam in explicanda potestate populi, quem cum plebe (ut Graci fere omnes) magno errore confudit. nam quæ in Senatu maxima fuerunt omisit: quæ sine populo fieri non poterant, Senatu propria fecit. nihil enim maius habuit Senatus quàm illud S. C. VIDEANT COSS. & c. quod veluti gladi

um

Regifugium

um extremis Reipub. temporibus exeruit in Sp. Meliū, Gracchos, Saturninum & Casarem. habuit quoque Dictatoris creandi potestatem, sed duntaxat extra ordinem. nam Interrex à Cōsule, Dictator ab Interrege decreto Senatus, cūm res ita postularet, creari solebat. qua ratione, inquit Dionysius, Senatus plebem fefellit. sed illud imperij arcanum Tribuni plebis facile detexerunt, nec Dictatorem optima lege creari diu permiserūt, id est sine prouocatione: sic enim Festus optimam Dictatoris legem appellat. cūm autem magistratus omnes creato Dictatore abdicarent, Tribuni plebis imperium retinebant, inquit Plutarchus, & aduersus Dictatorem ciues intercessione iuuant: ut aduersus Fabium Maximum Dictatorem, cūm de Minutio magistro militum pœnas exigere uellet. Tribuni perfecerunt, ut pœnæ metu liberatus Dictatori potestate par esset. quod de capitalibus iudiciis tradit Polybius, falsum esse docuimus in lege Portia, Valeria, Semproniana. sic enim Liuius Senatorem loquētem inducit; Per Senatum agi de Campanis, qui ciues Romani sunt, iniussu populi non video posse. at Campani cūm Annibalem diu fouissent, maximo crimine perduellionis tenebantur. Cur ergo, dicet aliquis, iniussu populi tot ciues à Senatu, plures etiam à magistratibus supplicio affecti? cuius rei cūm infinita sint exempla, nullum tamen illustrius est, quàm de exercitu qui ad Rhegium Iubellio imperatore motuo scribam elegerat. Senatus, inquit Valerius, tam acerbè tulit, ut milites in Urbem reuocatos capitis damnauerit, & quotidie quinquagenos verberibus caesos securi percuserit, tūm etiam sepeliri, ac mortem lugeri uetuerit.

M. Fulvius Tribunus pl. frustra clamare: morem maiorū violari: leges sacratas à Senatu cōuelli. Appius verò Cōsul in exercitū militaris disciplinae proditorem inuectus, centuriones, signiferos, duplicariosque verberibus, non in castris, quod imperatori licebat, sed in media Vrbe caesos morte affecit: reliqua multitudinis decimum quenque ad supplicium legit. Consimiliter Senatus plerosque legibus soluebat contra leges sacratas, & ante legem Corneliam. cui obiectioni respōdet quidam Iurisconsultus: Non quid Romæ fiat, sed quid legitime fieri debeat spectādum esse. neque enim ex abusu, sed ex ipsis Reipublicae institutis iudicādum est de statu ciuitatis. nam Triumviri capitales, qui duntaxat in seruos, & extremae sortis peregrinos animaduersionem habuerunt, non tantum ciues, verū etiam magistratus ipsos, & quidem Curules, in carcerem coniectos capitali supplicio affecerunt, ut videre est apud Valerium Max. licebat tamen cuique maiestatis illos accusare, ut Ciceronē Clodius perduellionis apud plebem damnauit, quod de coniuratis iniussu populi supplicium sumpsisset. sed illud quoque iudicium Ciceronis rescissum est quia non nisi à populo iudicari potuit. hinc certamina plebis aduersus patres, & magistratum inter ipsos, cum imperio contra leges abuterentur. fuerunt igitur in magistratibus magna imperia, sed tamen moderata: in Senatu maior quàm in magistratibus auctoritas: in plebe maxima potestas: sed ipsius Reipublicae maiestatem et summū imperium in populo fuisse, nemini dubium est in eā rem penitus intuenti: tum ex iis quae diximus, tum etiam ex eo quod populus inter patricos & plebem, veluti iudex & arbi-

ter con

*ter controuersias dirimebat. cùm enim Senatus plebem op-
 primere, aut plebs in Senatum insurgere conaretur; nullus
 erat componendæ seditiois modus, nisi Consules ipsi, aut
 creatus Dictator populum rogaret quid fieri uellet, ut ui-
 dere est in tribus secessionibus plebis, maximè verò in illa
 tanta tamque diuturna contentione, qua patricij plebisci-
 ta; plebs Senatusconsulta pertinaciter respuebat. nam L.
 Valerius & M. Horatius Coss. conuocato populo, ut est
 apud Dionysium, legem tulere comitiis centuriatis, ut ple-
 biscita Senatum tenerent. repente seditio conquieuit. sed
 paulatim Senatus plebiscita repudiare: Tribuni furere:
 Senatui inter cedere. rursus anno decimo ac cetero post,
 Q. Philo Dictator creatus eandem legem ad populum
 tulit, ut plebiscita perinde vim legis haberent, ac si popu-
 lus iussisset. illud etiam uno capite cauit; ne leges centu-
 riatas comitiis ad populum ferrentur inconsulto Senatu.
 ad plebem verò inconsulto Senatu ferebatur, ac propterea
 ægrè impetratum est à patriciis quin plebiscita sæpe viola-
 rent: quousque Dictator Q. Hortensius eandem legem
 anno post quinquagesimo ad populum ferret. atq; hinc im-
 perij Romani labes, quòd plebi, hoc est infimæ multitudi-
 ni permissum sit legem iubere, qua perinde tenerentur ci-
 ues ac si populus ipse iussisset. impetrauit etiam plebs, ut
 omnes magistratus ac Pontifices crearet præter Consules,
 Prætores, ac Censores. præterea iudiciorum publicorum
 præterquam capitaliũ potestatem: utque bellum à popu-
 lo indictum finiret, ac imperium à populo datum proroga-
 ret. tandem cætera quoque plebs impellentibus Tribunis
 arripuit: bellũ sæpius indixit, ut rogatione Sulpitia, Ma-*

nilia, Gabinia, quas ad plebem contra morem maiorum
 Tribuni tulerunt, & optimos quosque contra leges sacra-
 tas exilio damnarunt. ex quo factum est, ut à populo ad
 plebem; à Democratia ad Ochlocratiam, & fecem po-
 puli summa rerum delaberetur, iis maxime temporibus qui-
 bus Gracchus uterque, deinde Liuius Drusus, post etiam
 Saturninus ac P. Sulpitius Tribuni pl. urbem suo civium-
 que sanguine fœdarunt. siue igitur populo, id est quinque
classibus (nam sextæ nulla ratio habebatur in maioribus
 commitiis) siue plebi, hoc est omnibus civibus præter patri-
 cios in XXV. tribus promiscuè diuisis imperij sum-
 mam demus, perspicuum fit eiusmodi statum esse popula-
 tem. Senatam verò auctoritatem omnem à populo habuisse
 se, nec sine populi iussu aut assensione quicquam potuisse:
 aut quæcunque iuberet populi nomine iussisse. quid autem
 interest ad statum Reipublicæ iudicandum, an populus i-
 pse iubeat, an suo nomine iubeatur? absurdius tamen vi-
 detur id quod unius est, puta regiam potestatem, duob. Con-
 sulib. tribuere velle, cum multo maior fuerit in Tribunis.
 neque enim verum est, quod Car. Sigonius in cap. de ma-
 gistratibus scripsit; Consules ab omnibus magistratibus
 concionem auocare potuisse, ab iis neminem: cum nihil fre-
 quentiùs occurrat, quàm intercessio Tribunorum aduer-
sus Consules. scribit Liuius libro XLIII. bona Tib. Grac-
 chi, eius qui Consul & Censor fuerat, à Tribuno plebis
 consecrata, quod in multa pignorumque capiendis inter-
 cessionem Tribuni non paruisset. idem Claudio Censorio
 diem dixit, quod concionem à se auocauisset. L. quoque Fla-
 uius Trib. pl. Metellum Consulem; alius Appium Cen-
 sorem

lib.

intercessio tribunorum

forem in vincula duci iussit. ut est apud Liviū libro IX. idem libro 11. Tribunus, inquit, viatorē mittit ad Consulē: Consul licōrem ad Tribunū priuatum esse clamitās, sine imperio, sine magistratu. Drusus tamen Trib. pl. Philippum Consulē, quōd se in concione interpellaret, obtorta gula per viatorem in carcerem adegit, ut scribit Florus cap. LV: at Tribuni sacrosanctum corpus attingere violandi causa, capitale fuit. quinetiam Vectius impunè cæsus est, quōd non assurrexisset Tribuno. deniq; tanta potestas erat Tribuni plebis, ut non modò Senatus, sed etiam magistratuum & collegarum, ipsiusque plebis acta unus sua intercessione impediret: nec ulterius progredi poterāt, nisi prius imperium illi à plebe solenni iure suffragiorum abrogaretur. argumento sit M. Octavius Trib. pl. qui ut est apud Plutarchū, omnibus collegis ac Tiberio Graccho legem agrariam ferenti solus intercessit. neq; enim lex ante perferri potuit, quàm imperium illi adimeretur suffragio plebis. postremò creato Dictatore soli Tribuni imperium retinebant, cū ceteri magistratus abdicarent. igitur si regia potestas in Consulibus; multò certè maior in Tribunis: nisi obiiciant ea, quæ tanti facit Contarenius, ornamenta regia defuisse; propterea quōd in Vrbe semper, & inter plebeios homines versari oportuit, sine fascibus, sine licōribus, sine sella curulli, sine uocatione, sine iurisdictione; ut ob eam causam Plutarchus in quæstionibus, & Liviū libro 11. magistratus esse negarint. sed his omisis, cū ciuium omnium bona, fortuna, libertas, vita, mors, totiúsque Reipublicæ status, imperia, iura, leges, bella, fœdera, magistratuum denique ac pontificum. ipsiusque Senatus

natus auctoritas à populi volūtate penderet; quis amplius dubitet Rempub. fuisse popularem? magis quidem Athenienses quàm Romani populares; utrique populares tamen. Hæc à nobis fusiùs disputata sunt, ut Polybij, Ciceronis ac Dionysij de temperato Reipub. statu opinionem confutarem; nostram tueremur, quæ vera sit an falsa, non affirmabo: sed veri tamē similior est quam illa. Nunc facile est Macciauelli, Contareni, Sigonij, Manutij, & aliorum qui in eadem sententia fuerunt, refellere argumenta. Posuerunt enim ex ipsius Polybij ac Dionysij sententia, Lacedæmoniorū æquè ac Romanorum: deinde etiam Venetorum Respublicas ex his tribus, quæ dixi, generibus esse temperatas ac modicè confusas. Quòd ad Lacedæmonios attinet, videtur Aristoteles iis errandi occasionem præbuisse, qui temperatum Reipublicæ genus esse putarunt; propterea quòd aliorum sententias retulit, qui partim popularem, partim regiam, partim optimatum esse dicerent; quos non refellit. sed cum sublata disputatione tria duntaxat Rerumpublicarum genera posuerit, non amplius querendum videtur quid de re tota sentiat, cum apparat quid scripsit. Si quis tamen eius Reipublicæ statum penitus intelligere velit; neque ex Aristotele, quem Plutarchus tacitè refellit: neque à Xenophōte, qui de moribus duntaxat iudicauit: sed ab ipso Plutarcho hauriendū: qui Lacedæmona profectus est, & antiquissimos rerum Laconicarum scriptores conquisit, ut veriùs ac melius scriberet. Is igitur scribit Lycurgum regiam potestate sublata, Senatum XXVIII. virorum creasse, quibus coniunxit duos reges, Charilaum fratris filium, & Archelaum,
qui

Lacedæmonios

Stacy

qui ab Hercule genus ducebant, lege promulgata ut Senatus ille XXX. virorum omnia decerneret quæ ad Rēpublicam pertinerēt, deinde populus decreta Senatus sanciret. nihil aliud est à Lycurgo de statu Reipublicæ constitutum. nec ulli magistratus creati præter magistrum iuventutis. regibus autem quasi ducibus belli gerendi curam dedit. Dionysius quoque libro 11. confirmat Lycurgum populo permisisse ut leges iuberet, magistratus crearet, bellū indiceret ac finiret. ex quo perspicuū fit Lycurgi statum omnino popularem fuisse. sed cū populus decreta Senatus plerūque sancire nollet, ut Plutarchus tradit, Theopompus ac Polydorus reges, anno trigesimo ac centesimo post Lycurgum, imperium illud summū populi transtulerunt ad Senatum, quasi oraculo iubente; ne populus ereptam sibi potestatem lugeret: tūm Ephoros quinque cū annua potestate creari voluerunt à Senatu, quasi speculatores regum & Senatus, ne tyrānnis usurparetur. nam reges præter nomen nihil habuerunt. in quo Macciauellus & plerique alij fallunt, qui affirmant unum duntaxat regem fuisse. at si regia potestas, quæ unius propria esse debet, duorum communis sit, erit & plurium: ex eo igitur popularis imperij secuta cōversio est in optimates. nihil enim populo relictum est in imperio loci. hoc tantū, quod uno ex optimatibus mortuo, cū candidati præterirent, ut quisque gratissimus erat, sic maiores plausus ferebat. tūm arbitri qui sub tecto latebant, eū qui plausu maiore exceptus esset, Senatorem renuntiabant. sed nulla tabella, nulla suffragia, nulla deniq; ratio comitorum. Ephoros quinque annua potestate creabant optimates: qui magistratus

F omniū

Ephoy

omnium maximus erat . nam regibus ciues omnes præter Ephoros, ut scribit Xenophon, reges Ephoris assurgebāt. iidem Ephori ciues ac reges ipsos arbitrati suo mulcabant, & omnium iudiciorum præter quàm capitaliū, ius habebant, ut est apud Xenophontem. quinetiã rex Agis in carcerem ab illis cõiectus, & supplicio affectus est, cum populi mores emendare, ac leges Lycurgi restituere conaretur. si igitur Polybius ac Dionysius regiæ potestatis speciem nomini tribuunt, debuerant in rege sacrorum, qualis fuit apud Romanos & Athenienses, non in Consulibus regnum stabilire: aut regiã potestatem Ephoris quoque communicare, qui tam imperiosè se gerebant, ut ineunte magistratu omnibus ciuibus edicerent $\nu\epsilon\iota\sigma\tau\alpha\zeta\ \tau\omicron\upsilon\ \mu\upsilon\sigma\alpha\kappa\alpha$, id est radere mustacam, quemadmodũ Aristoteles scribit, non aliam ob causam, quàm ut ciues intelligerent eorum iussis obediendum esse. ex quo intelligitur iuniores, maiorũ, Polybij scilicet ac Dionysij, præclara specie se texisse: sed rationibus oportet quare quicq; ita sit docere, non auctoritate. quanquam nostrę sententiã magnos quoque auctores habemus; Thucydidem, Xenophotem, Aristotelem, & Plutarchũ, qui uno consensu tradunt Athenienses cùm Lacedæmoniis annos ampliũ XXX. grauißima bella gessisse, ut alteri populares, alteri optimatum status in tota Græcia stabilirent. nam victis Atheniensibus, Lacedæmonij statum popularem euerterũt, optimates triginta, qui tyranni sunt appellati, summo imperio præfecerũt. quare æquiũs erat ut Polybius, Dionysius, Contarenius, Macciauellus, tot ac tam multos scriptores, ac tantã auctoritatis priũs coarguerent, quàm Lacedæmoniorum statum

tum

tum ex optimatibus esse negarent. rectè igitur Aristoteles tres omnino Reipublicæ status laudabiles posuit, ac totidem vitiosos: qui tamen plures tribus esse nequeunt, ut antea dixi; cum nihil referat quoties de statu quæritur, probi an improbi sint qui imperio presunt: neque enim minus civis est vir sceleratus quàm bonus. & optimus quisq; vir, pessimus civis est, quia solitudinem quærens, totus in cælum contemplatione fertur. quare unum ex omnibus civibus præesse oportet: aut plures uno, minorem tamen civiũ partem: aut omnes, siue ex omnibus plurimos. nihil aliud fingi potest. erit quidem aliud imperium alio magis populare: sed populare tamen. hac proposita disputandi regula, consequens est apud Venetos unum aliquem summum imperium tenere: aut minorem partem civiũ: aut omnes, seu magnam omnium partem: hoc est Monarchiam esse, vel Aristocratiam, vel Democratiã. igitur planũ sit ex ipsius Contareni, Sabellici, & Bembi scriptis, Venetiam ab originis suæ primordio popularem fuisse, postea temporis decursu ad optimates delapsam. si enim popularis fuit Respub. Romanorum, ut antea docuimus, si popularis Atheniensium, ut omnes fatentur, Venetorum quoque Respublica initio popularis erat: verum illud; hoc igitur. Prima lex imperij popularis omnium maxima, quàm à Solone latam scribit Plutarchus, ea ipsa est quàm Brutus primus omnium Consul, quam Valerij tres tulerunt, ut esset ab omnibus magistratibus prouocatio ad populũ. hanc quoq; legem ut omnium antiquissimam nascente Venetorũ Republica latam scribit Contarenius, cum Veneti simul in eadem æstuaria coaluerunt. id autem Caroli magni tem-

poribus contigisse narrat, cum antea in scopulis huc illud dispersi Reipub. formas singulares haberent. neq; verò ante hoc tempus duces ullos aut Senatum, aut magistratus creati memoratur, sed primus omnium Paulus Anasatus anno Christi DCCVI. dux est electus. antea cuiusque pagi suum ius erat & imperium ab aliis diuisum. itaque fallit Manutius qui Rempub. Venetorum MCXX. annos in eo statu floruisse affirmat: rectè Iouius DCCC. non enim queritur quo quaq; ciuitas tempore condita sit, sed quãdo quaq; Respub. cæperit, aut desierit eodẽ statu vigere. cum igitur omnes in eandem urbem coisset, lex illa de prouocatione, quæ popularis imperij rationem cõtinet, non ad optimates aut patricos, qui nulli erant, sed promiscuè ad populum, id est ad ciuium omnium multitudinem simul coactã lata est. negat enim Contarenus patriciorũ ac plebeiorum discrimen fuisse, cum ciues omnes eodem iure censerentur, atque eiusdem imperij popularis participes essent. nam Vespucius apud Guichardinum in oratione quam habuit Florentiæ pro statu optimatum (agebatur enim de conuertẽda Florentinorum Republica) exemplũ urbis Venetæ proposuit: Soderinus verò populare imperium tuebatur, & eos qui Venetiis Rempublicam gerunt, docebat errore patricos vocari: cum nihil aliud essent quàm ciues, reliquos esse peregrinos. quòd quidem si Veneti fateantur, Respublica planè popularis erit, cum illa ciuium omnium multitudo, peregrinis exclusis, summum ius prouocationis habeat, magistratus omnes ac imperia tribuat, leges denique iubeat, ut scribit Contarenus: addo etiam belli ac pacis, vitæ & necis potestatem; ut videre est
apud

apud Bembum in bellis susceptis aduersus Iulium Pontificem max. & Ludouicum regem Gallorum, quæ non ante gesta sunt, quàm populus suis suffragiis iussisset. nec obest quòd interdum bella suscipiãtur decreto Senatus sine populi iussu, cum id sapißimè quoque fieret apud Romanos & Athenienses. ac tametsi raræ sunt prauocationes à decemuiris & L. X. uiris, ne libera prouocatione sæpius admissa scelerum impunitas consequatur; nihilominus tamè interdum questiones capitales propter ciuium dignitatem aut sceleris atrocitatem ad populum deferuntur, ut videre est apud Bembum in iudicio Ant. Grimani, qui propter generis splendorem & potentiam à populo iudicatus est, exilioque damnatus. nec si iudices supplicia de sceleratis sine prouocatione sumunt, propterea necis ac vitæ ius habent, cum legibus obstricti tenentur, nec merentes morte liberare possint: hoc regis est, aut populi, aut optimatum, apud quos clementia contra leges locum habet. itaque Cicero veniam pro Ligario precatus à Cæsare; Apud iudices, inquit, nunquam egi hoc modo: ignoscite iudices, errauit, temere fecit, si unquam posthac: ad parentem sic agi solet. apud iudices; non fecit, non cogitauit, falsi testes, fictum crimè. Quod si decemuiri aut XL. uiri prauaricantur, exacto magistratu accusari possunt. videmus igitur illa quæ ad imperij maiestatem pertinent, populi Venetorum, id est ciuium omnium esse propria. cætera fere à decemuiris geruntur: quòd si maioris momenti res est, accire solent septemuiros: si dissident inter se, adhibentur quoq; XVI. uiri praconsultores: si ne inter ipsos quidem cõueniat, aut grauioris momenti res videatur, ad Senatum: si nec in Se-

natu transigi possit, aut ad imperij maiestatem pertineat, fertur ad populum: ut apud Carthaginenses (quorum imperium populare fuisse tradit Aristoteles) fieri solebat. Iam vero cum sexdecim creandorum magistratum genera sint, idque sorte, vel electione, vel utroque (quibus adicienda sunt duo genera regiae potestatis, cum omnes, vel pauci ab uno creantur) nullum tamen Aristoteli magis populare visum est quam omnes magistratus ab omnibus civibus creari: ut apud Venetos; in illa quam dixi civium omnium multitudine (quoniam reliqui Contareno ac Sigonio peregrini, non ciues habentur) omnes ab omnibus imperia consequuntur, & quidem sine ulla ratione census, nobilitatis, eruditionis, dignitatis: cum tamen apud Athenienses, qui omnium maxime populares fuisse dicuntur, magna ratio census haberetur, nec quarta classi, quae ceteras multitudine longe superabat, ullus esset aditus ad honores ex lege Solonis, quousque Aristides legem abrogavit. quinetiam sorte, quae ipsa nullum virtuti relinquit, nec honestati locum, maximi quoque honores mixtis suffragiis apud Venetos tribuuntur: at nihil magis populare Aristoteli visum est, quam sorti magistratum permittere creationem. contra vero apud Lacedaemonios, quorum Respublica sua similem facit Contareno, nullus omnino sorti locus erat. Quae cum ita sint, non video cur Contareno Respublicam Venetorum ex triplici genere temperata esse putet. est, inquit, in magno concilio popularis: in Senatu optimatum: in duce regia potestas: sed unde annum imperium Senatui, duci, magistratibus nisi a populo? dux autem ne vocacionis quidem aut prehensionis ius habet. neque vero satis est

armis

armis illum & imperio spoliasse: adhibuerunt etiam decem viros exploratores ac libertatis custodes, qui supplicium de Faliero duce sumpserunt. at imago ducis est in numismate; dat nomina fastis; & ubique regis speciem intueri possis, inquit Contarenus, potestatem nusquam. idem quoque dici poterit de Consulibus Romanis, & Archonte Atheniensium: & eadem ratione Athenis regnum imperio populari confusum dicemus. idem etiam iudicandum relinquitur de statua ueste purpurea & aurea corona insigni; addo sceptrum ac diadema, quæ rex Venetorum gestare prohibetur: regis speciem & imaginem intueri licet, potestatem nusquam. si hoc absurdum, illud quoque profecto consimiliter faciunt ut indocti pictores, qui cum virginem Mariam in stabulo male tecto parientem constituunt, eandem aurea veste & corona nobili solæcismo exornant. & quoniam Contarenus eos tantum quos vocat patricios, ciues esse arbitratur, ceteros omnes habet loco peregrinorum, secutus ciuis definitionem ab Aristotele inuectam: necesse est ista ratione Rempublicam Venetorum popularem dici, ut Soderinus differbat. ac ipse Contarenus fatetur in magno ciuium concilio popularis imperij rationem inesse. neque enim ciuium magnus numerus statum efficit, sed illud spectandum, an omnes ciues imperij participes sint: alioqui ne Atheniensium quidem Respublica Periclis tempore quo maximè florebat, popularis diceretur. quia tametsi non plures XIII. millib. ciuium utroque parente Periclis temporibus censi feruntur, quinque millib. qui pro ciuibus irrepperant publicè venditis: sic enim Plutarchus scribit: post aucta multitudine censa fuerunt XX. millia ciuium,
decem

decem peregrinorū & CCC C. millia seruatorū ut Athenæus tradit. cū igitur in tanto peregrinorū ac seruatorum numero, tanta ciuium paucitas imperium haberet, quod omnium consensu populare appellatur, quis neget ea ratione Venetorum Rempubicam esse popularem, quæ circiter quinque millia ciuium paulò minùs habet, qui honoribus adipiscendis idonei sunt? iam verò negat Aristoteles ciuitatem esse, quæ plures decem millibus ciuium complectatur. Plato quinque millibus & quadraginta definiit, ac propter numeri fecunditatem, qui diuisores habet uno minùs quinquaginta, abortus fieri, ac partus non modò monstruosos, sed etiã integros cedi maluit, quàm plures admitti.

Compara-
tio Reipub.
Atheniensiu,
Venetorum,
& Romano-
rum.

Sed comparemus si placet status Atheniensiu, Venetoru ac Romanorum, ut populares esse planius intelligatur. nihil enim cū Lacedæmoniis commune habet. cū de statu Romanorum disputo, intelligo semper popularem illū quum populus non simulatione imperium habuit, ut olim sub regibus, qui ad populum belli, pacis, magistratum, ac prouocationis summum ius detulerūt, ut est apud Dionysium libro IIII. cū re vera statuerēt arbitratu suo reges ipsi: ut etiam Augustus qui ad epta potestate comitiorum imaginem habebat, leges ad populum ferebat, quarū ipse arbiter erat. illud igitur commune est quod populi concio imperij summam habuit: hoc tamē interest quod populus Venetoru de iis duntaxat, quæ ad imperium summū pertinere diximus, cognoscit: cætera Senatui ac magistratibus permittit. rarò prouocatur ad populum, rariùs de bello, rarissimè de legibus rogandis aut abrogandis agitur, sed fere magistratuū creandorum causa coeunt, ac Romana

plebs

plebs etiam iudicia publica definiebat, que tamen ad imperij maiestatem non pertinent, quoniam ubique fere magistratibus tribuuntur. populus verò Atheniensis præter leges, fœdera, bella, iudicia publica, de quibus sapissimè ferebatur, etiam religiones, legationes, consilia, decretaque Senatus ac res leuissimas, sæpiùs quàm par esset tractabat. antea quidem multa cogebantur ciues concionibus adesse, ut est apud Pollucem: postea Pericles Areopogitarum imminuta potestate popularem auxit, propositis populo præmiis si concionibus adesse vellet. peius etiam quòd suffragia ferebant manuù extensione, id est χειροβρέα (uti nunc Heluetij montani) qua tenues potentiorum vi ac pugnis cogebantur χειροβρέα, præterquam in ostracismo. pessimè quòd solus populus præmia proponebat, ciuitatē, immunitatem, largitiones, coronas, proedrias, statuas, victū in Prytaneo concedebat: quæ ab impudentissimis quibusque extorquebantur, iustissimi verò eiiciebantur. absurdius etiã quòd in creãdis magistratibus omnia sorti permittebantur, ut ea Respublica sortilega veriùs esset quàm popularis, cùm imperia sortis, nõ populi beneficio tribuerentur. meliùs Romani, qui magistratus oēs eligebant, suffragio tabellarum ex lege Cassia & Papiria, quas miror à Cicerone repudiari, cùm aperta suffragia tantis odiis ac seditionibus sint opportuna. præmia verò populus dabat. quãquam nullum fere apud Romanos nisi gloriae præmiū propositum videmus, ut etiam apud Venetos, qui peregrinis bene de Repub. meritis ciuitatem; ciuibus honores, magistratus, ac statuas decernunt. Senatus autem Romanorum hoc differt à Senatu Venetorū, Atheniensium, Carthaginen

G

thaginen

thaginensium, Genuensium, Rhagusiiorum, & omnium fere Germaniæ ciuitatum quæ optimatum imperio reguntur, quòd hi annuam; illi perpetuam habuerunt potestatem. Platonis quoque Senatus annuus est. rursus apud Venetos maximam habet Senatus auctoritatem, apud Romanos mediocrem, apud Athenienses minimam. nam quòd plura populo tribuuntur eò magis imminuitur Senatus potestas, quæ olim vnius Tribuni vetantis oratione suspendi poterat. fallunt enim plerique Romani iuris interpretes, qui Senatui legis condendæ potestatem tribuunt. neque enim prius hoc Senatui permissum est, quàm Tiberius à populo ad Senatum transtulit ius illud comitiorum, quæ Augustus dicis causa reliquerat populo, ad quem leges ferebat, quarum ipse arbitrer erat: magistratum quoque ac pro uinciarum dimidiam partem à populo peti patiebatur, cum ipse candidatos manu duceret. quòd igitur Tacitus libro II. Dio libro LIII. comitia tradunt ad Senatum translata, eo pertinet, ut ea quæ simulatè populo relicta fuerant, Senatui tribuerentur. ex quò tempore Senatusconsulta vim legis habuere, quæ tamen à principe reuera fiebant ac sanciebantur: ut videre est in orationibus D. Marci, Adriani, Seueri, quas habemus in pandectis. sed de populari tempore hic agitur, & Tribunorum potestate. nullus apud Venetos Tribunus: nullus item orator impudens, qui populi voluntates flectere, & unde velit deducere audeat: sed liberè Senatus omnia, præter illa quibus imperij maiestas continetur. hoc tamen commune est, quòd nihil ad populum Atheniensem aut Romanum ferri potuit inconsulto Senatu, quemadmodum scribit Plutarchus, & Demosthenes

sthenes aduersus Androtonem. sed pessimè quòd ad ple-
bem Romanã ferre licuit inconsulto Senatu. Veneti pru-
dentissimè cauerunt, non modò ad populum, sed ne ad Se-
natum. quidem ullius rei rogationem ferre sine consilio
XVI. virorũ, qui sapiētes ab illis, ab Aristotele πρύτανοι
appellantur. hoc item commune est, quòd nulla iudicia Se-
natus Atheniensis aut Romanus attingebat, quandiu li-
bera fuit Respublica; nisi fortasse rei nouitas, aut sceleris
atrocitas animaduersionem extra ordinem postularet: sed
cùm Senatus Atheniensis extra ordinem cognosceret, non
maiores multã quingentis drachmis irrogare poterat, ut
Demosthenes contrà Euergum scribit. si quid grauius es-
set, ad populum ferebatur. apud Venetos X. viri & XL.
virii publicorum iudiciorum, cognitiones etiam extraordi-
narias habēt, quas Græci vocant ἐισαγγελείας. hoc tamen
amplius habuit Senatus Atheniensium, quòd Senatorem
ordine mouere, & ἐκφυλοφορεῖσθαι potuerit: apud Romanos,
Cēсорum; apud Venetos, decemuirorũ potestati tributum
est. Sequuntur magistratus qui apud Venetos & Athenien-
ses magnam inter se similitudinẽ, nullam fere cùm Roma-
nis habent. scitum est quàm pauci fuerit Romæ magistra-
tus. Athenienses prope infinitos habuerunt. fuit enim præ-
ter Senatum quingentorum virorum, Areopogitarum cu-
ria, quæ parem habuit potestatem atque collegium decem
uirorum apud Venetos. hoc tamen interest quod hi ad bre-
ue tempus; illi perpetuũ imperium habuerunt. ac primũ
sub regibus ad capitales causas: deinde rerum omniũ spe-
culatores sunt & legum custodes à Solone constituti, ut
Plutarchus scribit. sed quemadmodum Pericles Areopo-
G ii gitarũ

gitarū potentiam labefactauit: ita non mediocriter decē-
 uirorum potestas est imminuta XL. uirorū capitalium,
 deinde VII. uirorum, ac XVI. uirorū creatione. Sequi-
 tur collegium nouem ἀεχόντων, quod VII. uiris Venetorū
 non male congruit. item collegium XL. uirorum, qui de
 vi & iniuriis cognoscebant. & Ephetarum quinquagin-
 ta, qui cū XL. uiris capitalibus Venetorū conferrī pos-
 sunt: sed Ephete de cade fortuita duntaxat cognouerunt,
 ut est apud Sudam, Pollucem, & Pausaniam in Atticis.
 ubi copiosè genera iudiciorū explicantur, neque enim ci-
 uibus tantū ac peregrinis, sed etiam brutis animalibus,
 & rebus inanimatis ius dicebatur. fuerunt etiam Arbitri
 CCXX. qui ex una quaque tribu sorte quotannis du-
 cebantur supra sexagesimum annum, ut Pollux; vel quin-
 quagesimum, ut Sudas tradit. his fere octoginta uiri ciui-
 lium causarū apud Venetos comparari possunt: XL. qui-
 dem inter ciues & ciues; totidem ciues inter & peregri-
 nos. Archon praesidebat arbitris ciuium, Polemarchus ar-
 bitris peregrinorum. quo munere fungebantur duo Praeto-
 res apud Romanos; Urbanus & Peregrinus, unā cū Cen-
 tumuiris, quibus decemuirī litibus iudicandis pro Praeto-
 re praerant. publicis iudiciis Praetores quaestionum, unā
 cū decuriis Senatorum, & equitum, quibus lege Aure-
 lia Tribuni ararij adiecti sunt. hoc tamen animaduersione
 dignū est, quod Budaē ac plerosque alios fefellit; quod
 tametsi Senatus iudicia nulla disceptaret, siue legitimus,
 siue indictus esset, nihilominus ab eiectis regibus usque
 ad legem Semproniam, Praetores quaestionum, ac parrici-
 dij Quaestores non alios quā ex ordine Senatorio sortie-
 bantur.

bantur. aliud est autem Senatum iudicare; aliud Senatorios viros à Prætoribus ad iudicia sorte duci. Apud Athenienses Phylarchi decem, siue tribuū præpositi à Clisthene instituti, planè similes erant sexuiris Venetorū tribuū Præfectis: & Phratriarchi Atheniensium, Præfectis sodalitorū apud Venetos: aut Curionibus apud Romanos: quales fere sunt ubique. rursus Demarchi Atheniensium nomine duntaxat cūm Tribuni plebis conueniunt; potestate nullo modò. Proedros, Archontes, & Epistatas Senatus, concionis, & iudiciorum, pares habent Veneti in quibusque collegiis. apud Romanos Consul Senatui, præerat: maior magistratus populo, Tribunus plebi, aut Ædilis, rarò tamen: aut maior magistratus: Prætores iudiciis. qui autem apud Athenienses undecimviri νομοφύλακες à Polluce appellantur, iidem fere apud Romanos triumviri capitales. minores iudices multi sunt apud Venetos, quales nec Romani ullos, nec Athenienses habuere, præter Epagogos qui similes erant iudicibus mercatorum. sed hæc apud Contarenū. unum genus est magistratuū apud Venetos, qui triumviri aduocatores appellantur, ac fontiuū prehensionem & accusationem habent; ne, ut apud Romanos & Græcos, quenquam temere accusare liceat. talis est apud nos aduocatio triumviralis, in omnibus iudicium decuriis. Logistæ quoque Atheniensium, Syndicis Venetorum non malè congruunt, quòd utrique rationem gesti magistratus exigebant: sed illi demoribus ante magistratum quæstionem habebant: hi de prouincialibus magistratibus duntaxat inquirunt: decemviri ac triumviri de urbanis, cæteri magistratus qui ærarium curant, iidem fere apud

Athenienses qui apud Venetos: habent hi praefectos vectigalium ac tributorum, qui tam varij sunt quàm varia genera tributorum ac vectigalium: praefectos pecuniae mutuae, tribunos aerarij, qui publicas pecunias recipiunt: quaestores urbanos, ad quos pecunia defertur. apud Athenienses Apodecta, Hellenotamia, quaestores Palladis, quaestores urbani, siue Praefectores, inquisitores, syndici, qui sacras pecunias multa nomine exigebant: quaestores spectaculorum, quaestores militares, quaestores rerum venalium, Epigraphi seu bonorum censors, & antigraphi. omnium autem maximus fuit quaestor populi. magistratus item annonae multò plures apud Athenienses, quàm apud Venetos aut Romanos. his quidem unus annonae Praefectus, aut ad summum Aediles duo. illis praeter Agoranomium, Metronomi quindecim, totidem Sitophylaces, ac praeterea curator emporij. reliqui sunt apud Venetos praefecti salutis publicae, praefecti Monetae, Aediles viarum, Praefecti classis, Procuratores D. Marci, qui pupillorum ac viduarum curam habent. apud Athenienses prope infiniti urbis dignitatem ac civium salutem curabant, quos Aristoteles ἀστυνόμους vocat: ut praefecti aquarum, murorum, operum publicorum. praeterea Nomophylaces ceremoniis praerant: Sophronista moribus: Gynecocosmi mulieribus: Oenopta conuiuiis: Gymnasiarcha palestra: Choragi choro: Liturgi curationibus extraordinariis: Cōquisitores peregrinos à civibus dirimebant: Episcopi magistratuum actiones explorabant: Oratores causas publicas suscipiebant: legati ad socios aut exterarum gentes mittebantur. omitto militares magistratus, Taxiarchos, Hipparchos Triararchos,

rarchos, Strategos: omitto pontifices ac sacerdotes, qui eò plures apud Romanos fuere, quò religionem ac militarem disciplinam magis coluerunt. Prouinciales magistratus apud Athenienses video nullos, cùm sociæ ciuitates suos magistratus haberent: sed prouocandi ius erat ad magistratus Athenienses, ut est apud Xenophontem. ita quoque apud Venetos & Romanos: sed hoc ampliùs, quòd hi magistratus prouinciales habent. Romani tres; Præsidem, Legatum, & Questorem. nam Proconsules, Prætores, Proquaestores, Præsidis appellatione complectitur Vlpianus. si prouincia latè pateret, legati plures adiungebãtur. Veneti quattuor creare solent: Prætorem urbanae disciplinae, Præfectum militari, Custodem arcis, & Questorem. hæc forma est Rerumpublicarum quæ in statu populari magis claruerunt, excipio Carthaginensem, cuius vestigia sunt apud Aristotelem, Polybium ac Liuium, sed valde obscura. Ex his planum fit Rempublicam Venetorum antea popularem fuisse, sed paulatim in Aristocratiam mutari cepisse, cùm magna pars ciuium ac plebiorum opificiis intenta, sponte se à rebus agendis subduceret; peregrini verò & inquilini non admitterentur, nec ius imperij cuiquam nisi de Republica benemerito, & auarè admodum tribueretur, paulatim familiae veteres interire cœperunt, ac multò pauciores essent, nisi Genuësi bello triginta peregrini ius ciuitatis emissent, cùm ciuitas inopia premeretur. hoc idem contigisse: apud Romanos & Athenienses, si eodem modò uterentur quo Veneti. sed apud Athenienses ciuium multitudinẽ auxit Clisthenes, qui omnes inquilinos ac manumissos in ciuitatem recepit: Romani

verò

verò manumissos omnes exceptis oppidò paucis. ac propterea Latini suos liberos seruilem in modum Romanis vendere consueuerã aucthore Dionysio, vt manumissi ius honorum adipisceretur. post armis socialibus coacti, vniuersa Italia ciuitatem concesserunt. tandem etiam exteris nationibus: postremò omnibus qui Romano imperio continebantur. Sunt igitur apud Venetos Citadini & Plebei æquè ciues ac Nobiles: vt priuatus æquè ciuis est ac magistratus: sed illi ab honoribus & imperio summonentur. huc enim relabi oportet, vnde totius disputationis originẽ ducebamus. non enim quia Citadinus Venetorum Cancellarius esse potest (quanquam suffragiis tribuitur non sortiti) aut etiam scriba, propterea ciuis habetur, cum in tanta numerum, quæ perpetua sunt paucitate, vnus tantum aut alter ciuis isto modo esse possit. ceteri peregrini. apud Athenienses, si Athenai scripta sequamur, cum XX. millia ciuium imperium tenerent, decem millia peregrinorũ qui nati erant ex peregrinis tametsi ab honoribus, & suffragiis arcerentur, nihilominus ciues fuisse oportet, cum libertate, imperij tutela, iuris æquabilitate, domicilio perpetuo, ac patria denique in qua nati erant fruerentur, nec ab aliis ciuitatibus aut principibus iure vindicari possent. fuerunt igitur reuera XXX. millia ciuium, quorum XX. millia popularem statum tuebantur. neque enim oportet in populari statu ciues omnes imperij participes esse, sed maiorem partem. quod enim pluribus placet, omnibus placere dicitur. Cum verò minor pars ciuium imperat, & pro lege habetur, quod paucioribus ciuibus placet, optimatum potestas est. nisi ad verborum subtilitatem omnia renocemus,

Status optimatum.

mus,

mus, ut non sint optimates nisi optimi præsent: at ista ratione non solum apud Venetos, Rhagusios, Genuenses, Lucenses, & Germanos, ubi paucissimi imperium tenent, sed nulla omnino Aristocratiâ usquã fuisse reperietur: & vitiosæ eiusmodi Respublicæ videbuntur, in quibus nobiles, aut diuites, nulla virtutis aut eruditionis habita ratione, soli Rempub. gerunt: cum interim optimi ac prudentissimi propter inopiam vel generis obscuritatẽ reiciantur. quod absurdum esse affirmabunt. ergo populariter loquamur, & optimatum imperia ciuium paucitate; paucitatem minore ciuium parte definiamus: siue duo (nam plures eo numero intelliguntur, ut Iurisconsulti tradunt) siue tres fuerint, ut cum Augustus Antonius, ac Lepidus triumviri Reipub. constituendæ Rempublicam suo arbitrio gubernarẽt: quanquam statim in monarchias tres, ac paulo post in duas, postremo in unam concessit. siue plures tribus imperet, paucissimi tamen & virtute insignes, ut apud Hebræos antè regiam potestatem: apud Lacedæmonios, sublato regno: apud Pharsalios, ante Alexãdri tempora. siue paucissimi ac deterrimi, ut apud Megareses & Athenienses sub XXX. tyrãnis: apud Romanos sub decemviris: apud Perusinos sub Ottonibus: apud Senenses eiectis patriciis. siue nobilissimi magno numero, ut apud Romanos patricij ante creationem Tribunorũ. tunc reuera imperium tenebant, populare nomen inane erat: vel etiam apud Cnidios, Venetos, Rhagusios, Lucenses, & Norimbergenses. siue pauci diuites, ut apud Rhodios, Thebanos, Genuenses, sublata populi potestate. numerus verò infinitam adfert varietatem: ut apud Pharsalios XX. apud

H Lacedæ-

Lacedæmonios *XXX.* apud Hebræos *LXXI.* apud Germanos ducenti, aut ad summum trecenti: totidem fere apud Rhagusios, & Lucenses. apud Genuenses circiter mille quingenti. apud Venetos numerus optimatū triplo maior est, sed illic numerus frustra definiatur, cum à stirpe querantur optimates: si tamen electione aut sorte ducantur, centesimū quēque cooptari meliùs est ad geometricā rationem, quæ optimatum imperio rectissimè congruit, ut harmanica regno, arithmetica populari. quare si demus civium decem millia, centum optimates deligendi sunt; sic enim geometrica ratio constabit: quia hic numerus æquali ratione unum ac decem millia complectitur. consimiliter ex *XX.* millibus ducenti, numerū implent optimatum. at Lycurgus fere millesimum quēque, scilicet è quinque Spartatarum & *XXX.* Lacedæmoniorum millibus *XXX.* duntaxat elegit. In Senatu cooptando multò pauciores desiderantur, quàm in optimatibus eligendis. contrà quàm voluit Plato, qui trigesimum quēque in Senatum annum cooptavit, id est ex millibus quinque & quadraginta, *CLXXX.* Moses tamen videtur è decem millibus unum duntaxat diuina sorte duxisse. cum enim censa fuissent *DCXXII.* millia hominū supra *XX.* & infra *LV.* annos qui arma ferre poterāt, unū & septuaginta Senatui præfecit. quæ ratio congruet si minorū centū millia fuisse concedamus, reiicio seruos, senes, ac feminas, quorū numerū duplo maiore fuisse necesse est, cum fere tot sint ubique fœminæ quot viri, atque etiam una plus Athenarum urbi nomen dedit. sed hanc Senatus, & optimatū deligendorum rationem miror à Platone esse & Aristot-

Aristotele prætermissum: cum tamen numerum civium definirent; qui semper varie minuitur & augetur. nam Dionysius tradit primo censu Romuli tria millia civium: secundo Seruij, LXXX. quinto CXXX. septimo CX. octavo CII. millia præter seruos, foeminas, opifices, mercatores; quorum numerum triplo maiorem fuisse confirmat. numerus autem singulis annis facile intelligebatur, quod nascens quisque, Iunoni Lucinae; moriens, Veneri Libitinae nummum pendebat, Seruia lege. at in Aristocratiâ paucissimorum, iidem optimates sunt & Senatores, ut apud Lacedaemonios, Pharsalios, Hebraeos. Atque hæc de populari & optimatum statu. Restat de monarchia dicere, cuius tamen si unum genus est, varias tamen complectitur formas. quinque ab Aristotele constituuntur in quo refellendo ne longior sim, id cuique iudicandum relinquam. Monarchiam appello quum summa potestas est in uno, qui iure imperat aut iniuria. hic tyrannus; ille rex appellatur. finis huius honestas; illius voluptas. neque enim verum est quod ait Aristoteles; Regem euadere tyrannum, cum vel aliquantulum imperat contra populi voluntatem. nam ista ratione nulli sint reges: ac Moses ipse iustissimus & sapientissimus princeps, idem tyrannus omnium maximus iudicaretur, quod omnia penè iuberet ac prohiberet contra populi voluntatem. quãquam popularis sit non regia potestas, cum arbitrio populi Respublica gubernatur à rege: quoniã status à populo pendet. Quare cum Aristoteles hanc definitionem tueretur, coactus est nullos usquam esse reges confiteri. Tyrannorum igitur alius alio iniustior, omnes tamen scelere ac iniuria coniuncti. Regum autem qui iu-

Monarchiæ
status.

re imperant duo sunt genera: alteri quidem nulla tenentur lege: alteri legibus obligantur. primi generis sunt reges illi qui manu regia sine ullis legibus olim imperia iustissime gubernarunt: quales fuisse dicuntur reges veterum Græcorum ante Lycurgum & Draconem, id est ante quam leges ullæ sancirentur. tales quoque in Italia veteri regum status fuisse memorantur. cum nec regibus, nec priuatis leges ullæ ferrentur: sed tota Respublica iusque ciuium in arbitrio principis positum esset, ac manu regia, ut P. Æmilius scribit, sine certo iure gubernaretur. nam Iosippus eo argumento colligit. Mosem antiquissimum omnium fuisse legislatorem, quod Homerus in opere tanto vixit verbum, nusquam usurparit. ac tamen si postea leges iuuenta fuissent, priuatis tamen non regibus ferebantur: nec nisi sero admodum principes legibus obligari voluerunt: at ne regibus quidem Vrbe exactis Consules suum imperium ac potestatem lege teneri patiebantur. est enim ac semper fuit vetus illa inter potentes ac tenues grauis controuersia quæ magnis imperiis exitus attulit valde calamitosos, quod potentes arbitrio suo imperare, ac legibus solui, tenues æquabili iure omnes teneri volunt. itaque Terentius Arsa Trib. pl. legem tulit ad populum ut Consulibus leges conscriberentur. ne plebs ab eorum arbitrio penderet: quæ lex, inquit Dionysius, à Consulibus annos sex opugnata, ad extremum perlatæ est. hinc decemviri legibus scribendis creati. sed longè aliud est magistratum lege teneri, aliud Regem: quia hic à seipso; ille à principe vel populo imperium habet. nullum autem Reipub. interitura maius argumentum Platoni visum est quam si magistratus legi, non magistratui lex imperet.

peret. illud tamen valde periculosum; regem ita creari ut nullis omnino legibus teneatur, sed omnia nutu arbitriq; suo gerat. atque hæc disputatio graviter est ab Aristotele tractata, ubi querit an præstabilius sit imperium homini tribuere quàm legi. & cum æquius esse dixisset virum bonum imperare, si modò talis in Repub. futurus est, postea subiicit; Imperium Deo tribui cum legi tribuitur: cum autem homini communicaretur, belluam adiungi: propterea quòd homines variis perturbationibus ab æquitate distrahi solent. sed cum interprete lex egeat, nec omnia quæ ex infinita locorum, temporum, & causarum varietate occurrunt possint legibus comprehendi: necesse putat quæcunq; possunt, ea legibus complecti oportere: cetera hominum æquitati ac religioni dare. quæ ut vera sint, non tamen ad principes, aut eos qui summam Reipub. potestatem habent, sed ad magistratus pertinere videntur. nam qui iubent legem, superiores legibus esse oportet, ut eam vel abrogare, vel ei derogare, vel obrogare, vel subrogare possint: vel etiam, si res ita postulat, antiquari patiantur. quæ fieri non possunt si lege teneatur is qui tulit. atque hæc una causa fuisse videtur, cur Augustus primum, deinde Vespasianus accepta imperij summi potestate legibus sunt à Senatu soluti: sed in eo tamen sæpe fraus imperio fit. honesta quidem oratio est, oportere legibus superiorem esse qui legem iubet, propter ea quæ diximus: sed lege lata summoque omnium probata consensu, cur non teneatur princeps, ea lege quàm tulit? hanc enim ob causam lata lex est Cornelia Tribunitia, qua cautum est ut Praetores suis edictis obligarentur, nec semel fixa refigere, aut mutare possent, cum

ambitiosè arbitriòque suo contrà quàm edixerāt, decerne
 re consueuissēt, ut *Asconius* scribit. quæ autem ratio *Præ-*
toris est ad edictū; eadem *Principis*, aut *populi* ad legem.
 igitur si æquum est, ut quod quisq; iuris in alium statuit,
 eodem ipse teneatur, quantò est æquius principem aut po-
 pulum suis legibus obligari? quare *populus Rom.* iurabat
 in legem quam ipse tulerat, ut est apud *Appianum* lib 1.
 ac propterea *Metellus Numidicus*, quòd *Appias* leges
 non probaret, nec iurare uellet; in exilium missus est. cum
 igitur sua lege *populus* tantisper teneretur, dum abrogari
 æquius esset; consequens est principes quoque teneri. ac
 sophismate aduersus *populum* utebantur, cum se legibus
 ita solutos esse dicerent, ut non modò legibus superiores es-
 sent, sed etiam ut nulla ratione iis obligarentur, quodque
 turpius est, quæ sibi placuissent vim legum haberent. cui
 sanè opinioni *Pomponius* & *Vlpianus* plus aliquantò
 quàm *Iurisconsultos* deceat, blandiuntur. *Paulus* graui-
 ter; Inuerecundum esse principem ex imperfecto testamē-
 to quid capere; tantæque principum maiestati decere le-
 ges eas seruare quibus soluti videntur. iisdem temporibus
Alexander Seuerus primus omnium id suo rescripto con-
 firmavit: post etiam *Theodosius* & *Valentinianus* se le-
 gibus teneri oratione planè regali testati sunt; Digna vox
 aiunt, maiestate regnantis legibus alligatum se principem
 profiteri. adeò de auctoritate iuris nostra pendet auctori-
 tas, & reuera maius imperio est submittere legibus princi-
 patum: & oraculo presentis edicti, quod nobis licere non
 patimur, aliis indicamus. sed pauci principes legem hanc
 sibi latam putant. neque enim *Turcarum*, nec *Persarum*,

nec

nec Schytarum, nec Britannorum, nec Abissinorū reges, at ne Pontifices quidem Romani legibus ullis se teneri volunt, & ut eorum verbis utar, nunquam manus sibi ligant. cum igitur legum ac rerum omnium dominos se ferant, consimiles sunt regibus iis quos Aristoteles dominos appellat; qui veluti patresfamilias Rempublicam quasi suam tuentur. neque enim contrā naturam est, aut contrā ius gentium, ut princeps in Republica rerum omnium ac legum dominus sit, modò imperium suis armis & sanguine partum iustè tueatur: cum paterfamilias non modò bonorum quæ à se quasita sunt, sed etiam quæ à seruis, & seruorum quoque iure gentium dominus sit. hoc igitur primū genus est principū. Alterum est eorum qui non modò magistratus ac priuatos, verumetiam seipfos legibus constringunt, ut p̄ncipes Christiani, paucis exceptis, ac Pœni: qui cum sacris initiantur, magno iureiurando uerbis conceptis à Pontificibus & regni proceribus sese obligant, ex legibus imperij & æquo bono Rempublicam gesturos. formula quidem initiationis regum nostrorum, non modò uerborū & antiquitatis eximia speciē, sed etiam pondere & grauitate sententiarum pulcherrima uisa mihi est: in eo maxime quòd princeps ante pontifices per Deum immortalem iurat, se omnibus ordinibus debitam legem ac iustitiā redditurum: & quanta poterit integritate ac religione iudicaturum. neq; verò iuratus fidem violare facile potest, aut si possit, nolit tamē. ius enim illi dicitur ut priuato cuique, & iisdem legibus tenetur. leges autem totius imperij proprias conuellere non potest, nec de moribus ciuitatum & antiqua consuetudine quicquam immutare, sine trium
ordi-

ordinum consensu. hinc illa grauis ac diuturna controuersia Regem inter & populum Narbonensem de titulo possessionis antiqua, quã ex suis, iisdemq; Romanis moribus ut cogantur docere, inciuile ac iniustũ esse aiunt. hæc quaestio multoties ampliata est, ad extremum à Rege, vel potius ab adulatoribus & quadruplatoribus omissa. Ex his perspicuũ fit, opinor, errare Aristotelem, cùm reges eos qui legibus obligantur, reges non esse scribit. si enim summum imperium habent, sanè reges sunt aut ne populus quidem Romanus summũ Reipublicæ ius habuit, cùm iureiurando legibus obligaretur. perniciosius tamen Iurisconsultorũ interpretes, cùm Vlpiani ac Pomponij dicta de principibus Romanis (quos non modò legibus soluunt, sed etiam eorum arbitrium legem esse aiunt) ad omnes principes pertinere affirmant. turpius etiam quòd Iaso caput legis bene à Zenone, corã rege Ludouico XII. interpretatus, omnia principis esse temere affirmauit. quæ interpretatio non solum abhorret ab huius imperij moribus ac legibus, uerum etiam ab omnibus omnium Imperatorum ac Iurisconsultorum edictis & responsis: alioqui omnes rerum vindicationes tollantur, si nemo rei cuiusquam dominus est. Sit igitur hoc discrimen regum inter ipsos qui iuste imperant, quòd alteri legibus obligantur: alteri sunt omnino soluti. Alterum est cùm creantur, aut nascuntur à stirpe regum: quod regni genus Aristoteles barbaricum appellauit. atque hi quidem perpetui sunt. eorum uerò qui eliguntur, alteri in perpetuum; alteri ad breue tempus: si hoc; Dictator Latinis, cùm optima lege creabatur, Archus Thessalis, Æzymnetes Mitylenæis, Harmostes Lacedæmoniis, Archon Athe-

Atheniēſibus ante popularem ſtatum: Balia Florentinis: ſed hac fuit multorum. hi enim ſummum imperium belli, pacis, pœnarum ac præmiorū ſine prouocatione habuerūt. ſi verò perpetuam poteſtatem accipiunt ab optimatibus, aut plebe, reges ab Ariſtotele vocantur: quales fuiſſe ſcribit heroicis temporibus cū iuſtiſſimus ac prudentiſſimus quiſque omnium conſenſu dux belli perpetuus, iuriſque ac ſacrorum interpres eligeretur. tales etiam eligebant Romani veteres, ac maiores noſtri Franci, Arabes, Scythæ, Dani, Noruegi, Poloni, Hungari. nam Pyaſtus homo ruſticus, Polonia rex à ſuis creatus eſt àno Chriſti DCCC. à quo ceteri ad Lageluoſes uſq; à quibus Sigismūduſ hic originē traxit. Matthias verò Coruinus Hungaria, Guſtauus quoque ex priuato, Suecia rex non ita pridem electus eſt. & Ægyptiorum Sultani à Memmelucis, id eſt prætorianis militibus eligi ſolebant, non aliter quàm Pœnorum & Mauritania reges, niſi adoptione ſuperiorum regum, ac optimatum cōſenſu in ſpem imperij vocati ſint, ut Cæſares olim ab Auguſtis ad imperium deſignari conſueuerāt. quintum genus regum poſuit Ariſtoteles in perpetuo belli duce. exemplum affert de regibus Lacedæmoniorum, ſed non ſatis accommodatè, cū reges illi nihil omnino imperij haberent, nec bellū indicere aut finire poſſent, ut antea dictum eſt. ſed Ariſtotelem fefellit, opinor, nominis appellatio, quam Lycurgus adēpta poteſtate reliquit, ne Rempubicā perturbarent. at multò maiorem habent in regno magiſtri militū, aut etiam perpetui Vexilli feri apud veteres Genuenſes. qui tamen ex albo regū eximendi ſunt, atq; etiam duces Thebanorū, Achaorū, Phoenſiū,

Status Ger-
manorum.

cenſium, Lucenſium, Rhagiſiorum, ac veterum Gallorū, quos annuos fuiſſe tradit Caſar. de Imperatoribus Germanorū dubitari poteſt. ac initio quidem, id eſt intermorta Caroli magni ſtirpe, cum primū electione creari cœperunt, planè regiam poteſtatem habuere; ut Henricus Auceps, Ottones, ac reliqui, exceptis admodū paucis, qui quod regia poteſtatis reliquū erat, penitus amiſerunt: cum ſcilicet noui principes honoris quàm imperij cupidiores, electorum legibus ſe conſtringi paterentur. hinc optimatū ſecuta conuerſio eſt, propterea quòd imperij ſumma principibus & optimatibus omnino ceſſit; ut videre eſt in aurea bulla: etenim Imperator, qui re vera belli dux eſt, ut olim apud Hebraeos, nec legem ferre, nec indicere bellum, nec magistratus creare, nec tributū imperare poteſt. nam creatio magnorū iudicū & imperialis curiæ, quæ XXIII. uiris & uno Praetore conſtat, Imperatori cum aliis principibus communis eſt. nec principem quenquā efficere poteſt, ſed ut apud nos principes à Rege: ſic apud illos Imperator à principibus, ac principes quoque creari conſueuerūt. denique imperium ei abrogari poteſt: ut non ita pridem Venceſlaus Caroli III. filius imperio ſpoliatus eſt. cæteris autem principum & optimatum, ex electoribus, ducibus, Landgrauis, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Pōtificibus, & ſociarum urbium legatis coaleſcit. illic imperij leges rogantur & abrogantur: illic vectigalia ac tributa imperantur, bella decernuntur, exercitus attribuuntur, legationes admittuntur, fœdera ſanciuntur. eſt autem ratio ſufragiorum ex triplici comitiorum genere. prima comitia conſtant ſeptem electoribus: altera principibus imperij ter-

tia urbium legatis. itaque si duo comitia, puta electorum
 & principum, aut principum & urbium consentiant, ter-
 tia comitia nullam vim habent, quòd animaduersione di-
 gnum est, quia nusquam ea ratio comitiorum habetur. nec
 obstat quòd principes in suos imperium habent (quanquã
 imperiali lege moderatum est) cùm ipsi vitam, fortunas,
 agros, ac ius omne potestatis, ordinibus acceptum ferant.
 argumentò est quòd principum ac ciuitatum controuersie
 graues & capitalia iudicia, vel in comitiis, vel ab impe-
 riali curia disceptantur, & priuata quoque iudicia prouo-
 cationum, si XX. aureorum summam excesserint. cetera
 sunt in promptu, & ex aurea bulla facile intelliguntur.
 Ipse quoq; ciuitates imperiales partim liberae, cuiusmodi
 fere sunt septuaginta: partim principibus quodãmodo sub-
 dita, suo tamen iure utentes, optimatũ imperio gubernan-
 tur: quòd intelligi potest ex statu Norimbergæ, quæ omni- Norimber-
gæ status.
 um maxima & domestica disciplina clarissima putatur.
 habet autem trecentos fere optimates (neq; enim certus est
 numerus) qui, ut Conradus Celtes scribit, ex octo & xx.
 gentibus patriciorum constant. nam opifices ac mercatores
 tametsi ad suffragium, non tamen ad imperium admittun-
 tur; contrã quàm in aliis Germaniæ ciuitatibus fieri solet.
 in iis igitur summa Reipub. posita est. ab iis enim eliguntur
 Censores, siue Senatus electores: quibus creatis, ceteri ma-
 gistratus abdicant. Senatus autem constat XXVI. vi-
 ris, qui antiquos octo sublegere solent, ac deinceps alios quo-
 que magistratus puta XIII. viros ex Senatorũ numero,
 qui Scabini vocantur, & VII. viros Burgomagistros, qui
 parem fere ac decemviri Venetorum potestatem habent.

creatur etiam quinqueuiri capitales, qui de furtis, & damno iniuria dato perinde cognoscunt: ut XII. viri de ciuilibus una cum assessoribus iuriscōsultis. cetera sunt penes Senatum. sequuntur septemuiri militaris disciplinae praefecti, Praetor rusticorum, Quaestores duo, summe apud ciues auctoritatis, Praefectus annonae, Triumuiri tutelares, eodem munere ac potestate, quo Procuratores D. Marci apud Venetos: postremo collegiorum & corporum praefecti. haec forma est eius Reipublicae, quam aliae ciuitates Germanorum fere imitantur. tamen nonnullae popularem statum habent. ex quo perspicitur eos vehementer falli, qui Germanorum Imperatorem summum imperium habere putant, propterea quod Carolus III. principes & Electores ipsos in aurea Bulla (quae tamen ex parte abrogata est) suos pincernas, dapiferos, coquos, armigeros, stabularios appellat; qui omne imperium habent, Caesar nihil penitus. nec maius argumentum est quam quod Imperator non aliter renuntiat, quam iuratus in electorum fidem. neque uero ullam publicae pecuniae potestatem habet: sed ararium omnino triplex est, unum Argentinae, alterum Lubeci, tertium Augusta: ubi tributa seruantur. Atque haec imperii forma consimilis est Achaeorum imperio, quod ex urbibus XII. in initio constabat. cum enim ab Oreste usque ad Sigeum tyrannum regiam potestatem pertulissent, casso tyranno statum optimatum stabilierunt: tum variis Demetrii & Antigoni artibus ab amicitia mutua disiecti, in tyrannorum potestatem relapsi sunt: ac rursus in libertatem se ipsos vindicarunt, cum Pyrrhus in Italiam exercitum transfuisset. deinde Iseas Cerauniorum tyrannus sibi metuens,

urbem

Achaeorum
status.

urbem Achaëis sponte reliquit. post accessit Carinia, Leontia, Pellene: tandem finitima quoque urbes tyrannis eiectis in eam societate venerunt: scilicet, Argiui, Sycionij, Arcades, Corinthij, Lacedaemonij, & uniuersa Peloponesus, propter virtutis & iustitiae opinionem, quam Achæi de se ipsi in disceptandis Græcorum controuersis excitarant. cum enim cætus Pythagoræorum in Italia sublatis essent, tanta Rerumpublicarum perturbatio secuta est, ut potentissimis ac sapientissimis quibusque principibus interfectis, Italiae ciuitates uno cōsensu seipsas Achæorum potestati permiserint, tametsi armis & opibus multo magis florerent Athenienses ac Lacedaemonij. postremo conspirationis fide & consensu tot utilitates adepti sunt, tot urbes in suam amicitiam pertraxerunt, ut quod incredibile videatur verum tamen sit, tota Peloponesus iisdem legibus (sic enim Polybius tradit) iisdem moribus, iisdem ponderibus, iisdem mēsuris, iisdem nummis, iisdem iudiciis, eodem consilio, eadem religione, eodem imperio uteretur: & cum ea beneuolentia longè latè diffusa tot populos ac ciuitates complexa foueret, nihil aliud restabat, quàm ut iisdem mœnibus clauderentur. hoc etiam præclarior, quod sua virtute tantum perfecerunt, ut non modò se inuictos hostibus præbuerint, sed etiam tyrannorum censores ac magistri (quod de Heluetiis quoque proditum est) appellarentur: nec prius à Romanis vinci potuerint, quàm illorum fraudibus ab amicitia mutua disiuncti fuisset. cætus annuos ut Germani habuerunt, & annuos imperatores; illi perpetuos. Ex quo intelligitur eos belli duces falsò ab Aristotele reges appellari. Rex autem is dicitur, penes quem legum, magi-

Monarchiæ
status.

Consilium Hispaniæ

stratum, belli, pacis, ac prouocationis summū ius est, quæ si defuerint, regis inane nomen est. cætera quæ in populari & optimatum statu videmus, paria sunt in monarchia. Est enim post principem summa potestas in Senatu, quod priuatum consilium apud nos, regale apud Hispanos, Diuan apud Turcas dici consuevit. quãquam præter hunc aliud est ubique Senatus, quem Hispani secretum, nos strictum appellamus: constat autem quattuor aut quinque viris, amicitia cum principe coniunctissimis, qui arcana imperij tractant: quale est apud Venetos decemuirale collegium. apud Hispanos regale consilium duodecim viris fere constat, qui de legibus, de bello, de pace, de quæ toto Reipublicæ statu cum principe decernunt. ut *Alfonso Vloa* scribit. alterum consilium est Indicarum rerum: quartum quinqueuirorū, ubi de nobilium ordinibus, de quæ expeditionibus & bello sacro agi consuevit. quintum est inquisitionis, ubi de religionibus deliberatur. sextum belli proprium, quod cum imperatoribus ac regni proceribus haberi solet. apud Polonos duplex est, unum quidem sanctius, alterum maius, ubi admittuntur ij omnes qui Pontifices aut Castellani sunt, aut maiores magistratus gesserunt, ut scribit *Sarius Polonus*. apud *Anglos* Senatus *XV*. circiter virorum ab *Odoardo II*. constitutus est, ex iis qui summæ auctoritatis ac prudentiæ viderentur id quæ factum suassu *Roberti Canturbie Pontificis*, ad tyrannidem principum coercendam. apud *Turcas* principis senatum conflare aiunt ex *Basis* quattuor, duobus *Cadileschieris*, & octo *Bellerbeis*. apud nos in Senatum admittuntur principes regis consanguinei, deinde maiores magi

stratus,

stratus, puta Cancellarius, magister militum, magister palatii, magistri libellorum, Mareschalli, Praefectus maris, magnus Scutifer. ceteri principis arbitrio leguntur, puta Cardinales, Pontifices, tribuni quidam avarij, & maioris curiae praesides: aut ut quisque legationibus diuturnis, & usu rerum agendarum praestare videtur. Post Senatum proxima dignitatis sunt duo magistratus, puta magister militum, & Cancellarius. qui in omni fere monarchia consimili officio funguntur. olim quidem sub Romanis regibus Tribunus celerum, sub Dictatoribus magister militum, sub Imperatoribus Praefectus Praetorio dicebatur is, qui legum aequae ac armorum moderator erat: cum idem esset bonus Senator. fortis imperator, & disertus orator; ut tempora ferebant. talis fuit Themistocles, Aristides, Pericles, Demetrius Phalereus, Demosthenes, Cato, Caesar, Brutus, Antonius, & innumerabiles alij. postea vero quam legum multitudo Respublicas inuasit, militaris ac urbanae disciplinae diuisa ratio est, & ubique duplex utriusque magistratus constitui coepit: alter quidem togatus; alter sagatus. nam qui apud nos, Hispanos, Britannos, magister militum siue Conestabilis, olim magister palatii, idem apud Pœnos Munafidus, quem male Iouius Niphatem, ut apud Sultanos Edegnarus (sic enim Leo Afer) ipse Diadarium vocat. apud Turcas Bassa Visir, id est consilij princeps: apud Abissinos Betudeta, id est domesticus. Atque horum quidem imperium maius semper fuit, ac magis gratiosum quam togatorum, propterea quod Reipub. salus & domestica disciplina beneficio militaris & armorum consistit. tætes illa decernit ac iubet: hæc iussa exequitur. Cancellarij

Connestable

Cancellarius

cellarij quoque munus ubique fere idem est, ut iuris ac legum interpret, & sacri sigilli custos sit. absurdum est enim quod Macciauellus Cancellario Gallorum tribuit liberam in ciues necis ac vitæ potestatem. idem apud Abissinos magna iustitia vocatur, ut Aluaresius tradit. apud Turcas Cadileschier, siue princeps iudicum: unus quidem Asiae, alter Europæ; qui ordine Bassas ipsos antecedunt. habent enim iudicum animaduersionem, ac summam iudiciorum potestatem. nam qui Mosti seu Pont. max. est, diuinæ quidem legis interpret habetur, eatenus ne quis in legibus humanis ab ea religione, quam sibi erroris opinione finxerunt, aberrare possit. reliqui militares ac togati magistratus sunt illis inferiores. ut Mareschalli, pares tribunis militum sub imperio Consulari. & qui apud Persas Satrapæ, apud Romanos Præsides, apud Turcas Bellerbei, apud Abissinos Negui; iidem apud Germanos, Gallos, Britanos, Hispanos duces olim & comites, nunc gubernatores prouinciarum dicuntur. qui apud Turcas Sangiachi, paulum admodum differunt à nostris Senescallis. Diximus quid ciuis, quid Respublica, quid ciuitas, quid magistratus, quid imperium, quid status Reipublicæ, nec plures esse scribis. Nunc ad Rerumpublicarum conuersiones veniamus. Ut ergo progrediamur à prima illa origine societatis, ad eam quæ latissimè pateat omnium inter omnes, infinitos prope gradus & conuersiones reperiemus. nam prima societas quæ est viri & uxoris, omnium antiquissima putatur; propterea quod animi corporis, omniumque fortunarum communitas quedam est. tum liberorum coniunctio, paululum à prima discedit: deinde fratrum inter ipsos: post agnatorum

Conuersiones Rerumpublicarum.

gnatorum & gentiliū, qui cū iisdem tectis capi non possint, in alias domos emigrant, quibus sunt res rationesque distinctæ. sequuntur affinitates & noua connubia, ex quibus plures propinqui ab agnatis gentilitate disiuncti. cū verò ab affinitatis coniunctione discesseris, proxima est amicorum virtute parata societas: tum vicinorum, qui propagata sobole in plures vicinias coniunctis ædificiis coalescunt: hinc phratria & pagi, quòd ex ἰαυβῦ φρατρία, id est puteo, vel πὰγος, id est fonte biberent. sed aucta vicorū multitudine, quò tutiores essent à peregrinis, qui maiore multitudine oberrantes, ut est apud Thucydidem, cultos agros & ædificia disiectis possessoribus occupabāt: fossa primū seipsos cinxerūt, unde oppidi nomē & πόλις, quòd illic fruges & opes collocarent, vel opē in iis sperarent, vel commodiūs habitarent. est enim πολῆρ & πολεῖρ habitare, alere, gubernare. cū autem non satis esset in fossa præsidij, varris primū ut credibile est: hinc valli nomen prisca litterarum mutatione: deinde mœnibus oppida sepserunt, quæ propterea vrbes à Latinis dictæ sunt, vel ab vrbo, ut tradit Festus: vel ab orbe, ut Varro: quia interiore sulco fiebat orbis ad murorū descriptionē. Græci Ἀστὴ & πύργος, Germani Purgū dixerūt: utrique ab arce tutiori. Iam verò cū ciuium numerus augetetur, pomœria proferri oportuit: quod nemini fas erat apud Romanos, auctore Tacito, nisi qui agro de hostibus capto rem Romanam auxisset: vel colonias aliò mitti; quæ quòd iisdem moribus ac priores uterentur, una & eadem ciuitas dici cœpit. est enim ciuis, opinor, quasi quiuis (veteres enim littera q. cauerūt) propterea quòd quiuis eodem iure cum reliquis o-

K mnibus

omnibus uteretur. sic paulatim amicitia societatis humane
 vinculum, ab una domo in plures diuisa familias, vicos,
 vrbes, ciuitates, nationes eousque propagata est, quoad o-
 mne genus humanum complexa tueretur. Siue igitur ista,
 siue alia principia fuerunt hominum consociationis, siue
 homo sua se voluntate (ut suapte natura societatis est ap-
 petens) siue cogente necessitate contulit ad aliorum cœtus,
 à quibus parata sibi videbat adiumenta vitæ iucundiùs
 commodiùsque degende; constat omnem coniunctionem &
 communitatem, quò longiùs abest ab illa viri & uxoris so-
 cietate, magis ac magis imminui. sic enim natura compa-
 ratum est, ut quod quisque plus amet, hoc magis suum esse
 velit, & quidem totum suum, nec cùm aliis communicari.
 itaq; non diu tulit natura promiscuos rerum usus. quia ta-
 men amicitiarũ ac bonorum ratio dissimilis est: quòd hæc
 minuuntur, quò pluribus communicantur: amicitia verò
 quasi lumen eo magis lucet, quò plures ea fruuntur: propte-
 reà fratres sororibus, parentes liberis matrimonio iungi na-
 tura vetuit, vel potius lex omniũ gentium communis, quæ
 vel apud barbarissimos Americanos inuolabiliter seruari
 dicitur: ut domestica societas in ciuile, & amicitia quæ
 iisdem tectis concludebatur, in finitimos omnes longè latè
 propagaretur, quemadmodum scribit Augustinus, veriùs
 sanè quàm Innocentius Pont. Max. qui consanguineorũ
 nuptias quarto gradu definiit, proptereà quòd in corpore
 quatuor sint humores, in cap. penult. de cõsanguin. Sed hæc
 vitæ dulcedo quã homines ex mutua societate capiebant,
 dissidiis violari cœpit, cùm scilicet tenues à potentibus op-
 primerentur. quod vniuersæ naturæ Varro tribuit; Qui
 pote

potè plus urget: ut pisces sæpe minutos magnu' comest, ut
 aues enecat accipiter. quam vim ut effugerent debiles ac
 tenues: alij quidem ad robustissimos & potentissimos, alij
 ad iustissimos quosque confugiebant, ut se ab illata iniu-
 ria vindicarent. hinc duo genera Rerumpublicarum orta
 sunt: alterum vi constitutum: alterum equitate. ex altera
 parte regnum, aristocrata, democratia: ex altera tyrānis,
 oligarchia, ochlocratia, quam Cicero cum verbo Latino
 careret, tyrānidē quoque appellauit. sed cum imperia sce-
 lere parata sine iustitia retineri non possent, ipsi tyranni ius-
 titiam non propter seipsam, sed propter seipsos colere coa-
 cti sunt. hinc opinio iustitiæ inclaruit: cum ad iustissimum
 quenque ac prudentissimum ciuem reliqui confugerent,
 eumque laterum suorum obiectu, quò minus ei noceri pos-
 set, tueretur. is igitur equitate ciues regebat. Ex quo per-
 spicuum fit, etiam si ab historia destitueremur, plenam o-
 nium libertatem, id est potestatem viuendi ut velis sine
 legibus aut imperio, à singulis ad unum esse delatam: ac
 Reipublicæ primum genus penes unum fuisse, qui quòd
 iustitiæ fruendæ causa creatus esset (ut apud Medos præ-
 cipio factum scribit Herodotus) iudex appellabatur. ar- *iudex*
 gumento est quòd apud Homerum & Hesiodum iudices
 id est δισκαστοί, sæpius dicuntur βασιλεις, ἀνακτες, κοίρανοι,
 melius etiam ποιμένες seu pastores populorum: quæ verba
 nec imperium, nec dominationem significat, sed curam, so-
 licitudinem, gubernationem, & in iudicando equitatem.
 ac multis ante Homerum ætatibus, Minos & Æacus,
 qui maxima imperia gubernarunt, non aliter quàm iudi-
 ces sunt appellati. consimiliter septuaginta viri, qui Rem-
 K ii publicam

publicam Hebraeorum tenuerunt, iudices dicebantur, id est שפטים. Consules quoque eiectis regibus iudices dicti sunt, ut videre est apud Liuium & Varronem qui accensum consulis utriusque delectum habituri, sic loquentem indicit; Omnes Quirites inlicium huc visite ad iudices. nec mirum debet videri, si Augustus tam assidue ius dixit, ut etiam ager in lectica iudicem ageret: ac reliqui quoque Caesares de rebus leuissimis cognoscerent: cum etiamnum reges nostri cum inicianur, hoc primum iurant se iuste iudicatuos: ut sua creationis hac praecipua causa esse videatur. Fuit igitur primus Rerumpublicarum status in monarchia, quae vel iusta sine legibus ullis, sola regis equitate constituta: vel iniusta, cum potentissimus quisque latronum manu stipatus, tennes seruitute premeret, ut Moses de gigantibus ac Nimrotho scribit, quem primum omnium in seruitutem homines adegisse ferunt: deinde imperium scelere quaesitum, ut diuturnum esset, oportuit equitate moderari, & in eo quidem omnes omnium historiarum scriptores consentiunt, nec usquam optimatum, multo minus populares status initio constituti reperiuntur. Reges autem a stirpe querebantur, quod qui viribus plurimum poterant, liberis imperium relinquebant: qui iustitia chari fuerant, non modo viui, sed etiam mortui colebantur, eorumque liberi reges a populo fiebant, quod parentibus similes futuri putarentur: ut Polybius scribit. sed cum imperia libidine ac utilitate, non iustitia metiri coepissent: secuta est conuersio regnorum in tyrannides. hinc potentium querela, post etiam tenuiorum, cum ab iis a quibus seruari debuerant, foedissime diriperentur, ac torque-
rentur.

מלך / פלגיא
מנא / פלגיא

מלכות

קנין

rentur. Itaque saepe factum est ut potentiores cōiuratione facta tyrannum occiderent, vel ob crudelitatem, vel libidinem, vel utrunque. ob crudelitatem Phalaris, Alexander Pherus, Caligula, Nero, Domitianus, Vitellius, Commodus, Ecelinus Patavinorum, Io. Maria Mediolanensium tyrannus. sed pluribus exitiosa libido fuit quàm crudelitas: quoniam hæc ciues in officio continet, ac metū parit; illa contemptum: quòd imperio videatur indignus is, qui suæ libidini imperare nequit. nam Alexander Medices Florentinorum tyrannus, occisus est cùm alienæ uxori stuprum inferre conaretur: & Pisistratus ab Harmodio, cuius sororem constuprarat. ob eam quoque causam Aloysius Placentinorum tyrannus, Galeaces Maria, Rodericus Hispaniarum rex, Tarquinius, Sardanapalus, Heliogabalus, Appius Claudius, & innumerabiles alij tyrannidem amiserunt. Ac sæpissime odio tyrānorum, præmium imperij datum est principi coniuratorum. sic Arfaces sublato Sardanapalo regnum Assyriorum adeptus est: Brutus uterque consulatum & exercitus: Ludouicus Gonzaga imperium Mantuanorum caso Bonacolsio tyranno. illud autem vsuuenire solet, ut sceleratissimum tyrānum sequatur iustissimus princeps. quorū enim exitus per horrescunt, eorū vitam imitari turpe ac periculosum ducunt. itaque Neronē Galba princeps optimus secutus est: Nerua Domitianum: Alexander Heliogabalum: Pertinax Commodum: Gordianus Maximinū, sed paulatim lapsa cōsuetudo de via desleclit, quousque princeps alius ad vitiorum extrema recurrat. atque hæc mutua conuersio est omnium quæ unquam extiterunt monarchiarum. falsum

Rogus occisi ob
crudelitatem vel libidinem
vel utrunque.

hæc ut per
apud hanc manent

est enim quod Plato primùm, deinde Polybius ac Cicero de populari & optimatum necessaria conuersione scripserunt: cùm nullos unquam populares aut optimatum status habuisse ferantur Scythæ, nec Australes, nec Asiatici ultra Euphratem, nec Americi quoque. in media regione duntaxat Occasum versus, video Democratias & Aristocratias, serò locum habuisse, nec diu tamen floruisse, & ad extremum in monarchias legitimas uniuersæ naturæ congruentes recidisse, exceptis oppidò paucis: principio Cretenses: deinde Carthaginenses: post Athenienses ac Lacedæmonij in uniuersam Græciam populares & optimatum status inuexerunt. hos secuti sunt Siculi: tandem Itali, Galli, & Hispani: postremò Germani & Heluetij. atque hæc una ratio visa mihi est, quòd cùm mediæ regionis homines ad res agendas nati sint, ut superiori capite diximus, omnes imperio se dignos arbitratur: maximè tamen occidentales, qui quòd animi magnitudine orientalibus præstant, non facillè tyrannidem ferre possunt. quare aut reges ipsos legibus parere cogunt (quo nihil diuinius optari potest) aut tyrannos de imperio deturbant: & populi siue optimatũ imperia stabiliunt: quod ex historiarum lectione planius est, quàm ut egeat exemplis. Cõuersiones autem imperiorum externæ sunt aut domesticæ: sic enim distingui necesse est: externa fit ab hostibus aut ab amicis. hæc quidem cùm Respublica sponte, nec ulla vi coacta se alterus imperio permittit: ut Mediolanenses liberi ab imperio Germanorum, ducem Eriphrandum Angleria gentis nihil tale cogitantem acciuerunt, eiusque potestati se permiserunt: similiter Memmeluci, ca-

sis

sis pluribus Sultanis Campsonem Caramania principem
 externum ac renitentem Aegypto praefecerunt. ita quo-
 que Thebani ac Phocenses urbem à se conditam colonia
 deducta Platoni permiserunt, ut eam arbitrato suo legi-
 bus informaret. sed haec rariùs accidunt; quia peregrinorù
 imperia difficillimè feruntur. id tamen armorum vi saepe
 contingit, ut victi victoris imperia sequatur. sic Atheniè-
 sium popularis status in Aristocratiam vi mutatus est à
 Lacedaemoniis duce Lysandro. idem iudiciù est omnium.
 domestica verò conuersio duplex est: altera quidem sine
 vi: altera violenta. prior à recta deflectit ad prauam sine
 ulla vi, propterea quòd ea est hominù natura ut deorsum
 ad vitia labi consuescant. quid enim illustrius quinquen-
 nio Neronis? quid Salomonis adolescentia diuinius? quid ^{publi}
 Caligulae initus praeclearius? còtra verò quid sine turpius? ^{p-2-1001-1002}
 cum enim ad vitiorum extremù peruenerunt, inde sursum
 reuocari sine maxima vi nõ possunt. quò fit ut regnum in
 tyrannidem, Aristocratia in Oligarchiam, Democratia
 in Ochlocratiam sine ulla vi semper mutatae sint. at con-
 uersio tyrānidis in popularem statum semper violēta fuit,
 scilicet caso tyranno: eo tamē sine liberis mortuo, quod sae-
 pe contigit, optimates imperium suscipere solent, veriti ne
 rursus in tyrannidem recasuri sint. primùm igitur Rempu-
 blicam summa equitate ac iustitia moderantur, ut initia
 rerum gerendarum praecleara esse consueuerunt. sed inter
 optimates; qui amicis, vel gratia, vel opibus, vel rerum ge-
 starum laude praestant, magistratibus etiam & imperiis
 superiores esse conantur. atque hinc oligarchia, quam Ci-
 cero factionem vertit, cum pauci multorum opes & hono-
 res

res malis artibus inuadunt. ex quo potentiorum inter ipsos
 coniurationes, ac cædes parantur, quousque plebs imperiũ
 pertæsa sceleratorum, faciliè dissidẽres inuadit, spoliat, oc-
 cidit. sic tandem statu factiosorum mutato, sequitur popu-
 laris. nam populus recuperata libertate, faciliè persuaderi
 se patitur hominũ popularium oratione, ut adeptæ liber-
 tate fruatur. ac ferre fit ut plebs à cade tyrãnorum, ad a-
 liud extremum, id est, ad popularem potestatem, velut
 impetu feratur. hoc etiam natura quodammodo insitum
 est, ut inuitus nemo pareat; at ne iusta quidem præcipien-
 ti, sed aut sponte duci, aut imperare vicissim ac parere ve-
 lit. igitur noua Reipublicæ forma constituta, populus im-
 peria voluit à se peti, ut singuli tũ priuati, tũ magistra-
 tus uniuersæ multitudini obedirent. Illud autẽ fere sem-
 per contigit, ut post adeptam de hostibus victoriam, fa-
 ctiones & optimatum status abirent in populares, aut hi
 vicissim in ochlocratias: contrà verò acceptis offensionibus,
 à populo ad optimates imperia relaberentur. ut confe-
 cto bello Tarentino, magistratus omnes plebi communica-
 ri cœperunt. at Punico bello cùm Annibal Italiam armis
 quateret, Tribuni languere: eo victo & Antiocho magno,
 Tribuni furere, plebs insurgere, agros poscere. consimiliter
 Athenienses non ante imperium populare stabilierunt,
 quàm victis Persis ad Salaminem: at eo ipso tempore quo
 à Syracusis victi sunt, imperium ad quadringentos opti-
 mates rediit. contrà verò Syracusii ex eadem victoria po-
 pularem statum arripuerunt, ut Diodorus scribit. ratio est
 in promptu. plebs enim, velut indomita bellua, rebus pro-
 speris insolentiùs exultat; aduersis repente deiicitur: & ex
 euentis

euentis cōsilia metitur. at optimates qui periculo sunt propiores, velut in tempestate gubernacula suscipiunt. Cū igitur populus temere ac nulla prudentia feratur ad res agendas, facile est oratoribus imperita plebis animos quō velint impellere, ac deducere vnde velint: tum ut quisque excelsō est ingenio & gloriæ cupido (neque enim in languentibus animis, sed in erectis mentibus ac maximis ingeniis dominandi cupiditates oriuntur) ita plebem conuiuiis, largitionibus, & spectaculorum voluptate pascit, ut honores & imperia nullo suo merito consequatur. ac si quis intercedere velit, muneribus corrumpitur, aut falsis criminibus accusatus, de vita, vel de sentētia decedere cogitur. sic Ephesij Hermodorū: Athenienses Aristidem ac Thucididem: Romani Camillum, Rutilium, Metellum, Ciceronē eiecerunt. his exactis populus quasi victor de virtute triumphare, accusatoribus honores & magistratus prorogare, qui cū imperij dulcedinem diu gustarunt, tot ac tantis opibus & praesidiis potentiam stabiliunt, ut ab imperio nunquam diuelli possint. id autem fere semper cōtigit in popularibus imperiis, ut plebs eos haberet tyrannos, quibus se Remque publicam commiserat. atque hunc in modum Corinthij Cypselum tyrannū pertulerunt, Syracusij Dionysium, Athenienses Pisistratum, Leontini Panætium, Argiui Phidonem, Agrigentini Phalaridem, Romani Caesarē, Lucenses Castrucium, Pisani Fagiolam, Mediolanenses Napum Torefanum, Senenses Pandulfum, Florentini ducem Athenarum. ut autem ereptum populo imperium facilius retinerent, detestabiles tyrannidis artes excogitarunt, quæ tametsi à multis intel-

L liguntur

liguntur, à pluribus tamen intelligi utile est, ut quoquo-
 modo caueri possint. primùm satellites & quidem bar-
 baros ac peregrinos ad corporis custodiam adhibent: pro-
 pugnacula muniunt: arces occupant: ferocissimos quos-
 que interficiunt: potentiores quasi eminentia papæ era-
 truncant: peregrinis honores ac premia largiuntur: soda-
 litates & collegia tollunt: ciuium amicitias omnino diri-
 munt: discordias inter nobiles ac plebeios occultè serunt:
 deinde ex eorum iniuriis ac mutuis cædibus fiscum im-
 plent: ὄτακουσὸς & exploratores ubique collocant: hone-
 stis artibus ac disciplinis bellum indicunt: plebem labore ac
 propugnaculis ædificandis, ne otium ad altiores animi co-
 gitationes habeat, occupant: bella pecuniæ cogendæ causa
 suscipiunt, & externo milite utuntur, tum oblatas indu-
 cias, aut pacis actiones simulat: novos magistratus & ho-
 nores excogitant, eaque prætio addicunt, ut plures ha-
 beant obligatos: fures & improbos publicis muneribus ac
 tributis exigendis præficiunt, ut eorum opera, populi o-
 pes ac sanguinem exugant: postea verò quàm fures diu
 saginarunt, ad supplicium trahi iubent. nihil autem mise-
 rius, quàm cum plebs imperita magna cū voluptate suppli-
 cia spectans, tyranni æquitatem laudat. hoc indignius ac-
 sceleratius, quòd impietatem religionis specie tegit, tem-
 plaque deorum fingit se reuereri, ut ore ipso ac vultu simu-
 lacrum virtutis præ se ferre videatur. quæ omnia duo-
 bus omnino arcanis sunt comprehensa: primùm est ut po-
 pulo sibi nocendi omnem adimat potestatem: alterum ut
 etiam eripiat voluntatem. potestatem adimit ablatiis opi-
 bus, armis ac præsidiis: neque verò tyranni potestas augetur

tur, quin plebis opes & commoda minuantur: non aliter quam cetera membra tabescunt, ut Adrianus de fisco dicebat, cum lien intumescit. nocendi voluntatem eripit, inimicitias ac discordias occultè serendo: ne cum ciues sibi diffidunt conspirare ullo modo possint. postremò facit ut nihil omnino aliud quàm tyranni voluptatibus parere condiscant. Sed ut malus custos est diurnitatis metus, ut ait Cicero, sic nulla tyrannis diurna esse potest. nam domestica vi facile collabatur, quia unum omnes metuunt ac oderunt; unus omnes metuit & odit: qui verò illum occiderit, in maxima & gratia futurus est & gloria. faciliùs etiam externa vi dissoluitur: quia boni ciues, in quibus summa fides esse debuerat, cum hostibus ad unius tyranni exitium mirabiliter conspirant. itaque Aratus ac Timoleon breui tyrānos innumerabiles fregerunt. ea verò quàm Dionysius vinculis adamātinis se colligasse iactabat, paulò post à Dione familiari dissoluta est. Sed plurimùm refert utrum Respublica interiore malo, an externa vi corruat. ut enim quaedam res à natura sic tēperatæ sunt, ut nunquā interitura videantur: quaedam verò tam male sibi coherent, ut solo flatu dissipari possint: ita quoque Respublica quò meliùs est ab ortus sui primordio temperata, eò faciliùs vim externam repellit: à se ipsa verò difficillimè labefactatur. Illud tamen admonendi sunt qui in Rerumpublicarum administratione versantur, seruitia veterum, de Republica sublata, & religiones recentium inuectas, conuersionum occasiones incredibiles peperisse, quæ veteribus ignotæ fuerūt. olim quidem metus erat ne serui ad pileum vocarentur, & Rempublicam perturba-

rent, ut apud Tyrios, Siculos, Romanos maximas clades ciuitatibus intulerunt: postea verò quàm tyrannides grassari cœperunt, seruorum libertas augeri visa est, ac dominorum imminui potestas: maximè Tiberij tēporibus, qui statuam seruis asylum proposuit: ut apud Ephesios Dianæ templum: apud Athenienses Thesei sepulchrum: apud Cyrenenses statua Ptolemæi. postea necis potestas dominis est erepta temporibus Adriani: ac tyrannide premente serui à dominis cœperunt metui, ne illos apud Tyrannū maiestatis incusarent. postea Christiana libertas secuta, nō putauit humanum seruos quasi bestias operis ac vinculis urgere: partim etiam metuentes Christiani, ne in paganorum potestatem de laberentur serui eiusdem religionis, eos assiduè manumittebant. atque hæc quod in promptu sunt testibus non egent. quæ sequuntur ex obscuris antiquitatibus eruenda fuerūt: quia cū seruitia nulla sint, quando desierunt intelligi non facile potest, ut ex eo conuersiones imperiorum hauriamus. extant enim leges Caroli magni, Ludouici Pij, ac Lotharij de seruis in libro legum Caroli magni, & in libris legum Longobardorum. sunt etiam de seruis & ancillis fugitiuis constitutiones Gulielmi regis Siciliae ac Neapoleos, & Friderici II. Imp. in placitis regni Neapolitani. vixit Fridericus anno MCCXII. sunt & Alexandri III. Pontificis, Urbani, Innocentijs decreta de coniugijs seruorum. à temporibus Friderici esse desierunt. nam Bartol. ad l. hostes: de captiuis. scribit suo tēpore seruitia nulla fuisse, ac iampridem desuisse, nec homines Christianis moribus usquam vendi. vixit autē anno MCCIX. idque Panormitanus animaduer-

animaduersione dignum scribit. antea quidē seruire bellū Hispanias grauitē afflixerat sub Aurelio Alfonsi regis filio; anno salutis DCCCLXXXI. ac mihi fit verisimile Christianos Arabum exemplo seruitia sustulisse: propterea quod Muhamedes, vel potius Homarus seruos suae religionis ad pileum omnes vocauit, quod in imperiis Christianorum graues tumultus commouit. ex ea libertate secuta est miseranda illa, quae Respublicas euertere solet, inopia: hinc furta, latrocinia, caedes, & publicè mendicantibus merces constituta. Religionum quoque varietas imperia cæterisque hominum uehementē labefactauit: quae olim ab omnibus aequè colebantur, praeterquam à Iudaeis. hinc igitur infinitae Rerumpublicarum conuersiones: ac plerique sola religionis specie maxima regna inuaserunt: Arabes, inquam, Persae, Mauri, Pontifices Romani. nam Iosippi gens imperium Mauritaniae Marinis ademit eo modo quo Ismael Persarum regnum concionibus & religionis specie recuperauit. id quoque tentauit Carolus V. in Germania, ut nuper quidam apud nos. His explicatis uideamus utrum ex numeris Pythagoricis conuersiones imperiorum haberi possint. absurdum sanè mihi uidetur quod Plato rerumpublicarum, exitus & uicissitudines sola numerorum potestate metitur. tametsi enim Deus immortalis omnia numeris, ordine, ac mensura mirabili colligauit, non tamen numerorum uiribus, multò minùs fato tribuendum illud est, sed maiestati diuinae, quae ipsa, ut Augustinus scribit, fatum est, aut nullum omnino aliud existit. itaque cum Aristoteles causis consequentibus omnia tribueret, Platonis numeros irrisit libro quinto de Re-

publica, quo nihil melius est in tota illa disputatione, aut acuratius ab eo tractatū. causas autem conuersionū multas affert, quæ mihi videntur septem generibus omnino contineri. sunt autem iniuria, honor, lucrum, metus, contemptus, nimia paucorum opes, nimia multorum inopia. quæ quòd ab illo copiosè disputata sunt omitto. sed cū Plato in illa Republica quæ propriè Socrati tribuitur, modis omnibus prouidisse fingatur, ne quis alteri ullam iniuriam inferret, ne quis alium metueret aut contemneret, nè ve honoris aut lucri causa Rempublicam perturbaret: postremo pestes illas antiquissimas ciuitatū, scilicet opes & inopiam, æquatis omnium facultatibus de sua Repub. summouisset: non poterant illa quæ sunt ab Aristotele allata, interitum Reipub. afferre, si demus talem esse, qua nulla melior fingi potest. interitum tamen sentiet inquit Socrates sua ipsius vetustate: quoniam eiusmodi est omnium rerum natura. miror tamen cur Plato qui mundum diuina bonitate perpetuum fore putauit, alioqui suo prope morbo ac senio ruiturum: non etiam de optimo Reipub. statu idem iudicarit. Platonis interpretes exitium Reipublicæ tum demum fore tradiderunt, cū harmonia numerorū labefactaretur: non igitur esset optimus ille status, quem Socrates animo concipiebat, si morbo interiore, aut concentu perturbato Respublica ruitura sit. illud autem numeris acceptum ferre absurdum videatur. ut enim numeri malè sibi coherentes discrepantiam ingratam efficiunt; propterea quòd, ex his soni conflati misceri non possunt, & cū alius alium pellat utrique vi quadam aures subire conantur. concentu verò sonorum suauiter confuso, id est, cum ratio-

ni con-

ni congruentibus numeris aptè miscentur, nihil discrepare potest: sic Respublica suavi semper concentu temperata confusaque, ubi nullum dissidium, nulla sonorum discrepantia est, neque ex hypothesi esse potest, non video quomodo labefactari queat. Quare falsum est quod ait Forresterus, voluisse Platonem Respublicas initio bene constitutas, & eam præsertim quam nobis proposuit ad imitandum, temporis decursu, veluti numeros initio bene sibi congruentes, paulatim discrepare: idque fieri putat, cum à sesquitertia ratione disceditur. sed ab eo tam multa peccantur, ut quid maxime dici non possit. primum quod rationes harmonicas tripla & quadrupla ratione connectit, quæ paribus & imparibus numeris dupla triplaque ratione debent copulari, ut ipsa numeri nuptialis natura docet. itaque suavissimus ac primus omnium cōcentus, cum ab unitate discesseris, est ea quæ ratio sesquialtera dicitur duorum ac trium, quæ nullo interiecto medio copulantur. postea novē & quattuor, vehementer discrepant quia sine medio coherere non possunt: igitur senarius utrunque æqua ratione copulabit: & cum utroque suaviter concinet. consimiliter xxvii. cum viii. eadem ratione qua superiores coniunguntur, duobus interiectis mediis, scilicet xii. & xviii. nec si in infinitum progrediare isto modo, ulla discrepantia futura est. itidem in ratione sesquitertia trium & quattuor non quidem iusta est harmonia, ut ille voluit: cum neque veteres, neque nostri concentum illud ferre possint, sine tertia aut quinta. sed tamen is cōcentus suam quoque servabit venustatem, si, ut in prioribus, intermedios numeros quæramus. quid enim ineptius quàm

quàm eandem rationem constituere trium ad quattuor,
 quæ est xxvii. ad lxxiiii. demus igitur veram rationem
 inter utrunque xxxvi. & xlviii. idem erit proximi
 cuiusque cõcentus ad alterum, qui est trium ad quattuor.
 hæc autẽ harmonia cõcors perpetua futura est, etiam si in
 infinitũ progrediare. ut si demus ccxliii, & mxxiiii.
 qui in numero nuptiali dupla triplaque ratione sunt qua-
 drati, in cõcentu æque discrepabũt, ac xxvii. & lxxiiii.
 sin rationes medias inserueris; scilicet cccxxiiii.
 ccccxxxii. dlxxvi. dcclxxviii. proximus
 quisque finitimo tam bene concinet & cohærebit, quàm
 tribus quattuor; quia in omnibus sesquitercia ratio est.
 In hoc etiam non vehementer labitur quòd aliorum opi-
 nionem secutus magnum Platonis numerum duodenarij
 cubum facit: quod quidem si verum esset, cur Plato altera
 parte longiorem queri voluit? plerique ad hunc scopulum
 suam nauim affligerunt. Sed quoniam nihil obscurius ac
 difficilius Platonis numeris videtur, nihil temere affir-
 mabo: illud tãtũ quod ad conuersiones imperiorum per-
 tinet, voluisse Platonem Respublicas quantumuis bene
 constitutas, etiam domestico vitio, vel externa vi certo
 quodam annorum decursu labefactari: ut adamas & au-
 rum tanta naturæ vi ac præstantia colligata sunt, ut cum
 perse ipsa violari non posse videantur; a se tamen violã-
 tur, id quod ex naturæ principiis constat: tũ etiam externa
 vi puta diuturnis ignibus, aut aqua chrysulca paulatim
 effluunt & corrumpuntur. Sed mirum est ex omnibus A-
 cademicis tũ Græcis tũ Latinis, neminem hætenus
 numerorum præstantiam illam ac dignitatem, quæ ad sta-
 tum

tum imperiorum pertinet, vllius ciuitatis exēplo docuisse:
 præsertim cū illud non modò pertineat ad status, sed
 etiam ad incrementa, conuersiones, & exitus Rerūpubli-
 carum: tum etiam epicureos confiteri cogat, res humanas
 non temere ac fortuitò, sed præpotentis Dei maiestate ac
 prudentia gubernari. quod igitur ab aliis omissum est, aut
 fortasse consultò prætermissum breuiter complectamur.
 Hoc primū intueri licet, senariū perfectum numerum,
 fœminas; septenarium verò, mares immutare: tum etiam
 vttisque periculosos esse morbos, qui in septenarium aut
 nouenarium incurrunt: & in tota rerum natura magnam
 esse talium numerorum potestatem: ita quoque Rerum-
 publicarum cōuersiones, aut septenariis ac nouenariis mul-
 tiplicatis, aut eorum quadratis in se ductis, aut perfectis,
 aut sphericis numeris contingere, non sine admiratione va-
 riis exemplis animaduerti. hominum quidem interitus in
 septenarios ac nouenarios incurrere, nemini dubium est in
 eam rem penitūs intuenti: vt **XIIII. XVIIII. XXI.**
XXVII. XXVIII. XXXV. XXXVI. XLII. XLV.
XLIX. LVI. si verò septenarius cum nouenario concur-
 rat, annum periculosissimum esse omnis antiquitas com-
 probauit. hinc Augustus in quadam epistola gratulatur
 amicis, quòd annum **LXIII.** quem ipse fatale omnium
 seniorum appellat, securus euasit. proximus est **LXX.** de-
 inde **LXXII.** quo mortuus est Epicurus, qui tanto studio
 suæ salutis cōsulebat. hūc sequitur **LXXVII.** quē fere at-
 tigit Augustus; impleuit Friderichus III. hic annos **LIII.**
 ille **LV** imperauit, vterq; mortuus est **XIIII. Cal. Se-**
ptēbr. sequens quadratus est nouenarij **LXXXI.** quo mor-

M tuus

tuus est Plato. neque hunc numerū egreditur David, cūm describit hominum vitam. pauci ad LXXIIII. accedunt, qui septenario duodecies ducto coalescit. atque hūc annum implevit Theophrastus, qui moriens de natura questus est breue sibi vitæ spatium, longum cornicibus dedisse. hoc quoque anno Paulus III. & IIII. Pontifices mortui sunt. sunt tamen qui nonagesimum, id est, nouenarios decem expleuerunt; ut Fr. Philelphus. D. Hieronymus unum & nonaginta vixit, id est XIII. septenarios. quinetiam illi ipsi qui diuturnum illud tempus vixerunt, quod in libris nostris ac literis testatum habemus, septenarios aut nouenarios fere omnes expleuerunt. Lamechus septingentos septuaginta septem annos vixit. Methusala nongentesimum ac septuagesimū attigit. ac tamen si violenta mors interdum ob violentos fortasse radiorum concursus & traiectiones contingat; sæpius tamen in septenarios aut nouenarios incurrit, nisi diuina voluntate natura prohibeatur. moriuntur enim innumerabiles anno LXIII. Aristoteles, Chrisippus, Erasmus, Lutherus, Melächthon, Syluius, Aleander, Iac. Sturmius, Nicol. Cusanus, Th. Linacer; omnes affecti morbis: eodem anno Cicero cæsus est. Alexāder Pont. max. LXXII. venenū maleficū hausit. Isocrates nonagesimo nono accepta Clade Cheronensi seipsum inedia peremit. Plinius quinquagesimo sexto suffocatus, Cæsar occisus, Oecolāpadius mœrore contabuit anno XLIX. Atticus inedia septuagesimo septimo. Idem igitur iudicium adhibeamus in conuersionibus Rerum publicarum: sed ita ut quadratos & cubos septenarij ac nouenarij; aut alterutrius cubum vel quadratum

dratum in radicem alterius ducamus : aut etiam perfectū
 numerum: aut denique sphericos & solidos cubos magno
 numero cemprensos . postremò quadratum & cubum
 duodenarij , qui ab Academicis magnus numerus Plato-
 nis appellatur. Quadrati quidem septenarij ac nouenarij
 XLIX. LXXXI. cubi CCCXLIII. DCCXXIX. qua-
 dratus septenarij ductus in radicē nouenarij CCCXLI.
 & nouenarij quadratus in radicē septenarij DLXVII.
 perfectus numerus CCCXCVI. nã VI. & XXVIII.
 perfecti minores sunt: reliqui perfecti, centū & octo millia
 superant, ac maiores sunt quàm ut ad Respublicas accom-
 modari possint. quadratus duodenarij CXLIII. cubus
 MDCCXXVIII. quem numerum annorum nulla Res-
 pub. superauit. quare numeri maiores reiiciendi erunt.
 Spherici numeri magno numero comprehensi quattuor
 sunt; puta CXXV. CCXVI. DCXXV. MCCXCVI.
 Hac numerorum paucitate in tam infinita multitudine,
 qui neque perfecti sunt, neque quadrati, neque cubici: aut
 tales quidem, sed ex paribus digitorum, non ex imparibus
 compositi : aut etiam ex imparibus, sed non ex septenariis
 aut nouenariis , qui in infinita multitudine sunt admodū
 pauci : licet mirabile: omnium penè Rerumpublicarum
 conuersiones intueri. Ac primū ut auspicemur à cubo
 duodenarij, quem Academici nonnulli magnum & fata-
 lem numerū Platonis esse aiunt, reperiemus monarchiam
 Assyriorum à Nino rege vsque ad Alexandrum magnū:
 hunc numerum ad unguem impleuisse, ex ipsius Philonis,
 quem Melanchthon, Funccius, ac doctissimi quique se-
 quuntur, opinione. neque verò longiùs repetendū est, quàm

M ij à Nino

à Nino, à quo Diodorus, Herodotus, Ctesias, Trogus, Justinus auspiciantur: propterea quod primus imperandi formam stabilivit, ac Babylonem condidit. Assyriorum verò & Persarum veriùs est ut una sit, quàm monarchiæ plures: aut Caldeorum, Medorum, ac Parthorum monarchias ab Assyriis & Persis diuellere oportet: qui tamen eiusdem pene regionis incolæ sunt ac ciues. Alexander verò iurè monarchiam nouam efficit, cum ab Europa in Asiam homo planè peregrinus, nouum genus hominum trãsmiserit, Darij copias deleuerit, mores denique ac leges immutarit. sed hæc suo loco. Rursus ab eluionibus aquarum, vsque ad euersionem templi ac Reipub. Hebræorũ, numeratur anni à Philone M D C C X V I I. Iosippus ducetos amplius; alij multò pauciores complectuntur. putem ego tum ex historarũ veritate, tum etiã ex ipsius numeri magni præstantia X I. annos ad Philonis calculum addi oportere, ut duodenarij cubo nihil desit, aut supersit. nã eo ipso tempore defecit Ægyptus à regibus Assyriorũ: Scythæ Asia minorẽ inuaserunt: Pisistratidæ ab Atheniensibus; Tarquinij à Romanis eiekti sunt. Ex eo quoq; Danielis hebdomades plurimùm illustratur. cum enim maxima sit inter omnes scriptores varietas de natiuitate Christi, Philo tamẽ qui omnium antiquorũ certissimus habetur, colligit annorum tria millia D C C C X C I I I. cui Lucidus tres adimit; Io. Maria sex addit, idq; ex multis cõiecturis, quibus magis assentior. propterea quod numerus ille est ex quadratis septenarij ac nouenarij multiplicatus, putat mille D C C C X C I X. mirum in modum congruens conuersionibus rerum maximarum, quæ postea secuta sunt.

tum

tum etiam Christi mors ea ratione incidit in annū mundi quater millesimum. quo sanè pertinent septuaginta Danielis hebdomades, quæ annos capiunt CDXC. quòd si auspicemur ab anno septimo Darij Longimani, propterea quòd Esdras tūm missus est Hierosolymam Reipub. cōstituendæ causa, id est anno sexto ante tempus Hebdomadarum: senarius ille solus inter digitos perfectus, cum hebdomadibus LXX. id est septies septuaginta annis (diem enim pro anno sumit scriptura) conficit alium numerum perfectum CDXCVI. qui mirabiliter cōgruit conuersionibus Rerumpublicarum. quod ut planum fiat, ne incertis coniecturis ducamur, exempla ex Romanorū fastis consularibus, quibus nihil certius esse potest, eruamus. nam ab V.C. usque ad eum annum quo Iulius Octouianus victo ad Actiū Antonio primus à Senatu Augustus est appellatus, ac totius orbis imperium ei delatū, anni sunt DCCXXIX. cubus nouenarij. ab Augusto ad Augustulum qui postremus Romanorum Imperator in fastis appellatur (est enim ab Odoacre rege Gothorum eiectus) anni sunt CDXCVI. perfectus numerus. ab V.C. usque ad imperij euersionem illam, numerus annorum quadratus est, scilicet M. CCXXV. & ex integris septenariis constans. totidem annos comperio à Nino usque ad Arfacem primum regem Medorum. Funccius tres ampliùs annos complectitur: alij pauciores. sed illud mirabile mihi visum est, quod non solūm ab Augusto ad Augustulum: sed etiā ab exactis Vrbe regibus usque ad Casarē Dictatorē, idē numerus annorū CDXCVI. recurrit. neque id tantūm, verumetiam à Constantino

magno ad Carolum magnum, quo anno primum Imperator Romæ creatus est, anni CDXCVI. ab Onuphrio studiosissimo Romanae antiquitatis colliguntur: tametsi magnam temporum, nullam numerorum rationem haberet. neque id solùm, verumetiam ab Alba condita, usque ad eius euersionem à Tullo Hostilio, nec plures sunt, nec pauciores anni CDXCVI. hoc etiã ampliùs quòd à Saule primo rege Hebraeorum, usque ad captiuitatem numerantur anni CDXCVI. tametsi Genebraldus tres addit: Garceus verò decem, Talmudici centum fere detrahunt: sed sui dicti nullam necessariam afferunt rationem. à reditu populi, & secunda templi constructione sub Zorobabele, usque ad eum annum quo Herodes à Senatu rex est appellatus, sunt anni CDXCVI. consimiliter ab Arface primo rege Medorum, usque ad Alexandrum magnũ CDXCVI. regnũ verò Macedonia à Carano primo rege usque ad obitum Alexãdri, totidem annos capit. Funccius octo detrahit. alij XII. addunt. putem ego medium esse feriendum. plura tamen huius numeri conuersionum argumenta proferemus in Re-pub. Gallorum. constat autem numero Danielis, senarioque perfectò perfectus euadit: prætereà solus in magno numero ex nouenariis & septenariis conflatur, unitate utrobique deficiente, atque hic numerus est quem veteres innuere voluerunt, cum dicerent Rerumpublicarum periodum esse annorum D. cum nullam vim numerorum perspicerent. est enim numerus ille ineptus ad rerum humanarum aut naturalium conuersiones. quippe nec perfectus, nec quadratus, nec cubicus, nec sphericus,

neque

neque ex nouenariis aut septenariis, neque ex eorum radicibus aut quadratis conflatus. si quis autē diligentius animaduertat bella ciuilia Romanorum, secessiones plebis, ac cædes ciuium inter ipsos, reperiet annorum numerū septenariis, aut nouenariis, aut utrisque cōstare. nam ab V. C. vsque ad refugiū anni sunt CCXLIII. à regifugio ad parricidium, CCCCLXVIII. à regifugio ad secessionē plebis in montem sacrum, anni XV III. ad secundam LXI II. ad tertiam CCXXV. ad seditionem Gracchanam, CCCCLXXVI. ab hac rursus ad bellum ciuile Marianum, XLV. hinc ad alterum Cesaris & Pompeij, XXXVI. ad cædem Cesaris, VII. à parricidio ad bellum ciuile Siculum, VII. hinc ad bellū ciuile Actiacum ultimū VII. numeri omnes ex integris nouenariis aut septenariis, aut ex utrisque conflati. Vrbs autem ipsa capta est post eius conditionem anno CCCCLXIII. qui ex integris septenariis æquè conficitur. ab V. C. vsque ad cladem Cænensem anni sunt DXXXIX. qui numerus ex septuaginta septem septenariis conflatur. tunc enim imperium Romanum penè deletum est. à clade Cænensi ad Varianam anni sunt CCXXIII. ex integris æque septenariis, & utraque clades contigit IIII. Non. Aug. Consimiliter Athenarum mœnia solo exequauit Lysander anno septimo ac septuagesimo post victoriam Salaminiam. addit Plutarchus in Lysandro, utrunque contigisse sexta die mensis Munichionis. De cubo septenarij multa quoque sunt exempla. est enim numerus ille à Mose in magno Iobeleo constituendo selectus. itaque à victoria Iudæorum aduersus Amanū auxilio Hesteris, vsque ad victoriam aduersus

aduersus Antiochum, anni sunt CCCXLIII. & utraq;
victoria obtigit III. idus Mart. qui Hebrais Adar di-
cebatur. ex quo Hebraei hunc diem magno habent in ho-
nore. totidem anni sunt ab Augusto, ex quo imperium so-
lus obtinuit, vsque ad Constantinum magnum cum solus
imperium accepit. Regnũ Persarũ à Cyro vsque ad A-
lexandrum stetit annos CCX. qui numerus ex integris se-
ptenariis XXX. conflatur. totidem annos imperarũ Lon-
gobardi. Paulus Diaconus tres annos detrahit. qui restãt
vsque ad necem Desiderij. tandiu Caletum tenuerunt
Angli. Reges Syriae & Asiae minoris à Nicanore pri-
mo rege vsque ad Philippũ ultimum, totidem annos im-
perarunt. Ab exitu Hebraeorum ex Aegypto, vsque ad
euerfionem templi ac Reipublicae, numerantur anni non-
genti, qui numerus ex duobus quadratis nouenario ac cẽ-
tenario in se ductis conflatur. non plures sunt ab Euristhe-
ne primo Rege Lacedaemoniorũ, ad Nabida tyrannum,
quem Philopœmen de imperio deiecit, ac statum Reipub.
Laconicae omnino immutauit. Lycurgi verò leges sublatae
sunt, ac Lacedaemonij Achaeorum mores accipere coacti
anno post DLXVII. quàm latae fuerunt à Lycurgo: nu-
merus ex quadrato nouenarij in septenarium ducto. Pto-
lemæi verò à Lago vsque ad Augustum, qui Aegyptum
in prouincię formã redegit, imperarũt annos CCCCLIII.
qui ex integris septenariis constat. Hebraeorũ Respublica
iacuit annos septuaginta: totidem annos imperiũ Græciae
tenuerũt Athenienses, ut scribit Appianus: Gothi a Theo-
derico primo rege, vsque ad Totilam regnarũt annos se-
ptuaginta septem; ut Onuphrius in fastis scribit. Laceda-
monij

monij **XII**. annos *Græcis omnibus imperarunt authore Appiano. hunc quoque numerum magni numeri radicem expleuit Alexander magnus : nam sex annos ante Darij mortem, totidem eo caso imperavit. postea eius imperium, repente in plurima, veluti fulgur in partes dissiliit. Ac ne vetera quærantur, domesticis utemur exemplis, & exactissima temporum collectione Io. Tiliij cum Fastis coniuncta. Gallia Romanis paruit à Cesaris extrema de Gal-
lis victoria, usque ad Marcomerum ducem Francorum, (cuius opibus freta Valentiniano tributum imperati denegavit) annos **CCCCXLI**. qui numerus ex quadrato septenarij ducto in nouenarium conficitur. hinc ad Vuaramundum nouem anni; ad eius regnum, ter nouem. ex quo verò dux est appellatus, usque ad Pipinum; qui ex magistro palatij regnum inuasit pulso rege Hilderico, anni sunt **CCCXLIII**. cubus septenarij. à cæde Syagrii qui Romanorum ultimus Gallia præfuit, usque ad Capetum, qui genere Gallus, tamen negant Germani, natione Andegauus, imperium Francis ademit, perfectus est ille numerus. **CDXCVI**. ab Vuaramundo usque ad Capetum anni **DLXVII**. numerus ex quadrato nouenarij in septenarium ducto. rursus ab Vuaramundo usque ad Hugonis magni, ac principum defectionem à rege Ludouico III. ipsiusque captiuitatem, anni sunt **DXII**. solidus cubus. hinc ad alteram Caroli Burbonij defectionem à Francisco, eiusque captiuitatē, quadratus est dupli duodenarij; puta **DLXXVI**. totidem quoque numerantur à Capeto ad sacrum hoc funestūque bellum, quod civili sanguine nuper gestum est. nec plures sunt nec pauciores*

*Empire des francs
par nombre de septenarij*

*4) gondo tributa
des romains*

N à ca-

à captiuitate Caroli ducis Lotharingi (quem Capetus de legitima regni successione compulit in carcerem Aureliorum) ad Carolum illum Lotharingum, qui regiam potestatem adeptus Capeti stirpem Aureliorum carceribus conclusit: & utroque tempore infelix Aurelia fuit gēti Lotharingorum. consimiliter à Carolo simplice, quem bona fide Peronam profectum Hebertus comes captiuum detinuit, usque ad Ludouicum x i. minimè omnium simplicem, qui tamen sua se voluntate, vel potius temeritate Peronam contulit, & in eadem arce captiuus est à Carolo comite retentus, annos habemus D XL. numerum ex integris nouenariis constantē. rursus à Capeto usque ad Caroli octauis memorabilem in Italiam expeditionem, perfectus est ille numerus C D X C V. ab euersione imperij Longobardorum, & Insubria à Carolo magno capta, usque ad consimilem expeditionem, & Insubriam à Ludouico x i. receptā, planè cubus est nouenarij, scilicet DCCXXIX. anni. quibus temporibus Respublica Venetorum grauissimas clades accepit. docuimus Venetos ante Carolum magnum stabile imperium nullum habuisse, sed pactis Nicephori & Caroli magni libertatem accepisse. steterat igitur Respublica Venetorū annos DCCXXIX. cū eius euersio penè secuta est. eodem enim tempore Maximilianus Imp. Ludouicus x i. rex Alphonsus, Iulius II. Pont. in eius reipub. ruinam coniurarunt. quinetiam cum tot ac tantis hostibus Turcarum princeps ipsaque fortuna conspirare visa est. vrbs enim sulphureis pulueribus fortuito accensis plurimum deformata est, ac auri vis infinita naufragio amissa. & quidem eo tempore Veneti lumen ingenij

Venerat

ingenij consiliique sui magnificè ostentarunt. hoc etiam animaduersione dignum, quòd à Godefrido, qui Persas memorabili clade fregerat, ac Syriam seruitute liberarat, usque ad Balduinum ultimum, qui captus est à Saladino, anni sunt x c. numerus ex integris nouenariis constans. Græcorum quoque imperium Galli tenuerunt annos l. vii. à Balduino scilicet usque ad Palæologum. Pontificatum verò annos l. xx. muneris uterque ex integris septenariis. sed infinitus sim, si omnia persequar cōuersionum momenta. his tamen propositis exemplis, licet iis qui abundat otio rerum omnium publicarū cōuersiones ab incorrupta fide historicorū deriuare, & futura (quanquā cognita soli Deo) veriùs ac meliùs augurari, quàm Cardani leuissimis & falsissimis cōiecturis. putat enim ab extrema cauda Helices, seu maioris Vrsæ, omne magnum imperium pendere. ut cū verticalis esset nascenti Romæ, illuc imperium detulerit: deinde Bizantium: postea in Galliam: inde in Germaniam defilierit. quæ tam vera sunt, quàm quæ de se ipse scribit in sua Genesi, nunquam esse mentitum, idque admirabile sibi videri affirmat. sed vir bonus hoc præstare debet ne mentiatur, id est, ut Nigidius interpretatur, scienter falsum dicat: prudens verò ne mēdaciū ei excidat, hoc est ut ille voluit, ignoranter falsum enuntiet. quid autem homini vel mediocriter perito eius artis quam ipse profitetur, aliud est mentiri nisi hoc est? cū enim intelligeret innumerabilibus populis & urbibus hanc stellam verticalem fuisse ac semper futuram, adiecit Solem in vertice quoque meridiano urbi nascenti esse oportere, cū ea stella coniunctum. ac tamen si vim

N ij illam

illam in omnes eiusdem paralleli populos effundi fatetur, uni tamen loco imperium deberi tradit. atque hoc modo cornicum oculos cōfigere se posse putavit. sed cū illa stella quinquaginta quattuor partibus absit ab equatore, & circulum Arcticum describat, ut quantumcūque ex motu trepidationis declinet, x i i. partibus ab urbis perpendicularo recedat, perpendiculararem esse non posse planum est. doceamus; ne in meridiano quidem nec, ut ipse scribit, cū sole coniunctam esse potuisse; quod lōgitudine tantūm, & hora meridiana fiat oportet. id autem ex Varrone intelligi potest, qui L. Taruntium Firmanum nobilem mathematicum, iussit Urbis & conditoris diem & horam natalem si fieri posset, describere. igitur diligenti siderū peruestigatione comperit Urbis fundamēta iacta fuisse anno tertio sextæ Olympiadis, in quo Dionysius & Varro consentiunt, quinto Idus Pharmuti mensis, siue x i. Cal. Mai; qui dies Palilia vocatur, Mense Aprili, hora fere tertia post meridiem, Ioue in Piscibus, Saturno, Venere, Marte in Scorpio; Sole Taurum, Luna libram decurrēte, anno Romuli duodeuigesimo. illud etiam didicit Plutarchus ex Antimacho Lyrio. Ursæ maioris nusquā meminert. erat autem ea stella in dodecatemoriū Leonis parte x v i i i. scrupulo, l v i. ut perspicuum sit ex ipsius Copernici tabulis, & accuratissima motuum doctrina: his verò temporibus in x x. parte Virginis scrupulo l. quæ cū ita sint, quo modo fieri potuit ut Romæ nascenti verticalis esset? cū pars duodecima Geminorū ex ascēsiōne obliqua cor cæli teneret? ab eo enim Leonis pars. x v i i i. quinquaginta quattuor partibus abest: quantò minùs soli
coniungi

coniungi potuit, qui Taurum percurrerat, extrema verò
Vrsa Leonem? aberat igitur x c. partes in longitudinem;
 XLV. in latitudinem, quò minùs Soli coniungeretur ullo
 modo. hoc verò ineptius, quòd Bizantio verticalẽ dixit,
 cùm imperium illuc à Romanis translatum est, cùm tamẽ
Urbs illa priùs esset condita, quàm Romulus natus, ut ex
 Polybio constat. multò magis absurdum quòd è Græcia in
 Gallia verticem desiliit, hinc in Germaniam contrà na-
 turam sui motus & inclinationis. sed hæc risu magis quàm
 confutatione digna videntur. cur enim Scandi & Livo-
 nes, qui non modò caudam, sed etiam totam *Vrsam*, non
 tantùm verticalem, ut infiniti populi, verumetiam per-
 pendicularem soli habent, nullum unquam imperium eo
 pertraxerunt, sed contrà pateant incursionibus & impe-
 riis finitimorum? Aut si perpendiculares stellæ imperia
 tribuãt, cur illæ quæ illustres ac regie à veteribus dicuntur,
 Regulus, inquam, Palilicium, Virgiliæ, Antare: cur illæ
 xv. quas ipse Cardanus regias vocat; cur Spica, Fidi-
 cula, Arcturus, atque adeò planetæ omnes, qui pene soli
 Africa perpendiculares sunt, illuc imperia non transtule-
 runt? nam Europæ & Asiæ legionibus semper Afri ces-
 serunt. Aliter Copernicus, qui imperiorũ conuersiones ad
 centrum eccentrici parui circuli, eiusque motum pertinere
 iudicauit, ut eius discipuli scripserunt. paruus autem cir-
 culus non Solis est, quem immobilem ipse iudicauit, sed
 ipsius terræ, quam motu cieri voluit. nemo tamen inscitie
 tantæ fuit unquam, ut à centris circulorum cælestium,
 multò minùs terrestrium, vim ullam influere putaret: ne-
 que id Copernicus scribere ausus est, sed eius discipuli

somnium illud pro re certa & explorata tradiderunt: quæ cum ex historia falsa comperiantur, nec motus centri eccentrici siue terræ, siue solis, cum imperiorum conuersionibus ullo modo congruat, fatendum est ab immortalis Deo totum illud pendere: aut si ad causas consequentes conuersionem imperij cuiusque referamus, Deo sideribus velut instrumentis utente, ad insignes illos siderum concursus, de quibus superiori capite diximus, pertinere iudicandum erit: sed quia veteres illud animaduertere non potuerunt, propter ignotos cælestium orbium motus: posteri verò penitus neglexerunt: nulla facilius ratio visa mihi est, quàm illud ex numeris quodammodo colligere: ab radice cuiusque imperij (quam Ptolemæus ἐποχὴν, Alfonso Erã Hispanico verbo appellat) initio ducto: velut in febricitantibus solemus ex ipsis decretoriis diebus salutem, aut παροξυσμὸν augurari: ita ut dies una & eadem, si plures variis temporibus laborare cœperint, aliis quidem salutaris sit; aliis extrema. interdum tamen siderum ac malefica traiectionis tanta vis est, ut sine discrimine dierum, plures uno hauriat & eodem momento: ita suis etiam morbis imperia laborant, ut Polybius scribit: & ut violentos interdum; ita naturæ quoque congruentes exitus habent, certis quibusdam ac decretoriis numeris comprehesos. nec me mouet quòd Aristot. libro v. de Repub. & extremo τῶν μετὰ τὰ φυσ. nihil omnino in numeris momenti esse putauit: cur ergo septimus masculus strophulis medetur? cur partus septimo ac nono mense viuunt; octauo nunquã? cur septem planeta, nouem orbes? cur denique septenarius Euripi fluxus ac refluxus Aristotelem, ut quidem prodiderunt,

derunt, ad furorē; ut alij, ad præcipitium adegit? quia non cæperat Aristoteles Euripum, Euripus Aristotelē dicitur cæpisse. at sapientissimus Moses & Prophetæ omnia penè oracula septenariis ac nouenariis concluderunt. celebritates septimo die, septima heptomade, septimo mense indicta: septimo anno agrorum quies, ac seruorum manumissio: post annum verò septies septimū magnus Iobeleus, & liberatio omnium debitorum, agrorumque ad pristinos dominos reuersio. hinc septenarius ab Hilario & Hebreis sacer numerus est appellatus. atq; hæc significat res humanas non temere ac fortuito ferri, ut Epicurei iactant; nec inuiolabili fato, ut Stoici: sed prudentia diuina: quæ tametsi res omnes admirabili ordine, motu, numero, concentu, figura colligauit; nihilominus eas voluntate arbitrioque suo interdū mutat: ut Iesayas de Ezechia scribit, cui precanti Deus vitam protraxit, & solem retrogressum ostēdit. interdum verò tempus maturare dicitur in scriptura sacra, propter scelerum ultionem, vel commiserationem, ut Paulus de oraculo Helie scribit. argumento sint eluiones aquarum, quæ Dei iussu citius factæ sunt, quàm numerus magnus ordini naturæ congruens expleri potuisset: id est, anno conditi orbis M D C L V I. cui numero si addantur octo nouenarij scilicet L X I I. conflatur cubus ille duodenarij: ut homines intelligant nullis numeris, aut ulla necessitate obligari Deum, sed naturæ legibus solum; non à Senatu aut populo, sed à seipso. nam cum naturæ leges ipse iusserit, nec ab alio quàm à se ipse imperiū habeat, consentaneum est suis legibus esse solutum: & aliter atque aliter decernere de rebus iisdem. sic enim Am-
brosius

*brofius fcribit non femper improborũ ſcelera vindicari, ne
 putent inferorum nullas eſſe pœnas, nulla præmia bonorũ:
 neque tamen flagitioſos omnes impunè viuere, ne illud iac-
 tēt; mortalia nulli ſunt curata Deo. ita quoq; de bono-
 rum & impiorum Republica iudicandum eſt, ne fatiſ aut
 fortunæ quicquam tribuere cogamur. Hæc breuiter ſunt
 à me de conuerſionibus imperiorum ex intima Philoſo-
 phia diſputata, tum vt eruditos ad pulcherrimam earum
 rerum contemplationem excitarem; tum etiam, vt in im-
 periorum mutationibus ne nos ipſos affligeremus; quod
 magnis ſæpe viris accidit. etenim nulla re Põpeius è clade
 Pharfalica dilapſus ac Reipub. caſum acerbiffimè lugens
 leniri potuit, quàm Secũdi Philoſophi oratione, qua per-
 ſuaſus eſt certos eſſe à Deo immortalibus ambitus imperiorũ
 conſtitutos. Nũc ab hiftoria cõuerſiones & exitus Reipub.
 publicarum, quæ olim magis claruerunt, cum noſtris com-
 paremus, vt ex utriſque veritas magis eluceſcat. Omnium
 autem clariffima fertur eſſe Romanorum, quæ cum ali-
 quandiu ſub regibus floruiſſet, in tyrannidem prolapſa
 Tarquiniarum: deinde his excluſis in optimatum ac pa-
 triciorum poteſtatem ſæpiùs repugnante plebe: poſt in fa-
 ctionem decemuirorum; quibus caſis ac proſtratis, popu-
 lus aliquãdiu legitimè ac temperanter imperauit, quouſ-
 que in homines incidere rerum nouandarũ cupidos: hinc
 ochlocratia, vel potiùs anarchia turbulenta plebis à ſedi-
 tione Gracchana uſque ad Marium & Syllam, qui Vr-
 bem ciuili ſanguine crudeliſſimè fœdarũt: ſexto denique
 ac trigeſimo poſt anno, à Caſare & Pompeio partium du-
 cibus miſerrimè iactata fuit Reſpublica, quouſque legi-
 timo*

Conuerſio-
 nes Imperij
 Romani.

rimo unius Augusti dominatu gubernaretur: hinc variè ab optimis principibus, mox etiam à tyrannis suscepta, tãdem aliquando dignitatem amisit, cùm Imp. Constantinus magnam partem Senatus, ac sedem imperij Bizantium transtulisset. postremò in Gothorum, Græcorũ, Gallorum, Germanorũ, Hispanorum potestatem peruenit, & alienis imperiis aut Pontificũ libidini ad hæc usque tẽpora seruiuit. Iisdem fere procellis iactati sunt Athenienses. Cùm enim Cecrops Atticorum x i i. oppida fortiter ab hostium incursione prohiberet, regnum adeptus esse dicitur, ab eoq̃ue regnatum est usq; ad Æschylum annos circiter D C C C. post Æschyli mortem, qui perpetuum imperium tenebat, optimates magistratum quasi Dictatorem decennalem crearunt, sed cùm is magistratus nimia potestate abuteretur, anno desinierunt. primus Creon annuus magistratus, qui ἀρχων à Græcis; iudex à Latinis dicebatur, electus est: eoq̃ue magistratu tantisper usi sunt, dum Pisistratus eodem modo quò Dionysius ad corporis securitatem impetrata cohorte aduersus Alcmaeonidas, perpetuam potestatem inuasit. tum Hyparchus & Hippias Pisistratida, imperiũ annos septuaginta, ut Aristoteles scribit, vi tenuerunt, quousque alter cæsus est; altero mortuo secuta est popularis potestas à Solone prius instituta: sed legitima tamen ac iusta. nam quinta classis, id est infima plebs, & populi pars longè maxima, lege Solonis ab honoribus & imperiis arcebat. primus Aristides legem illam abrogauit. postremò Pericles statum popularem in turbulentam ochlocratiam mutauit; cùm Areopagitarum sublata, aut valde imminuta potestate, qua

Cõuersiones
 Imperij Athe
 nensium.

O Reipublicæ

Reipublica salus & dignitas cōtinebatur, ad plebem infimam omnia iudicia, consilia, totiúsque Reipub. gubernationem propositis præmiis ac largitionibus, quasi escã imperij detulisset. eo mortuo, deinde eieçto Alcibiade, cæso Nicia cùm exercitu, imperium ad optimates cccc. delatum est: paulò post tamen Thrasyli factione plebi restitutum. tandem amissa classe ad Ægospotamos, Athenienses cum sociis omnibus in Lacedemoniorum potestatem venerunt. à quibus optimatũ potestas est ubique pro populari constituta: hinc xxx. delecti optimates Atheniensium Rempublicam gubernarunt: qui statim euaserunt factiosi tyranni. his igitur paulò post à Thrasybulo cæsis ac prostratis, summa potestas rursus ad populum rediit, ac tandiu stetit quoad Antipater Lamiaco bello popolare imperiũ paucis optimatibus, qui sua iussa exequerentur, permisit; inter quos princeps erat Demetrius Phalereus. sed quarto ac decimo post anno, Demetrius Poliorcetes eieçto Phalereo, specieque proposita libertatis tyrannidem inuasit: eo tamen ab hostibus capto, Athenienses rursus popularem libertatem usque ad Syllæ tempora retinuerunt. is enim urbem Mithridati fauentem expugnauit, tamque hostiliter, tantaque cum ciuium strage diripuit, ut riui sanguinis tota urbe decurrisse ferantur. antea quidem populi Romani beneficio libertate fruebatur, quam postea quoque eodem beneficio recuperarunt, ut Plinius scribit: nihil tamen præter umbram libertatis habuerunt, cùm tyrannorum ac magistratuum libidini seruiret. sed animaduersione dignũ est, quòd imperiũ Græciæ annos duntaxat septuaginta tenuerunt, ut Apianus scribit.

Imperium

Imperium Lacedæmoniorum à regibus (qui annos circiter CCC. ab Euristhene usque ad Lycurgum regnarunt) in tyrannidem, ut Plutarchus tradit, conuerti cœperat, cū

Conuerfio-
nes Imperij
Lacedæmo-
niorum.

Lycurgus popularem potentiam instituit, sed valde moderatam, ut antea docuimus: anno post XXXIII. Theopompus ac Polydorus optimatum imperium omnino stabilierunt, atque in eo statu floruerunt annos DLXXXVI. usque ad Nabida tyrannum, quem Achæi duce Philopœmene imperio spoliarunt, sublatâque Lycurgi disciplina, ex Achæorū institutis Lacedæmonios viuere cœgerunt. tandem Achæi quoque à Romanis fracti sunt: & utrique Romanorum imperio accesserunt. & quoniam methodum scribentem decet uniuersa non singula cōplecti, ac veluti digitos ad fontes intendere unde illa hauriantur, prætermittemus Respublicas obscuriores Thebanorum, Corinthiorum, Messeniorum, Sicularum, Sicyoniorum, Arginorum, Cretensium, Corcyræorum, quarum conuerfiones tradidit Pausanias accuratè, si quis subtiliùs inquirere velit. quibus planè perspectis, similes in Italia Rerumpublicarum exitus reperiemus. Postea quàm enim Gallo-

Conuerfio-
nes Imperij
occidentalis.

tiam Germania, Saxonia, Pannonia, & Hispania bona pars, imperium inter liberos Ludouici Pij diuisum est. Carolo Caluo primogenito Francia imperij caput; Lothario Italia primùm, deinde Lotharingia: Pipino Aquitania: Ludouico Germania cefsit: sed ita ut aliij aliorum imperio minimè tenerentur. deinde vario bellorum euentu, idem Germania & Italia regnum coaluit: quousque inter mortua Caroli magni stirpe, Germania reges de prin-

O ij cipum

cipum consensu crearentur: qui per legatos & vicarios
 Italiam & Heluetiam; per seipsos Germaniam regebant.
 cum verò in tyrannides lapsi fuissent, Germani excussa
 seruitute; imperium optimatum: Heluetij popolare: Itali
 Pontificum & Imperatorum odiis in partes Guelforum
 ac Gibellinorum distracti, ex legatis Pontificum & Im-
 peratorum, partim reges nacti sunt; partim tyrannos. re-
 liqui populares & optimatum status probarunt. ut enim
 Pontifex Urbanus regnum Neapolitanum & Siciliam
 Gallis: sic Ludouicus Imp. urbes ecclesie Romanae prae-
 fectis dono dedit. plures etiam per a se seruitutem peregrini-
 norum imperia domestica subire maluerunt. ita Mediola-
 num & magnam insubriae partem, comites Angleriae
 gentis occuparunt: Veronam Scaligeri: Patauium Ece-
 lini: Mantuam Bonacolsij, tum his expulsis gens Gon-
 zagorum: Bononiam Bentiuoli: Fauentiam Manfredi:
 Ariminum Malatestae: Perusiam Baleones, deinde his
 eiectis Ottones: Tifernum Vitellij: Ferrariam, Rhegiũ,
 Mutinam Atestini: Camertium Veranij: Vrbinatium
 Feltrij: Pisaurum, Foroliuium, Forocornelium Sfortia:
 Picenum agrum, Umbriam, Flaminiam, Aemyliam, La-
 tium, cum maxima Hetruria parte, Pontifices tenebant.
 Interim Veneti qui à Carolo magno & Nicephoro liber-
 tatem impetrarant, Istriam primùm, deinde Liburniam
 (insulas omitto) Taruisium, Vicentiam, post etiam Pata-
 uium, Veronam, Bergomum, Brixiam, Cremam, Nouo-
 comum, Rauennam aliis sensim ademerunt. Florentini
 quoque emptam libertate à Germanis, Pisanos, Vollatera-
 nos, Pistorios, Aretinos & finitima oppida subegerunt.
 Lucenses

Lucēses, Senenses, Genuenses, se quoque in libertatem iisdem temporibus vindicarunt. hæc tam multa oppida, tot urbes ac multò plures, imperiis & finibus diuisæ, à regibus in tyrannos: hinc in optimates: mox in factiones & populares status, interdum etiam in puram anarchiam inciderunt. neque enim ulla pars orbis terrarum plures habuit Rerumpublicarum conuersiones. postremò res omnes publicæ, quarum memoriam ullam habemus, in monarchias relapsæ fuerunt, præter Venetos, Lucenses, Genuenses, Rhagusios, Heluetios, Germanos. de Venetis ac Germanis antea dictum est. aliarum quoque status & conuersiones quàm breuissimè complectamur. Heluetij quidem cum Imperatorum Legatos & Vicarios, comitesque Hasspurgenses, qui postea duces Austriae fuerunt, diu pertulissent, tyrannidis euertendæ causa societatem inierunt anno M. CCCXV. primùm Suecij, Vrani, Vnternaldi: Heluetiorum status & conuersiones, deinde Lucernates, Tugiani, Tigurini, Bernates: post etiã accessit Basilea, sed non tanta necessitudine coniuncta: tandem Lepontij, Veragri, Rheti, Seduni, Sâgalij, Mullusiani, Rotuillenses; postremò Geneua: quas urbes imperiis esse ac finibus diuisas antea docuimus. omnium autem status popularis est: sed quinq; minores pagi, qui montani vocantur, nescio quid habent magis populare quàm Bernates, Tigurini, Basilienses, & qui ab imperio Germanorum postremi defecerunt. utuntur etiam in ferendis suffragiis veteri χείρο βρεία, cum populus simul cogitur in unum locum. hoc igitur omnium commune est, quod magistratus annui sunt, contra quàm plerique putant: sed interdum re bene gesta in bienniũ aut triennium imperium

prorogatur. montani quidem, summum magistratum unū
 habent, qui *Man* appellatur. huic adiungitur legatus, seu
 Cancellarius: tum Carmalingus, quasi tribunus ararij:
 postea consularij duodecim. atque hi omnino xv. viri
 omnis domestica militarisque disciplinae curam gerunt.
 sunt praeterea provinciales, seu municipiorum magistratus
 ac iudices, à quibus ad xv. viros prouocatur. Bernates
 summum magistratum *Auoerium*: Basilienses ac reliqui
 fere Burgomagistros praeter Geneuates, qui Syndicos
 appellant quibus imperium maius dederunt. sed in eo ple-
 rique falluntur, qui Bernates, quorum imperium latissi-
 mè patet (habent enim oppida circiter xl.) tum etiā Ba-
 silienses, Tigurnios, Geneuates, & eos qui à Germanis
 defecerunt, optimatum imperio gubernari putant: quòd
 Senatum vident trecentorum virorum, alibi quadringē-
 torum de Republica consilium capere. at eorum decreta,
 si ad statum Reipublicae pertinent, rata non sunt nisi po-
 pulus iusserit. id autem fit conuocatis collegiis & corpori-
 bus opificum in sua quaque comitia, quae *Schaffe* vulgo
 appellantur, ab eo qui princeps est omnium collegiorum.
 deinde collegij cuiusq; Syndicus ac tribunus populi iussa
 refert in Senatu maiore. est enim triplex ubique fere Se-
 natus, quadruplex etiam apud Basilienses: in quibus sanè
 versatur Reipublicae salus: propterea quòd rerū omnium
 curam gerunt, nec quicquam fertur ad populum inconsul-
 to Senatu: nec ad Senatum maiorem, nisi decretum fue-
 rit in minore Senatu. nusquam verò gentium leges maio-
 rem vim habent: neque enim ad populi voluntatem mu-
 tantur, nec impunè violantur. quemadmodum autem de
 quinque

quinque generibus popularis imperij, quæ ab Aristotele traduntur, nullum perniciosius est, quàm si populi volūtas legibus superior sit, ac pro lege habeatur, ut de Atheniē-sibus Xenophon scribit: ita nullum moderatius ac laudabilius esse potest, quàm si legum vinculis plebs indomita coërceatur. non mirum igitur si iam annos CCL. in summa rerum gestarum gloria floruerunt. duabus etiam rebus imperium illud populare conseruatur; æquabilitate iuris, & frequentia conuiuiorum. nobiles enim, qui popularem statum apud Megareses, Romanos, Florentinos, Senenses, Genuēses, sæpius labefactarunt; nulli sunt apud Heluetios: aut si qui plebis furorem olim euaserunt, qui pauci sunt admodum, eiurata nobilitate cum infima plebe versantur, nec fere summos magistratus, quibus laniones ac cerdones fruuntur, adipisci possunt. conuiujs autē, quæ in Schaffis perpetua sunt, non modò contentiones & odia prohibentur, verumetiam incredibili amore inter se ciues & cum Republica coniunguntur. hic autem finis est legū omnium humanarum: ac tametsi Bernates, Tigurini, Basiliēses mutata religione computationes illas tollere conarentur, non potuerunt tamen. Geneuates qui minùs populares sunt, ab eiusmodi moribus abhorrent. nullis enim cōuiujs publicis utuntur, præterquã sacris, quæ tertio quoque mense religiosissimè coluntur. illas verò computationes Heluetiorū, priuatis rebus ac publicis, tum etiam religionibus ac virtutibus inimicas esse putant. habent utrique sui consilij causam probabilem, nec magnorum virorum auctoritas aut exempla desunt. nullæ tamen apud Heluetios similtates: Geneuates verò priuatis & occultis

odijs

odiis laborare dicuntur, ac metu magis in officio, quàm amore cōtineri. nihil autem quod metu fiat, diuturnum esse potest. argumento sit illa coniuratio quæ superioribus annis pene Rempublicam oppressit. fortasse tamen ciuium animi à peregrinis ab alienati causam cōiurationi præbuerunt. sed illud apud Geneuates laudabile, si quid usquam gentium, quòdque Rempublicam efficit, si non opibus & imperij magnitudine, certè virtutibus ac pietate florentè: illa scilicet Pontificum censura, qua nihil maius ac diuinius cogitari potuit ad coërcendas hominum cupiditates, & ea vitia quæ legibus humanis ac iudiciis emendari nullo modo possunt. hæc autè coërtio ad Christi normam dirigitur, latenter primùm & amicè: deinde paulò acerbius: tum nisi pareas, sequitur interdictio sacrorum grauis & efficax: interdictionem animaduersio magistratuum. ridiculum est enim, ut ait Seneca, ad legem bonum esse. ita sit ut quæ legibus nusquam vindicantur, illic sine vi ac tumultu coërcèantur ab iis censoribus, qui summam virtutis opinionem de se ipsi excitauerunt. igitur nulla meretricia, nullæ ebrietates, nullæ saltationes, nulli mēdici, nulli otiosi in ea ciuitate reperiuntur. Genuenses populi rerū quondam gestarum gloria, & maris imperio clari, cum Venetis dominatum & urbem ipsam pene ademissent, tandem ab illis fracti, se ipsos primùm Carolo sexto Gallorum regi; deinde Mediolani comitibus sponte dederūt. quibus tēporibus cum Fregosij & Adurnij Rēpublicam in partes distraherent, plebs arreptis armis patricos omnes eiecit: Tribunos pl. octo creauit: præsidia Gallorum expulit: arcem vi recepit: ducem fullonem creauit,

**Genuensium
status & cō-
uersiones.**

creauit, quem postea Ludouicus x i i. egit in crucem, & urbe expugnata ciues grauissimè mulctauit. sed cum Insubria Carolo v. Imperatori cessisset, Andreas Dorias, à Gallis ad Carolum se recipiēs, Rempublicam omni bellorum ac tyrannidis metu liberatam, quasi Aratus aut Lycurgus alter, optimis legibus ac institutis informauit. optimatum imperium quod ante populare fuerat, vel potius plebeium, ex generis antiquitate opibus ac splendore instituit, & in tribus octo ac x x. diuisit, sublatis partium nominibus quæ Rempublicam perturbarent: ea lege ut singulis annis decem optimates ex plebeis crearentur, uti quisque uirtute uel opibus præstaret: quæ tamen lex antiquatur; ut à Genuensibus accipi, & pauci ad ius honorum admittuntur. collegium optimatum ciuibus c c c c. impleuit, quorum summa potestas esset, ut optimates omnes, qui fere sunt mille ac ducenti, uicissim imperarent. ciuium autem numerus octoginta millium esse putatur: neque enim cerò scire potui. optimatib. igitur summum imperium permisit: puta legum, belli pacis summæ prouocationis, ac magistratum omnium creationem; imprimisque Senatus, cuius etiam annua potestas est. Ducis autem imperium, quod antea perpetuum erat, biennio definiit, adiecto præsidio militum Germanorum D. atque hic solus optimates & Senatum conuocare potest. exacto magistratu, in numerum procuratorum (hi summam habent in consiliis de Republica suscipiendis auctoritatem) cooptatur, postea quàm suæ integritatis ac innocentia testimonium syndici tulerunt. Ducis autem eligendi formam ualde perplexam omitto: eiusmodi tamen est, ut nemo nisi

P summa

summa integritatis & patriæ nobilitatis (cùm ante plebei duntaxat veteri lege crearentur) eum magistratum capere possit. nullus enim sorti locus est. huic adiunguntur octouiri semestres eadem potestate qua septemviri apud Venetos. ut quinqueviri Syndici fere parem cum decemviris Venetorum auctoritatem habent. hi Reipublice curam gerunt. sequitur magistratus qui uniuersæ iurisdictioni præest, quem potestatem vocant. solet autem ex peregrinis honesto præmio in urbem acciri, cum tribus legatis. ab eo prouocatur ad Senatum in capitalibus causis. deinde septemviri semestres, qui extraordinarij vocantur, quòd lites arbitrato suo dirimendi ac tutores dandi ius habent. præterea quinqueviri causarum ciuilium peregrini homines, quorum potestas biennio definitur: vulgò Rotam appellant. postremi sunt censores qui collegiorum præfectos cogunt, ne quis mercatura, ponderibus, mensuris, opificiis abutatur. militares autem magistratus singulis annis creantur XL. centuriones, quibus imperator unus præficitur. Aerarij verò cura defertur ad collegiũ Georgianum tantopere ab omnibus laudatũ quod centumviris & octo Tribunis aerarij constat, unde incredibiles urbi opes & utilitates, quæ ex portoriis & vectigalibus prædiorum publicorum & oppigneratorum conflantur. Est etiam Lucensium status in optimatum potestate. cùm enim censa fuerint in ciuitate non ita pridem XXXIII. hominum millia, ut Sansoninus scribit, duo circiter imperio præsent vicissim: etenim annum collegium ex optimatibus LX. conflatur, penes quos summa Reipub. potestas est. ab his decemviri creantur cum imperio triennali,

quorum

Status Lu-
 censium.

quorum maximus vexillifer appellatur. his capitale est urbem deseruisse. creatur etiam Senatus octodecim virorum, qui unà cum decemviris de Repub. consilium capit. sequuntur minores magistratus; Rota triumvitalis, ex uno pratore ac duobus assessoribus: quorum alter publica iudicia disceptat, alter priuata: omnes tamen peregrini. post etiã nouemviri, cum Pratore peregrino, iudices mercatorum. tum præfecti annonæ, salutis, commeatus. prætereà octoviri qui peregrinorum curam gerunt. postremò sex ærarij; totidem militum Tribuni. sed nihil præclarior collegio Censorum, qui homines improbos, & licētius vitis indulgentes sæpius notatos de magni concilij sentētia triennali exilio puniunt. Neque tamen Lucenses, neque Genuenses planè liberi sunt, sed Hispanorum regi acceptam ferunt data pecunia libertatem. Genuenses quoque ut insula Chio fruantur, Turcarum principi x x x. aureorum millia, ut Veneti xii. Rhagusij x i i i i. tributum nomine pendunt: liberi tamen sunt à vectigalibus & portoriis. Est etiam imperium apud Rhagusios ex optimatibus constitutum. adhuc enim gentes antiquæ nobilitatis x x i i i i. restant, ex quibus constat optimatum collegium: sed omnes, ut apud Venetos, simul coguntur. ab his creatur Senatus l. x. virorum: postea decemviri, quibus Rector quasi dux ciuitatis præesse consuevit: deinde quinqueviri eadem fere potestate qua Venetorum x. viri. tum sexviri consulares civilium; quinque viri criminalium causarum iudices, à quibus ad curiam x x x. virorum prouocatur: sex viri nocturni. reliqui sine imperio creantur, ut triumviri ærario curado: quattuor Quaestores:

Status Rhagusiorum.

P ij stores:

Status & cō-
uersio Impe-
rij Florenti-
norum.

stores : dumuiri monetales : curatores urbis, annonæ, salutis. postremò præfectus arcis, qui quotidie mutatur. habēt autem magnam cum Venetis Reipublica gubernandæ rationem. hoc tamen valde diuersum, quòd prætorianas cohortes ex Pannoniis, ut Genuenses ex Heluetiis ac Germanis conscribunt ad imperium exequendum. Sed rerum omnium publicarum quæ unquam extiterunt, nulla tam breui tempore magis incredibiles conuersiones pertulit, quam Respublica Florentinorum: id est, CCCXXXI. annis. ac perutile visum mihi est ea quæ tum à Florentinis, tum ab ipsorum historicis; Poggio inquam, Macciauello, Antonnino & Guichardino didici breuiter explicare, ut ex ea varietate Rerumpublicarum, de optimo statu veriùs ac meliùs iudicare queamus. Cùm igitur Pontifices ac Imperatores de imperio Italiæ contenderent, ut antea diximus; Florentini seipsos in libertatem vindicarūt anno M. CCCXV. & coactò ciuiũ cœtu magistratus XII. quos antiquos appellabāt, duos prætores, urbanum ac peregrinum, cum annua potestate crearūt. sed cùm omne imperium ad paucos detulissent, repente in factionem inciderunt. his itaque abrogato imperio, XXXVI. viros Reipub. constituendæ, quos reformatores vocabant, elegerunt, qui opificum collegia stabilierunt, eisquæ magistratus quasi Tribunos dederunt. sed cùm potentiores Gibellinorũ partibus fauerent, eiectis omnibus Gibellinis, XII. viros elegerunt, quos bonos homines appellabant, rati nomine mutato mores immutari, deinde LXXX. senatores consiliis de Republica capiendis: summum verò imperiũ totius Reipublicæ optimatibus CLXXX. permiserūt, qui
magi-

magistratum ac legum summam potestatem haberent. atque in eo statu annos fere x x x. acquieuerunt: postea in oligarchiam conuersi ac nobilibus factiosis imperium à populo abrogatum est: deinde triumuii creati, quos priores appellarunt, una cum vexillifero, cui legionem pratoriam ad Reipublica praesidium dederunt, praeter quattuor legiones urbanorum & rusticorum, si ab hostibus urgerentur. & quia vexillifer maximus popularis erat, nobiles ab honorum petitione ac sortitione summouit. postea secuta sunt grauissima seditiones nobilium, à quibus populus in varias partes distractus est: & cum civili sanguine diu se ipsos foedassent, communi consensu petierunt à Pontifice maximo, ut regis stirpis hominem mitteret, cui libenter parerent. itaque Carolum Valesium Sicilia regem, qui tum Romam uenerat, Florentiam misit. is igitur aliquandiu tumultus composuit, exules & oppressos armis ciuilibus restituit. sed à suis ipse reuocatus nondum urbe quietam discessit. hinc maiores quam antea tumultus ac caedes, adeo ut omnes penae Lucenses vicinorum calamitate permoti, & ad seditiones componendas effusi ex urbe Florentiam uenerint: non prius tamen quieuerunt, quam bellis externis cogerentur. Itaque anno M. CCC. IIII. Formam Reipublicae mutarunt, ac pro uno vexillifero tres crearunt, quos Pannonios uocabant. cum summa, & plane dictatoria potestate. igitur coacto ciuium omnium coetu scrutinia instituerunt, quibus postea semper usi sunt; id est delectum quendam ciuium habuerunt, qui ad magistratus & honores capiendos idonei essent: atque eorum nomina in urnas, siue crumenas coniecerunt, ut sin-

gulis annis sorte ducerentur. atque hic delectus decimo
 quoque anno renouabatur: interdum septuaginta octo uiros
 sorte duxerunt, qui bimestri potestate cum annuo vexilli-
 fero Reipublicæ præessent. consilij verò capiendi causa
 Senatum elegerunt CCC. virorum, partim nobilium, par-
 tim popularium. optimatum verò collegium ex ciuibus
 trecentis constituerunt. sed ne in eo quidem statu, propter
 ciuiles discordias & odia intestina, diutius acquieuerunt.
 itaq; communi consensu acciuerunt Galtherum Brennonē
 ducem Athenarum, eum qui postea magister militū cla-
 de Picētauiensi casus est ab Anglis: cui optimates annuū
 imperium permiserunt, sed plebs acclamatione gratissima
 perpetuum principem esse iussit. hic igitur CCC. milites ad
 vim imperij retinendam sibi adiunxit. sed cum nimis im-
 periose se gerere videretur, vix decem menses imperiū re-
 tinere potuit, quin ab omnibus ordinibus ex urbe cum ma-
 gna clade suorum eiiceretur. rursus vexilliferum & octo-
 uiros, unā cum tribunis plebis siue collegiorum ducibus
 crearunt, & nobiles quos ab honoribus antea prohibue-
 rant, restituerunt. hinc factio nobilium potentior popula-
 res & plebeios opprimere cepit: hinc tenuium & popula-
 rium querela; quod unius euersa tyranni de, plures Rem-
 publicā inuasissent: & eousque discordiæ creuerunt, quoad
 nobiles magna ex parte cæsi, aut fracti, aut exilio pulsi
 popularibus cessissent, & ab honorum petitione omnino
 summouerentur. igitur imperio planè populari constituto,
 anno M. CCC. LIII. cum nullæ aduersus nobiles discordiæ
 intercedere possent, populares inter se de imperio certare
 ceperunt. quemadmodum Budelmonti cum Vbertis,
 deinde

deinde Donati cum Cerchiis, omnes patricij, Rempu-
 blicam diutissimè perturbant, deinde patricij à popu-
 laribus erecti fuerant; ita Riccij & Albizij populares ho-
 mines, Guelphorum & Gibellinorum sectas renouarunt.
 inde cædes & exilia secuta, quousque plebei opifices ac-
 cepta occasione aduersus populares arma cœperunt, ac di-
 tissimi cuiusque domum diripuerunt & incenderunt. ita
 populari potestate omnino sublata, secuta est ochlocratia
 seditiosa plebis, vel potiùs anarchia. nam toto triennio la-
 trocinia, cædes, incendia in media vrbe flagrarunt. ad ex-
 tremum plebei seditiosè furentes inter se quoque crudelif-
 simè pro imperio dimicarunt. tandem lassati potiùs & fra-
 cti quam satiati, proposita amnestia magistratus veteri
 more crearunt, ac x x. annos sine bello civili exegerunt,
 cum scilicet nulli omnino magistratus affectarent, & o-
 blatos timidè caperent, iustèque imperarent. postea diu-
 turne quietis impatientes Cosmum Medicè, eum qui pa-
 trie parens usurpatur, nulla de causa damnarunt: idem ta-
 men postea vi & armis ciuilibus est ab exilio reuocatus:
 & aduersarij eius magno numero eiectioni. ex quo gēs Me-
 dicaa summam in Republica auctoritatē sine imperio a-
 depta est, cum scilicet prudētes ac viros bonos sibi adiun-
 geret, quorum ope Respub. & magistratuum sortitio re-
 gebatur. sed mortuo Cosmo, qui Reipublicæ gubernacula
 tenebat, ad cædes & exilia prolapsi sunt, quoad factiosis
 quibusque pulsus Medicæi auctoritatē recuperarēt: quam
 annos circiter x x x. retinuerunt, tametsi Paccij coniura-
 tione facta Iulianum Medicem ante aras macularunt, ac
 Laurentium fratrem grauiter vulnearunt. hinc coniura-

torum

torum supplicia, cædes, exilia. altera ex parte exules Sixtū Pontificem & Alphonsum, cum legionibus acciuerunt, ut patriam, in qua regnare non poterant, hostium subiicerent potestati. tandem liberata grauisimo bello Republica, senatum LXX. virorum stabilierunt, cuius consiliis tādīu Respublica stetit, quoad Petr. Medices mortuo patre Laurētio, non contentus auctoritate monarchiam inuadere conatus est. ex quo maiores quàm antea seditioes obortæ: quæ non prius exitum reperire potuerunt, quàm potentiores vrbe penitus eiecti essent. itaque cōtigit anno M. CCCCXCI. ut plebs huc illuc, quasi pecus sine pastore vagaretur, hominum insidias metuens ac ferarum: sic enim Macciauellus tradit. tandem Senatu agrè coactō diu certatum est de conformando Reipublicæ statu; cū alij optimates, alij populum mallēt. ad extremum seditiois Saonarolę ac Soderini cōcionibus persuasi, popularem statum acceperunt. nec multō post Petri Soderini, deinde Fr. Valorij potentia oppressi, rursus arma cœperunt, ac potentiores vi & armis de imperio deturbarunt, nec aliter quieuisent bella ciuilia, nisi Pontificum Romanorum, & Caroli Imperatoris legionibus coacti Alexandrum Medicem cum præsidio militum in urbem recepissent. is igitur Clearchum Heracleotarum tyrannum imitatus, sui nominis hostes ac potentiores occidit, proscripsit, exegit: tandem à Laurentio Medice occisus, imperij successorem habuit Cosmum: qui cum incredibili prudentia coniuratorum manus sæpius euasit, tum etiam summa iustitia regnum legibus æquissimis temperat ac tuetur. hoc igitur in illa Repub. vitiosum erat, quòd populare imperium quàm
optimatum

optimatum maluerunt: deinde quòd octouiris bimestribus
 & vexillifero permiserunt Reipublicæ totius imperium:
 nec Senatum ullum habuerunt, nisi extremis temporibus,
 & nullius pene auctoritatis: quod perinde est ac si corpus
 mente careret. nam in Senatu salus Reipublicæ versa-
 tur. iam verò xv. viros collegiorum & opificum duces,
 veluti Tribunos plebis nullo interiecto medio maioribus
 magistratibus ita opposuerunt, ut necesse fuerit perpetuis
 dissidiis Rempublicam turbari. postremò plebeios, & ex
 peregrinis in urbe natos ad honores sorte admiserunt, quò
 Respublica magis esset popularis. Sed ab externis ad do-
 mesticam veniamus. Maiores nostri sub regibus primùm
diutissimè floruerunt: ut Cæsar libro VI. Liuius libro V.
testatur. quibus temporibus uniuersam pene Europam &
Asiam minorem armis domuerunt, colonias deduxerunt,
urbes condiderunt, victis regionibus gentilia Celtarum
& Gallorum nomina dederunt. inde Celtiberia, Celto-
scythia, Portogallia, Gallicia, Galatia, Gallia Transal-
pina, Gallia Britannorū: hinc multa à Boiis & Helue-
tiis, quos Tacitus Gallos vocat, regiones subactæ: quæ
quòd ab aliis explicata sunt omitto. cùm autem reges im-
potenter dominarentur, optimates imperium susceperunt:
populum in tres ordines naturæ cōgruenter, hoc est ad ra-
tionis, iræ, ac libidinis formam distribuerunt. Druidæ à
militia vacationem perpetuam, & omnium munerū im-
munitatem habuerunt, ut Cæsar scribit. igitur domesticū
imperium, sacra, leges, summaūque iudiciorum potestatē
Druidæ tenebant: equites rem militarem unà cum Am-
bactis & Solduriis curabant: plebs agros & opificia. ex

Status & cō-
 uersiones
 Imperij Gal-
 lorum.

Emp. de France

brade

Q his

his tribus ordinibus comitia collecta uniuersae Reipublice summum ius habuerunt. Druidarum uero tanta fuisse dicitur sapientia, tanta uis ac maiestas imperandi, ut cum haberent annua comitia, solo religionis metu ac sacrorum interdictione, quasi acerbissima omnium poena, sine ui potentissimos quosque suis edictis ac decretis parere cogerent, & in suo quenque officio continerent. ex quo intelligitur id quod scribit Caesar, quantus antiquae religionis cultus esset. at ubi numinis metus est, illic pietatem, iustitiam, virtutes omnes florescere oportet. omitto summam rerum caelestium ac naturalium cognitionem, quae illis tribuitur omnium scriptorum consensu. de Republica duntaxat disputo: quam optimatum fuisse ex eo colligimus, quod cum duae factiones essent potentissimae Heduarum & Aruernorum inter Celtas: & Belgarum urbes imperio diuisae optimatum haberent conuentus, iisdem imperiis & legibus comitiorum ac iudiciis curiae Druidarum obligarentur: tametsi plurimi essent ubique reguli. praeterea urbis fere cuiusque sua fuit Aristocrata, ut Germania principatus ac ciuitates, quae imperij legibus obligantur. iam uero suae quisque familiae princeps erat: neque in seruos tantum, sed etiam in uxores & liberos ius uitae ac necis habebat, ut idem Caesar testatur. fallunt enim cum Iustiniano plerique, qui in capite de patria potestate nullos populos exceptis Romanis, tantum iuris in filios habuisse tradunt, cum id quoque Persarum & Hebraeorum commune fuisse constet, ex Aristotele & legibus Moysis. intelligebant tantum esse parentum erga filios amorem, ut abuti potestate si maxime uelint, non possint.

nihil

Optimatum status in
gallia

Patris in liberos potestas

nihil autem maius esse ad virtutem, & cultum liberorum erga parentes. quòd verò singulae urbes statum optimarum tenuerunt, ex eo colligitur, quòd plebs ab honoribus & consiliis prohiberetur, & summi magistratus singulis annis non sine magnis contentionibus crearentur, quod Caesar cum ab incolis didicisset; Gentile est, inquit, factiones in Gallia feri: idque vetus est nec temere institutum, ut tuta plebs esset à potentiorum iniuriis: nusquam gentium plebs alioqui contemptior, quippe quæ olim seruitij loco pene haberetur, omnis consilij publici expers. hoc ille quasi arcanum imperij veteris testatum reliquit. sed miror cur Caesar factiones illas, quæ Reipublicæ exitium attulerunt, plebi salutare fuisse putet. fateor quidem tutum esse id quod Aristoteles tradit, magistratus in Republica discrepantes creari, ne quemadmodum in familia serui nimis inter se conspirantes rem familiarem; illi publicam diripiāt. cum verò se mutuis odiis appetunt sua scelera detegunt: ita plebs à rapinis magistratum inter se dissidentium tutior est. sed factiones principum sine magno plebis incommodo nequeunt excitari. quicquid enim delinquent reges, ut ait ille, plectuntur Achiui: nisi princeps unus multò potētior existat, qui partium duces cum velit coercere possit sine gratia cuiusquam. nam si alios in aliorum perniciem tueri velit, metuendum est ne potius imperiam amittat: ut Henrico V. regi Angliæ contigit, cum partes Lancastrorum aduersus Hyorchos tuendas suscepisset. ab his enim fractus est, & in carcere cæsus. nihil tamen contra Caesaris sententiam affirmare velim. illud modò, Reipublicarum fere omnium interitus à principum factionibus

Quibus

Plebs

admonet in gallia

*nibus initium habuisse: idque certius unicuique esse, quam
 ut res exemplis egere videatur. atque id de maioribus no-
 stris Caesar testatur; apud Heduos principum factiones
 Reipublicæ perniciem attulisse, cum alij Germanorum,
 alij Romanorum copias euocarent. ad extremum Respu-
 blica diuturno Caesaris bello fracta Romanis cessit: sed
 ea lege ut magna pars ciuitatum suo iure ac libertate u-
 teretur, ut Plinius libro v 11. tradit. quadringentesimo
 post anno Romanis, Gothicis, & Hungaris dissidentibus,
 paulatim Franci, coloni veteres Gallorum, uniuersam
 Galliam inuaserunt, & hanc regie potestatis formam ita
 stabilierunt, ut militari disciplina pauci; domestica nulli
 diutius floruerint. de militari quidem constat Gallos Ca-
 rolo magno duce, magnam Germaniam, Pannonias, Sa-
 xoniam, Italiam, & Hispania partem cum imperio to-
 tius Gallie coniunxisse: Syriam utranque & Cyprum
 crudelissima seruitute liberatam annos x c. gubernasse:
 Longobardorum imperium fregisse: Pontificibus Romanis
 bonam Italiae partem dono dedisse: Venetis Cretam &
 Peloponesum concessisse, cum imperium Grecorum inua-
 sissent, cui annos L. praeuenerunt: quæ sanè militaris disci-
 plina magna sunt argumenta. domestica uero nullum ma-
 ius est, quam quod reges ac principes exteri ab extremis
 Germania, Italia, & Hispania oris, ad Gallorum Se-
 natum, uelut ad sacrum æquitatis asylum magno concur-
 su confluebant. ut Fridericus II. Imp. controuersias quæ
 illi cum Innocentio III. intercesserunt de regno Neapolcos,
 ad hunc Senatum detulit. & comes Namurcensis causam
 egit in hoc Senatu aduersus Carolum Valesium, pro comi-
 tatu*

M. CCXLIII.

M. CCCXII.

tatu Namurcēsi, non veritus gratiā tanti principis, quem iudicio superavit. cōsimiliter Philippus Tarenti princeps M. CCCXX. Burgundia ducem in hoc Senatu vicit, cūm ageretur de sumptibus factis pro imperio Græcorū recuperando. idem tamen alio iudicio mulctatus est. pari voluntate dux Lotharingus & Vidus Castillionæus eius sororius, familia M. CCCXLII. herciscūda iudicium in hoc senatu acceperunt. quinetiam Delphinus & comes Sabaudia, cūm de Marchionatu M. CCCXC. Salutarum inter se contenderent, & sua se volūtate huc contulissent, comes iudicio victus est, ac rursus alio iudicio fructus & omnem causam restituere damnatus, aestimatione facta ducentarum auri librarum. post etiam M. CCCC. Cameracenses liberi populi in ius vocati, ut rebus à Senatu iudicatis acquiescerent, se iudicio stiterunt, satisque fecerunt. sed exemplum illustrius nullū est, quā quod reges Castella & Lusitania percussis inter se fœderibus, ea non M. CCCCII. prius vim habitura iudicarunt, quā ab hoc ordine sancirentur, & patentibus portis promulgarentur. In finitum sit omnia persequi. Rex autē equa ac priuati legibus & iudiciis acquiescit, non tam sua sponte, ut ineptè plerique arbitrātur, quā huius imperij lege obligatus. lex autem lex salua imperij omnium antiquissima dicitur esse Salica, quæ feminas summouet à regni successione, quanquam dubium est lata fuerit necne. ut ut sit ineptè sanè Baldus ac plerique iurisconsulti, qui in Salica lege interpretanda cum imperij maiestate successio*n*um iura cōfuderunt, quasi de prædiis & bonorum possessione ageretur. neque verò huius imperij propria est, sed communis Afsyriorum, Persarum, Hebraeorum, Agyptiorum, Græcorum, Romanorū,

Q iij Abissi-

*Abissinorum, Pænorum, Germanorum, Scytharum; qui
 fœminas ab imperio longè repulerunt. nec ita pridem Ar-
 ragonij Petronillam, Castilij Isabellam, Mantuani Ma-
 thildem, Neapolitani Ioannã utranque, Noruegi Mar-
 garetã, deinde Nauarri & Lotharingi ad fœminas quo-
 que summum imperium detulerunt: postremò Britanni,
 qui antea semper abhorruerant à γυναικουργεία, nuper
 Mariam eiusque sororem regnare permiserunt, in quo sa-
 nè violantur non modò diuinæ leges, quæ fœminas impe-
 rio virorũ disertè subiecerũt, sed etiam ipsius naturæ, quæ
 masculis imperandi, iudicandi, concionandi, belligerendi
 potestatem dedit, fœminis ademit. neq; solũ naturæ iura
 conuelluntur; sed etiam omnium gentium, quæ nunquam
 fœminas regnare permiserũt. Zenobia quidem: c. x x x.
 tyrannis Palmyrenem inuasit, sed paulo momento deie-
 cta est ab Aureliano: ipsaque Hirene à Nicephoro in
 monasterium pulsa, cùm Græcorum imperium suscepisset.
 Thomyris, Semiramis, ac Thalestris filiorum nomine im-
 perarunt. Tenetur etiam princeps agraria lege, quæ pu-
 blicos agros alienare prohibetur sine ordinũ consensu: &
 ut maximè velit, alienare nullo modo possit, quin regius
 procurator mortuo rege perpetuã habeat manus iniectio-
 nem. itaque cùm principes legem illam perũperere sæpe sint
 conati, nõ potuerũt tamen. altero capite legis agrariæ pro-
 hibetur princeps agros vacantes, aut vlla peregrinorũ, vel
 damnatorũ prædia sibi vindicare, ne priuatorũ fortunis,
 velut esca malorũ illectus, ad crudelitates & rapinas fe-
 ratur. at in plerisq; Galliæ locis bona damnatorũ legitimis
 heredibus relinquũtur: alibi princeps ea donare, aut con-
 flatam*

fœminæ

flatam pecuniam in ararium publicum inferre tenetur. ex omnibus tamen imperij legibus nulla sanctior est, quàm quæ vetat principũ rescriptis ullam rationem haberi, nisi æquitati perinde ac veritati consentanea sint: quò fit ut pleraque à magistratibus respuantur. nec impetrata venia profit sceleratis. sæpe enim audita vox est magistratuum, nihil posse principem contra leges. & quidem Henricus huius pater cum Italum servum in carcerem duci iussisset non adiecta causa, iudices hominem liberarunt, prius tamen admonito rege, qui iussit illum condemnari, quum diceret se hominem in scelere turpissimo deprehendisse, quod evulgari nollet. iudices nihilominus reum damnare noluerunt, tametsi princeps religiosè ac sanctè iuraret in scelere deprehensum, ac iudicibus succenseret, quòd sibi affirmanti fidem non haberent. liberatus est tamen à iudicibus, & carceribus ereptus: sed postea à iussu regis in flumen sequanam noctu demersus, ne insolentia facti populũ perturbaret. nec verò curiæ superiores ullam habent legum rationem nisi quas sua promulgatione comprobarint; nec se cogi posse aiunt: tametsi lapsa consuetudo sensim de via deflexit. atque utinam maiorum virtutem imitemur: illi de vita quàm de sententia decedere maluerunt: posteri Rempub. & famam quàm magistratum perdere malunt. cum enim Ludouicus XI. (is qui primus reges seruitute liberasse dicitur) exitium curiæ Parisiorum intentaret, nisi leges à se latas promulgarent: patres re intellecta purpurati regem adeunt: tum ille; Quæ causa vos huc impulit? ut mortem, inquit Lanacrius, potiùs oppetamus, quàm leges iniquas ferri patiamur. Rex oratione Præsidis, & mirabili

Actum Meloduni.

La Vacquerie

mirabili constantia magistratum perterritus, eos humaniter accepit; & leges, quas promulgari iusserat, coram lacerari mādavit, iuratus se nihil posthac nisi quod aequitati congrueret edicturum. Alia quoque lege, vel potius iure constituto, Rex obligatur; ne scilicet magistratum aut imperiū cuiquam invito abrogare possit, nisi sceleris convictus ac publico iudicio damnatus fuerit: quarum in renunciatione magistratum à principe usurpari soleat formula vetus, QVOD VIDEBITVR. quæ lex inuiolabiliter servatur, & in usum abiit, tametsi annum illud iusurandū, quod iudices præstare solent pridie idus Nouemb. satis indicat non ita pridem annuos fuisse magistratus; ut Budæus tradit. quem morem multi ac magni viri renouandum putant: sed cū magnæ diudicationis sit, planè definire non ausim, sic tamen opinor, ad tuendum popularem & optimatum imperium, magistratus ad breue tēpus tribui oportere, ut Aristoteli visum est; sed in regno aliter sentiendū putem. quid enim contrā principum vim ac libidinem audeat magistratus, qui sibi honores adimmetuent? quis tenues à seruitute vindicabit? quis populi commoda tuebitur, si exacto magistratu pateant iniuriis potentiorum? prætereà magistratus imperium nullius fere est auctoritatis, quod ad breue tempus tribuitur: neq; facile paremus iis, neque cum dignitate imperāt, quos vitæ socios habuimus, & qui postea priuati sunt futuri. quem verò populus de imperio sine scelere deturbari non posse intelligit, hunc ab improbis metui, à principe coli, & virum bonum euadere necesse est, vel cogente pudore, vel etiam pœnæ metu, ne simul cum fama, vitam, caput, & fortunam

Quis magistratus

fortunas amittat. quippe censores & exploratores habet omnium actionum. hoc verò maioris est ponderis ac momenti, & huius imperij arcanum salutare, quòd regia potestati plurimum detrahatur, cum honores magistratibus perpetui tribuuntur. nihil enim ad tyrannidem principis coercendam efficacius esse potest. contrà verò in frequenti magistratuum mutatione principis potestas omnium maximè augetur, ut Aristoteles scribit: aucta tyrannis euadit. at quò plus detraxeris imperio principis (neque verò in eam partem peccari potest) eò iustus est imperium ac stabilius futurum, ut Theopompus rex Ephoris potestate cõcessa dixisse fertur. qui verò malis artibus principis imperium augere se putant, non modò regis, sed etiam regni euersionè moliuntur. & quidè maius imperio est ut Theodosius Augustus rescripsit, legibus summittere principatum. itaque fallit Maccianellus qui regem nostrum ararij dominum esse putat. certus est enim modus in largiendo legibus definitus, ultra quem si progrediatur sine Senatus decreto, non paretur, nec rationũ iudices quæstoribus sine graui causa acceptum ferunt. Illud etiam huius imperij magnum est arcanum, quòd princeps omnium in Repub. premiõrũ arbiter est, nec tamẽ ullas infligit pœnas: sed hæc magistratibus velut odiosa permittit. quò fit ut omnium amore, nullius odio dignus habeatur, nec potentiores à iudicibus damnati, causam habent cur illi irascantur, propterea quòd nullam suscipit cognitionem: sed rebus iudicatis omnes acquiescunt, aut si quis potentia fretus imperium recuset, prouinciarũ gubernatores ac præfecti Mareschallorum, armis parere cogunt, & omnes in unum ar-

R mantur:

mantur: contra quàm sit apud Germanos, apud quos imperialis curiæ decreta nullam fere vim habent, si aduersus potentiores iudicatū sit, propterea quòd gubernatores prouinciarum armis tentare nolunt, quod exequi se posse diffidunt. nihil apud nos frustra decernitur. quòd non facile executioni mandari possit. sic igitur curiæ superiores, quæ magna sui parte ex plebeis conflantur, nobilium ac potentiorum vim iustissimis decretis coërcent, ac veluti summos cum infimis incredibili concordia tuentur: qui verò earum dignitatem labefactare sunt conati, profectò Reipublicæ interitum quæsierunt: cum in illis posita sit domestica disciplina, legum, morū, totiùsque Reipub. salus. sunt autem eiusmodi curiæ septem, quæ centum circiter iudicibus constant: à quibus prouocare non licet: nec sine graui mulcta principi temere supplicare. Aliud quoque huius imperij, vinculum magnum est in nobilium clientelis. cum enim in omnibus Græcorū Rebus publicis tenues & plebei à patriciis opprimerentur: aut patricij à plebeis impetu factò sepius eiicerentur, ac perpetuò inter se dissiderent, diuina quadam bonitate factum est, ut promulgatis feudorum legibus, nobiles infimos veluti clientes ab iniuria tueantur. atque hac una fortasse ratio est cur imperia sint apud eos diuturna, qui his legibus utuntur. Sed hoc amplius habemus, quòd nobiles primogeniti apud nos, ut etiam apud Britannos magnā capiunt partem totius hereditatis, ac perpetua maiorum successione auitas hereditates tuentur, ne in plures distractis prædiis, decus nobilitatis, quæ militarem disciplinam tuetur, intereat. atque illud est quod Lycurgus primū apud Spartiatas, deinde

Plato

Plato

Plato in utraque Republica tantopere commendat . sed hic portiones hereditarias, IIII. M. XL. ille IX. M. statuit: nos certum numerum nullum habemus. ac si morem maiorum teneremus, quem soli Germani mordicus retinuerunt, id est, ut fœminæ à feudis omnino repellerentur, & proximis agnatis Salica terra (sic enim in veteri quodam testamento apud Burdegalenses feudum appellari proditum est ab eo qui primus libellum de lege Salica scripsit) nec Lycurgi, nec Platonis leges de successione desiderarem. sed primus Capetus apud nos concessio ducibus & comitibus prouinciarum dominio, legis violatæ præbuit occasionem. post enim facile impetratum est à parentibus, ut fœminis salicam terram capere liceret. Quod si ita est apud nos imperium constitutum, profectò capitalis est Iouius, qui ridiculè Gallos insectatur, quòd diuinum quædam animi vigorem regibus inesse putent. quid si Anglos vidisset ante sedem regiam, tametsi vacuum, prætereuntes aperire caput? ac maiore contumelia dignus est ipse, qui toto vitæ decursu domini sui pedes plusquam seruiliter osculari non erubuit. quod adorationis genus non modò Persarum aut Turcarum reges, sed etiam superbissimi Caliphæ Arabum semper abhorruerunt. est igitur, ac semper fuit (atque utinam perpetua sit futura) principis & populi Gallici tanta conspirationis fides & consensus, ut nusquã populus maiore obsequio principem, nec princeps amore tanto populum complectatur, populus autem quãtum diuinitatis in principe esse putet, aut quanta libertate fruatur, ex eo intelligi potest, quòd non ita pridem Ludouicus XI. in scenis ac theatris, antiquæ comediæ morem renouari permiserit, &

R ÿ faceris

*facetis dictariis vitia cuiusque notari, ac ne sibi quidem
 parci voluit. ô principem excelsum & orbis imperio di-
 gnum; qui vitæ integritate ac innocētia fretus maledicta
 non extimuit improborū. iam verò ante Henrici tempus
 inaudita vox erat maiestatis apud nos in rege appellādo:
 quæ idcirco à me commemorantur, quòd ab Italis & pere-
 grinis multa de nostris moribus & imperio aliter quàm
 decuit prodita fuere. Iam verò incredibile videatur, verū
 tamen sit, tot seculis, in tanta regum multitudine nullum
 omnino populi coniuratione casum. vnus uxoris adulte-
 ra dolo necatus est. Carolus verò simplex ab Heriberto
Veromanduo tametsi hoste acerrimo captus nullā vi, sed
 morbo ac senio periit. eius tamen filius Ludouicus Heri-
 bertum in crucem egit. neque verò ullum imperium diu-
 tius in eodem statu floruisse reperiemus, præterquam As-
 syriorum. iam enim ducentesimus circiter ac millesimus
 labitur annus ab huius imperij primordio, quod cepit ab
Vuaramundi familia, deinde ad Meroneos, tum ad Ca-
 rolum magnum, postremò ad Capeti gentem delatum est:
 neque tamē bellis ciuilibus potuit, neque externis violari.
 at reges Ægypti si Iosippo credimus, vix annum millesi-
 mum attigerunt. omitto quàm fabulosè multa dicuntur de
Assyriis & Ægyptiis, quæque facile fuit imperium illis
tēporibus stabilire ac retinere, quibus nulli hostes regnare
 prohiberent. Illa verò, quæ feruntur, antiquissima regna
Lydorum, Tyriorum, Argiuorum, Corinthiorum, Lace-
 demoniorū, Atheniensium, mœnibus urbiū circumscripta,
 Plutarchus in Theseo ac Diodorus magna sui parte fa-
 bulosa fuisse affirmant: & ut vera sint, quæ tamen diu-
 tius*

*tius steterunt, annos DCCC. non superarunt. Caldei qui-
 dem post aquarum eluiones annis CCXLIX. in summa
 quiete vixerūt: quod seculū aureum à Catone in origini-
 bus, si modò eius libri auctor est, appellatur. deinde Ninus
 armis Asiam maiorem inuasit, à quo XXXVII. reges an-
 nos MCCCXX. usq; ad Sardanapali exitum imperarūt. e-
 ius imperiū Arbaci & Belocho praefectis cessit. itaq; im-
 perio bifariam diuiso, Medos inter & Assyrios trecentis
 fere annis dimicatū est, quoad Persae imperiū arripuerūt.
 hinc gubernacula tenuerūt usq; ad Alexandrū, qui Per-
 sarum imperium ab India usque in Hellespontum latè pa-
 tens longius propagauit. Alexandro mortuo, Seleucus A-
 siam maiore: Antigonus minorem: Ptolemaeus Aegyptū:
 Antipater Macedoniam: Lysimachus Thraciam acce-
 perunt. dein grauissimis bellis attriti, mutuisque odiis ar-
 dentes, ducentesimo circiter post anno in Romanorum po-
 testatem peruenerūt. Asia maior Parthis cessit, post Ale-
 xandri mortē anno CLXXII. atque ita imperiū ab Ar-
 sace usque ad Artabanū cum magna gloria militaris disci-
 plinae floruit annos circiter D. hinc Artaxerxes Persa cae-
 so Artabano regnum suscepit: idque Persae tenuerunt an-
 nos amplius CCCC. quousque Homarus princeps Ara-
 bum, Persiam & Syriam inuasit. Sed ad vetera. Cretes,
 Siculi, urbēque Italiae veteres imperium diuturnum in
 eodem statu nullum habuerunt, sed mox à tyrannide ad
 paucos: ab his ad populum, à quo rursus ad tyrannidem
 relapsa, non prius iactari desierūt, quā imperio Romano-
 rū accessissent; de quibus antea dictū à nobis est. Cetera
 consequētis aetatis imperia videamus: id est ab Iustiniano,*

Cōuersiones
 Imperij Cal-
 daeorum, Af-
 syriorū, Per-
 sarum, Par-
 thorum.

Cóuersiones
Imperij Græ
corum.

qui erepta Vandalis Africa, Gothis Italia, Parthorum quoque repressis incursionibus, imperij dignitatem summa cum militaris ac domestica disciplina gloria restituit. Hispaniam Gothis, Galliam Francis, Britaniam ac Germaniam superiorem incolis relinquens, imperij Græci limites Alpibus, Danubio, Eufrate, & Africa patentibus oris circoscripsit. in eo statu floruit imperium annis fere centum ac viginti, hoc est vsque ad Cōstantem Heraclij nepotem, cuius temporibus Arabes Ægyptum, Syriam ac Ciliciam; post etiam Africam Romanis ademerunt: & in Italiam vsque exercitus & colonias transmiserunt. ex altera parte Sclauus Pannonias & Illyricum inuaserunt. antea Longobardi sedes in Insubria posuerant, & bonam Italia partem occupabāt. secuta sunt bella ciuilia pro imperio Græcorū, cum alius à militibus, alius à Senatu imperator eligitur. nam Leontius Iustinianum minorem in exilium egit: Absimarus Leontium naribus truncatū in carcerem compulit. Iustinianus barbarorū ope restitutus aduersarios de imperio deturbauit. hūc Philippicus excepit, qui ab Artemio crudelissimè est excacatus: nec tamen diuturnum fuit huius imperium. paulò post à Leone Tiberius Imperator electus truncatur. maior etiam Constantini IIII. crudelitas qui expugnata Constātinopoli Artabasdum unā cum filiis excacauit: sed maxima clade à Bulgaris accepta miserè interiit. ex quo imperium ab Hirenè susceptum est, quæ filio excacato Caroli magni nuptias appetens in monasteriū à Nicephoro truditur: ipse Imperator factus à Bulgaris postea cæsus est. succedit Michael uterque quorum postremus à Basilio crudeliter occiditur.

ciditur. quibus temporibus Imperium Græcorum angustis regionibus definiebatur, cum Illyricum & Italiam penitus amisissent, & bonam Asiæ partem Turcæ & Arabes occuparent: ipsi verò Græcorum principes, mutuis odiis ac bellis civilibus tandiu iactati sunt, quousque Gallorum armis imperium occuparetur: his tamen sexto & quinquagesimo post anno pulsus, Græci rursus imperarunt, sed Paleologi & Cantacuzeni dissidentes, Turcas Asiæ dominos euocarunt, à quibus sunt paulò post de imperio deiectioni.

Arabum quoque imperia languere cœperant, cum Turcæ Conuersiones Imperij Arabici. in Europam exercitus transmiserunt. Cùm enim à Græcis defecissent anno salutis circiter DCL. breui Syriam, Ægyptum, Persiam, Africam usque ad Oceanum: post etiam Hispanias, Cretam, Siciliam, Peloponnesum & Italiae partem occuparunt, tanta victoriarum celeritate, ut tot ac tam multas regiones ante domuisse, quàm peragrasse videantur. ac tametsi obscura est eorum, & fabulis confusa historia quam nostri literis mandarunt; facile tamen intelligi potest ex Leone Afro, & Gulielmo Tyriorum episcopo, qui antiquitates illorum ac regiones penitus inspexerunt, nullum fere imperium excepto Romano maius antea extitisse. Ipsi pontifices, qui Caliphæ dicebantur, sola religionis opinione tantum valuerunt, ut leges omnes diuinas & humanas arbitrato suo moderarentur. ab his enim Imperatores & exercitus, velut à diis pēdebant: reliqui principes vitam illis, caput, fortunas, imperium denique acceptum ferebant. sed cùm de religione inter se discrepare cœpissent, propter Hali cadem, pontifices quoque Ægypti cum Babylonis ac Damascenis grauisima bella gesserunt: deinde Gallorum viribus

Conuerfio-
nes Imperij
Turcarum.

Conuerfio-
nes Imperij
Polonici.

viribus de Hispania ulteriore, post etiã de Italia, Cypro, ac Syria decedere coacti: tandẽ à Persis quoque, Tartaris, ac Turcis repulsi, vires in Ægypto & Africa collegerunt. anno salutis centesimo circiter ac millesimo. hinc Tunetani reges à prima incursione Arabum in Africa, regnũ ad hæc usque tempora gubernarunt, id est, ut Muleasses coram Põtifice max. iactabat annos D C C C C. Sultani vero Ægyptũ à Saladino usq; ad Tomombeium, quem Selimus Turcarũ princeps in crucẽ egit, annos CCCXXXVI. obtinuerunt. sed tantis odiis ac cedibus exarserunt cum Mauris Tunetani reges, & inter se Mauri, post etiã Sultani, ut Hispanorũ ac Turcarũ fracti viribus nunc seruire consuescant. Iisdem fere temporib. quibus Ægyptũ Saladinus occupauit, duo potentissima imperia paulatim adoleuerunt; Tartarorum scilicet ac Turcarum. scribit enim Hayto Cangiuscanum Tartarorum, qui olim Scytæ dicebãtur, principem imperium in Asia maiore longè latè propagasse: & ex eadem gente Turcarum vnã legionem, quæ Persis auxilio venerat, accepta religione Arabum in Asia minore conquieuisse: ac sensim Arabum & Græcorũ discordia in tantam potentiam creuisse, ut ex quò Selimus homo priuatus Cappadocia principatum arripuit, anno M C I I I I. ad Selimum huius patrem, omnia non modò Græcorũ & Arabum imperia, sed etiam prouincias omnes à Danubio usque ad Borysthenem, hominum ferocissimorum, & utranque Pannoniam atque Illyricum occuparint: tametsi Persarum, Christianorũ, ac Tartarorũ maximis bellis implicarentur. Interea Poloni à Germanis imperio diuisi, regnũ à Pyasto duce conditũ

anno

anno salutis DCCC. feliciter administrabant. neque enim ante hoc tempus certa narratio ab historicis colligi potest. ex eo tamen Polonorum gesta lucent, quòd cum Turcis, Germanis, ac Moschouitis grauisima bella diu gesserint, sui tamen imperij dignitatem haecenus conseruarunt, ac Prusiam Germanis ademerunt, seque ipsos aduersus Turcarum opes etiamnum fortissime tuentur. creuit autem imperium illud tum maxime, cum Pyasti gens in Heduuige regina desisset. tunc enim Jagello Lithuania rex accepta religione Christiana, reginam Polonia duxit uxorem anno MCCCLXXVI. ab hoc Jagellonum gens imperium legitimo iure suscepit. Eodem tempore quo Pyastus in Polonia, Carolus magnus in Gallia, Nicephorus in Gracia, imperium inierunt: simul quoque Gotricus Dania regnum armis ac legib. stabiluit, ab eoque ad Nubam regnatum est annos CXL. tum Henticus auceps Imp. Germanorum regnum illud in prouincia formam redegit. sed cum ab imperio postea Dani desciuissent, rursus ab Ottone victi sunt, atque iterum rebellarunt Suenone rege, qui à Valdemaro fratre deiectus est: à quo regnum successione delatum est anno post CCCXL. ad Margaretam, quae Dania, Suecia, ac Noruegia praefuit imperiis: & quae Pomerania ducem adoptauit. trigesimoquinto post anno Eugelbertus à Danis deficiens Sueciae regnum inuasit: quod postea civili seditione coactus reliquit. rursus triplex illud regnum unius imperio Bauari paruit. post hunc Christianus electus est, à quo caeteri consequentes ad haec usque tempora imperarunt. regnum tamen Sueciae Gostauus Christiano II. non ita pridem ademit, ex quo maxima

Conuersiones Imperij
Daniae ac
Sueciae.

S bella

bella inter Danos ac Suecos oborta nondum conquierunt. Illud autē animaduersione dignum est, quod ab Holstero Sueco accipi, ex pluribus liberis ius esse principibus eligēdi quem velint. id quoque fertur commune esse Polonis, Lithuanis, Hungaris & Abissinis. Sequuntur Britanni, qui regiam potestatem initio, ut omnes fere populi, pertulerunt. Polydorus enim reges octo & sexaginta, ex antiquis seu veris, seu fabulosis scriptoribus, mille circiter annos ante Cæsarem, Britannis imperasse scribit: Romanis verò, postea quàm à Cæsare victi sunt, annos quingentos paruisse: id est ad Theodosium usque iuniore: quibus temporibus cum à Scotis & Pictis grauisimè premerentur, ac de Romanorum auxiliis desperare cœpissent, Anglorum & Saxonum opes à Germania euocarūt: hi pulsus Britannis imperium facile occuparunt: sed ita ut septem reges diuisis imperiis dominarentur, ac perpetuis bellis in seipso grassarentur: quoad Egbertus post annos circiter c c c. quàm Angli Britanos in Galliam expulerant, id est anno salutis d c c c. pene solus imperauit. postea Dani ac Scoti mox victi, mox victores Insulam more prædonū annos fere c l. diripuerūt usque ad Eduardum maiorem, qui Danis pulsus imperium recepit. centesimo post anno bellis intestinis flagrantes, Gulielmum Normannū euocarunt. is Haraldō cæso, ac Republica constituta, regnum successione ad suos detulit, qui annis fere centū ac decem fortiter imperarunt. secutus est Stephanus comes Blesensis genere Gallus, qui regnū legibus ac domestica disciplina humaniter informauit anno salutis m c x x v i. post Henricus I l. genere quoq; Gallus, & Stephani, ut plerique

Conuersiones Imperij Britannici.

Angli terre

re. Marimo le
pasia

rique aiunt, filius; paterno iure comes Andium, Cenomanorum, ac Turonum: Stephani adoptione & materna successione, Angliam & Normāniam; uxoris dote Aquitaniam & Pictāniam consecutus, maximū imperium diutissimè rexit, ac deinceps eius posteri florens illud regnum, ac bellicis laudibus abundans annos cccc. ita gubernarunt, ut uniuersam pene Galliam partim legitimo iure, partim vi, partim fraudibus, cūm ciuili bello Galli premerentur, occuparint. tandem aliquando conspirantes Galli, & victoriarum incredibili celeritate usi, Anglos de tota Gallia possessione deiecerunt. hi vero cūm hostili bello carerent, ciuilia cum tanta crudelitate gesserunt, ut ludicra videantur quæ de tragica Thebanorum feritate prodita sunt, præ his quæ à Polydoro narrantur: qui tamē in gentis gratiam multa scripsisse fertur. nec mirum videri debet, si Philippus Cominius scripserit annis fere xxx. quibus bella ciuilia gesta sunt, sua ætate casos esse regie stirpis homines amplius lxxx. omitto reges duodecim qui populi seditione ac principū coniuratione cæsi, aut imperio spoliati fuere. Restat ut de Hispanis quoque breuissimè dicamus. Nullum autem apud eos imperium antiquius videmus, quàm Carthaginēsiū. nisi fortasse Celtas & Gallos magnam Hispaniæ partem ante Carthaginenses domuisse, ac regioni nomē dedisse putemus, id quod Hispani fatētur. sed quoniam hæc certa historia non sunt comprehensa, ducendum est à Carthaginensibus initium, qui duce Meseo magnam partem Hispaniæ occuparunt, ut ex Iustino & Orosio intelligi potest: atque imperium tantisper tenuerunt, dum à Romanis penitus eiicerentur.

*So p. m. d. fuor ca
aug. let. re.*

Conuersio-
nes Imperij
Hispanici.

S ij non

non tamē domita erat omnino Hispania Scipionis etate, cū ulterior suos principes Cæsaris quoque temporibus haberet. à Scipionæ Africano ad Gondericum regem (qui primus è gente Vandalorum Hispanias inuasit) numeratur anni DCLX. postea Vandalis in Africam traicientibus successit Alaricus Pannonius de gente Balthorum, qui tunc Gothorum dux erat. ab eo Gothi CCC. annos in Hispania regnarunt, id est, usq; ad Rodericū, cuius temporibus Arabes ac Pœni uniuersam Hispaniam, præter Cantabros & Astures, in suam potestatem redegerunt. id autem contigit anno salutis DCCXVI. imperij Roderici anno septimo, ut Tarapha scribit. huic conuersioni causam dedit Celtiberiæ princeps, qui ut illatum uxori stuprum à Roderico vindicaret, Pœnos in Hispaniam euocauit. Postea Galli Carolo magno primū, deinde Ludouico filio ducibus, magnam Hispaniæ partem ab Arabum seruitute vindicarunt, ac per legatos tandiu gubernarunt, quoad Ludouicus Pius, Iamfredo legato liberum imperium permisisset. post Hispani recuperatis viribus, duce Alfonso quinto Arabes ex omni fere Hispania exegerunt. cū autem in Veremundo Alfonsi filio Gothorum legitima proles defecisset, Ferdinandus primus Aragoniæ rex imperium suscepit. postea distractis in quatuor, mox etiā in quinque partes Hispaniæ imperiis, crudelissimæ cædes non modò principum inter ipsos consecutæ sunt, sed etiam fratrum, parentum ac liberorum. nam Alfonso III. Asturiæ & Galliciæ princeps, omnes fratres oculis orbauit, unus etiam cæsus est, cū partem imperij occuparet. cōsimiliter Alfonso III. à Raymiro fratre oculis

oculis est orbatas . Raymirus alter à Ferdinando fratre crudeliter occisus : Garcias itidem à fratre Sanctio ; hic à Vellido , aliquantò post Alfonfus VIII. genere Gallus Raymundi Tolosatis filius, tria imperia cum uno & eodem cõiunxit. rursus Mauri magna classe Hispanias inuasertunt, & bonam partem ad Ferdinandũ usque Philippi proauum maternum tenuerunt. sic tandem imperiũ, partim vi & armis ; partim etiam legitima successione magnopere auctum, nunc summa cum utriusque disciplina gloria floret. hoc etiam gloriosius, quòd in Africam usque & Americam, leges & arma non sine uberrima & quæstuosissima mercatura, Christi que religionis amplificandæ studio protulerunt, ac longiùs prolaturi sunt, cum nullum sit imperium tam latè patēs ex omnibus quæ unius dominatu reguntur, in quo minùs principi tributum sit : quod imperij bene constituti magnum est argumentũ. Cætera Tartarorũ, Moschouitarum, Indorũ & Ethiopum imperia, quæ non sunt ex historia planè comperta, præterimitto, ex iis tamen quæ habemus explorata, perspicuum sit nullum imperium magis diuturnũ fuisse quàm Gallorum : nec bellis ciuilibus minùs opportunum. multa quidem in moribus, legibus, institutis, iudiciis, egent emendatione : status verò Reipub. tanta diuturnitate probatus, sine grauisimo Reipublicæ periculo mutari nõ potest. hæc enim optima cautio est Aristotelis, ut nihil in ea Reipub. mutetur, quæ diu floruit in eodẽ statu. Sed quoniam plerique huius ætatis graues & eruditi viri, optimatum status ; nonnulli etiam populares magis probant, unum hoc restat, ut eorum sententia repudiata de optimo statu bre-

Optimus
Reipub.
status.

uiter dicamus. Iam enim Polybij & eorum qui ab eius schola profecti sunt sententiam confutauimus argumētis, ut opinor, necessariis ad assentiendum. itaque cum triplex sit omnino Reipub. status; unius scilicet, plurium, & omnium: danda est opera ut nō solum vitiosos fugiamus, sed etiam inter laudabiles optimum quenque sequamur. perniciosa tyrannis est unius: peior etiam tyrannis plurium, quæ dicitur oligarchia: pessima denique omnium & lege soluta potestas, quæ Græcis ὀλιγαρχία, Ciceroni quoque tyrānis appellatur: quæ anarchiæ proxima est, in qua nullus paret, nullus imperat: nulla rectè factis præmia extāt, nulla supplicia peccatis. igitur si hæc reiiciamus, necesse est statum eligere popularem, aut optimatum, aut regnum. de populari nihil scribendum putarem, nisi multorum quoque sententiis probaretur. etenim N. Macciauellus argumentis ac rationibus præstantissimum esse persuasum habet. sed in eo genere minùs illi credendū puto, præsertim cum euertat suæ disputationis fundamenta. nam in principis institutione statim initio duos dūtaxat posuit imperij status; monarchiam & Rempublicam. idem ad Liuiū Venetorum Rempublicam omnium præstantissimam esse affirmat, quam tamen putat esse popularem; cum libro III. status populares semper laudabiliores fuisse scripserit: cōtrà philosophorum & historicorū, contraque omnium maiorum virorum probatam opinionem. ut enim alios omitterā, Xenophon bonus idem imperator ac philosophus, popularem potentiam virtutibus omnino inimicā esse testatur: nec aliter stabiliri aut retineri posse quàm bonis omnibus eiectis. idem quoque Aristoteli visum est, eo loco præsertim

praesertim ubi alios ad imperium, alios ad obsequium natos maximis argumentis confirmat. sed omnis à Platone manavit error, qui imperio populari constituto, perniciosam aequationem inuexit. tum Academici qui ab eius schola profecti sunt, rationes illius amplificarunt. Posuerunt enim societatem concordia seruari: concordiam aequabilitate iuris: aequabilitatem populari statu. deinde summa paritate ac similitudine ciues omnes unum & idem effici: atque hunc finem esse humanae societatis. Aristoteles Platonis hypothesein non confutat, sed in eo Platonem labi existimat, quod ciuitatem maximè unam & eandem efficere conatur, atque isto modo ciuitatem euerti, & familiam euadere. quae sanè ratio frigere mihi videtur. ego verò hypothesein non solum absurdam, ut voluit Aristoteles, sed planè falsam esse iudico. nam si ad naturam, quae rerum princeps est, omnia reuocemus, perspicuum fit mundum hunc, quo nihil pulchrius est ab immortali Deo coagmentatum, ex inaequalibus partibus & maximè sibi repugnantibus elementis, orbiumque agitationibus contrariis ita sibi constare, ut sublata illa congruenti discordia interiturus sit: non aliter optima Respublica, si naturam imitetur, id quod necesse est, imperantibus ac subditis, seruis ac dominis, potentibus & egenis, probis & improbis, robustis ac imbecillis; quasi temperata repugnantium inter se animorum societate, stabilis & inconcussa retinetur. & quemadmodum in fidibus & cantu ipso concentum aequalem, quem unisonum vocant, aures erudita ferre non possunt: contra verò dissimillimis inter se vocibus tum grauibus, tum acutis, moderatione quadam inter se confusis harmonia

monia concors efficitur: ita quoque æqualitatem, vel potius paritatem illam popularem in Republica nemo sanus ferre possit: sed ex summis & infimis interiectis inter utrosque mediis ordinibus moderata ratione ciuitas, mirabiliter sibi congruit dissimilium consensu. Sed inde pestis rerum omnium publicarum, quòd qui pares sunt quadam ex parte, omnino se pares esse arbitrantur. qui autem quodammodo impares, omnino se pares esse putant. si igitur tanta est hominum inter ipsos, tanta ingeniorum imparitas, quis ex æquo partietur imperium, opes, honores, magistratus? perinde est ac si victus & vestitus pueris, adultis, senibus, agris, athleticis, idẽ tribuatur, & ista ratione æqualitatem seruari putent. & quoniam Plato in Republica bonorum æquationem vetuit (conscripsit enim quattuor ciuium classes vario censu) & qui postea secuti sunt Academici, quique Respublicas populares instituerunt, æquationem bonorum semper sustulerunt, ne labefactarent fundamenta Rerumpublicarũ, quæ maximè ob eam causam constitutæ sunt ut sua tenerentur: cur non etiam imperij tollunt æquationem? est enim popularis status nihil aliud quam imperij summi æquatio. non tam absurdũ erat omnes omnium opes, quàm imperium æquare. propterea quòd opibus quisque frui potest: imperandi verò prudentia paucissimis est à natura tributa. quid enim plebe stultius? quid intemperantius? & cum in bonos exarserit, quid furiosius? rectè Liuius; multitudinis eam esse naturam, ut humiliter seruiat, aut superbè dominetur. neq; enim opus est exemplis, quæ utinam tam multa non extarent. nam qui populare imperium Romanorum laudant, illorum hi-

storias

storias non legisse videtur. quid enim miserius quàm ple-
 bem à patriciis toties discedere? quid indignius quàm ci-
 ues cum ciuibus toties in urbe media, in foro, in campo, in
 comitiis, in Senatu, in templo Iouis capitolini; lapidib. fas-
 cibus, gladiis inter se dimicare? lapidationes, inquit Tul-
 lius, in foro sepe vidimus: non sæpe; sed tamen nimis sæpe,
 gladios. scribit. n. Appianus Appuleium Saturninũ Tri-
 bunum pl. stipatum opificibus & armata manu leges tulif-
 se, consulem creatum in comitiis interfecisse, ciues à ciui-
 bus è campo fœdissima lapidatione pulsos. quanquam u-
 sitatum erat, ut competitores armati sub toga iusto pene
 cum exercitu ad comitia venirent. omitto rupta fraude
 comitia, largitiones, obnunciationes, & populi frequentes
 ab agris & necessariis negotiis in urbẽ euocationes. omit-
 to innumerabiles legum rogationes, abrogationes, deroga-
 tiones, subrogationes, obrogationes: tot ac tam multa ple-
 biscita, Senatusconsulta sibi contraria, & paulo momen-
 to ad plebis voluntatem mutabilia. nec Romæ tantum,
 sed etiam Athenis ea contigerunt: apud quos Reipublicæ
 consilia, quibus nihil sanctius esse debet, à plebe peteban-
 tur: id est, ab insano ac furioso prudentia. itaque cum Phi-
 lippus in Atticam irrupisset, populus accepto nuntio in
 theatrum sub auroam conuenit, ut est apud Demosthe-
 nem, à nullo magistratu vocatus: ac tantus omnium stupor
 consecutus est, ut nemo ad populũ verba facere auderet.
 consimiliter apud Florentinos, cum sæpe ab hostibus obsi-
 dione cingerentur, à plebe consilia petebantur. itaq; quòd
 aliquandiu stetit utraque Respublica (quanquam in mi-
 serrimo statu) tribuendum est Aristidi, Pericli, Cononi,
 T Cosmo,

*Cosmo ac Laurentio Medicibus ; qui tamen à suis aut e-
iecti, aut malè mulctati sunt. ac nescio cur Macciauellus
homo Florentinus populare imperium tantopere laudet,
cùm ex eius hiſtoria perſpicuum ſit, rerum omnium pu-
blicarum nullam Florentina, quandiu fuit popularis, ca-
lamitoſiorem extitiſſe. Cùm igitur Reſpublica popularis
magnorum virorum conſenſu repudiata ſit, reſtat ut vi-
deamus an beator ſit optimatum quàm regia poteſtas.
ſunt qui Platonem optimatibus imperiũ tribuiſſe putent;
ſed valde falluntur. nam quæ in imperio ſumma eſſe do-
cuimus, ipſe ad populum, id eſt ad ciuium omnium multi-
tudinem detulit: legum inquam ferendarum, magistratuũ
creandorum, ac Senatus quoque legendi poteſtatem: po-
ſtremò ius vitæ ac necis: quinetiam omnia publica iudi-
cia populo dedit, propterea quòd uniuerſus populus offen-
ſionẽ accipit. qua ratione oporteret eum qui iniuriam ac-
cepit, & in ſua quenque cauſa iudicem eſſe. priuatorum
quoq; iudiciorum ciues omnes voluit participes fieri, tum
ſubiecit rationem; ne ſi à iudiciis excludantur, ſe non pu-
tent eſſe ciues. Platonis interpretes hoc temperamentum
popularis ſtatus eſſe putarunt: ſed hoc antea cõſutatum à
nobis eſt. qui tamen ab eius ſchola profecti ſunt, optimatũ
imperium magis probant, quòd inter populare & regium
medium ſit. ſed in eo labuntur, quòd virtutem in medio
rei vel numeri, non in medio rationis collocare videntur.
quod quidem ſi verum ſit, nec bonus quiſquam princeps e-
rit, nec vlla factioſorum oligarchia. propterea quòd unum
inter & multa, paucorum veluti medium poſuit virtutis.
ſi quid tamen in numeris laudabile eſt, profectò unitas eſt
omnium maximè laudãda, ut ipſe Plato in libro de ente*

& uno

Et uno diuinissimè scripsit. at quātò meliùs Aristoteles, qui tres legitimos Rerumpublicarum status opposuit tribus vitiosis? reges tyrannis, optimates factiosis, populum turbulenta plebi? ad extremum regiam potestatem reliquis prestabiliorem esse affirmat, neq; tamen Platonis dictum illud à multis usurpatum, à Cōtarenò iactatum refellit; scilicet difficillimum esse ut unus aliquis integer ac summæ virtutis homo reperiatur. nec certè refutatione digna est obiectio, quæ à seipsa refutatur: cùm difficilius sit viros bonos multos inuenire quàm unum. Et cùm in multitudine optimatum pauciores boni sint, multorum suffragio cedunt, quia in optimatū ac populi Republica sententiæ numerantur, non ponderantur. quòd si metuendus est tyrannus, quātò magis tyrannorum metuenda multitudo? sed his omiſſis quæ probabilia videri possunt: cur non in Republica stabilienda, ut in rebus omnibus, naturam imitemur? nam si naturam propiùs inspiciamus, monarchiam ubiq; intueri licebit. videmus enim, ut à minimis auspicer, in formicis eam quæ alata dicitur: in apibus regem, in armentis ducem, in gregibus hircum aut arietem sectarium (ut inter grues ipsas unam reliquæ sequuntur) Et in singulis rerum naturis unum aliquid excellere: sic adamātem inter gemmas, aurum inter metalla, solem inter sidera, denique Deum unum mūdi principem Et auctorem: quinetiam inter malos genios, unum aliquem eminare aiunt. sed ne longiùs progrediamur, quid est aliud familia quàm vera Reipublicæ imago? hæc tamē unius imperio continetur, qui non fictam, ut Venetorum dux, sed veram Regis imaginem refert. conuertat igitur Plato re-

rum naturam, & plures in eadem familia dominos, plura in eodem corpore capita, plures in naue gubernatores, plures deniq; in apibus, in gregibus, in armentis (si modo rustici patiantur) duces cōstituat: postremò plures Deos imperij societate coniungat: tùm ego illi assentiar optimatũ imperium regno præstabilius esse. sin tota rerũ natura reclamat, ratio dissentit, experientia diuturna reluctatur, non video cur Platonem aut quenquam alium sequi; naturam violare debeamus. nam quod Homerus dixit, οὐκ ἄρα δύη πολυκοιρανίην, εἰς κολεγονος ἕσσω, εἰς βασιλεύς, idem Sybilla carminibus augurata dicitur, Reipublicæ Romanæ salutem in regno positam esse; scilicet ciues aliter seruari non posse, quàm si regẽ haberent. neq, enim solùm saluberrimum, ut Tacitus scribit, sed etiam necessariũ in magnarum rerum administratione imperiũ penes unum esse. & quidem tres Tribuni potestate Consulari documento fuisse, ut Liuius tradit, quàm plurium imperium bello inutile esset. consimiliter L. Paulus ac Terentius Varrus aduersus Annibalem: Christiani princeps aduersus Turcarum regem: Græcorũ duces aduersus Philippũ: nec ita pridem Germanorum principes aduersus Carolum V. magno suo damno experti sunt, nihil à pluribus rectè imperari posse. itaq; Græci & Romani cùm graue bellum aut seditio ciuilis Rempub. perturbaret, ad unius Dictatoris, aut Archi, aut Harmostæ imperiũ, velut ad sacram anchoram confugiebant: ut sepe Florentini, Genuenses, ac Veneti extremis Reipublicæ temporibus summũ imperium belli ac pacis uni imperatori permiserunt. quanquam quid argumententer, cùm innumerabilibus seculis compertũ sit, populares

pulares & optimatum status hominum generi perniciosos
 esse? magnū est imperium Turcarum, Persarū, Indorum,
 Tartarorum: maius etiam Abissinorum & Hispanorū,
 qui nouum terrarum orbem suis legibus subiecerunt: latè
 quoque patent regna Pænorum, Gallorum, Moschoui-
 tarum, Polonorum, Gothorum, Britannorum, qui opti-
 matum imperium ignorant; populare detestantur. quin e-
 tiam Americi populi regiam potestatem ab extrema me-
 moria semper retinuerunt: id quod faciunt non docti, sed
 imbuti; non ab Aristotele instituti, sed ab ipsa duce natu-
 ra informati. cū autem audiunt in Italiæ aut Germaniæ
 quibusdam angulis optimatū imperia latere, mirantur id
 fieri posse. ita nostrorum hominum pleriq; Rempublicam
 Venetorum tandiu, id est annos circiter DCCC. stetisse
 mirantur, quia id sit repugnāte natura: regnū verò Gallo-
 rum non angustis paludibus contentum, sed longè latè pa-
 tens cū incredibili rerum gestarū gloria M.C.C. annos flo-
 ruisse non mirantur; quia nihil naturæ congruens mirum
 debet videri. Atque illud est, nisi fallor, cur Contarenus,
 Manutius, Maccianellus ac plerique alij Rempublicam
 Venetorum præstantissimam omnium esse aiunt. & qui-
 dem Michael Surianus Venetus summæ vir eruditionis
 ac virtutis, cū Lutetiæ legatum ageret pro sua erga me
 beneuolentia sæpe me de nostra, ego illum de sua Repub.
 humanissimè percontatus, differere maluit, ut prudenter
 omnia, quàm iudicare: nec ego de re tam ardua iudicium
 mihi sumo: sed quoniam unius imperium tuendum susce-
 pimus, nobis spīs repugnare videremur, si optimatum illud
 imperium probaremus. Aut igitur præstantia Venetorum

T ij est

est in bellica virtute, aut in legum æquitate, aut in religione, aut in imperij magnitudine & opibus, aut in artium varietate. bellica laude omnibus fere populis inferiores sunt. imperij magnitudine paucis admodum superiores: arte gubernandi & quæstiosa mercatura, cedunt Hispanis: artium varietate, Germanis: quam quisq; religionem priuatim colat, non magnopere curât, & pontificibus quæstiones impietatis ademerunt. restat legum præstãtia, quæ qualis sit, ex moribus ciuium intelligitur. Plato Spartiãtas fortes ac temperantes vocat, iniustos tamen: Romani fortes ac iusti habiti sunt: Hebræi religiosi: Massilienses iusti ac temperantes: Athenienses artibus: alij virtutibus aliis floruerunt. Veneti si qua virtute, profectò consiliis & prudentia præstant: aliarum virtutum laudem nec illis eripere, nec concedere velim maiorem quàm aliis. Sanè leges antiquas suæ ciuitatis magno studio colunt: in quo non minima laus inest. antiquitatis enim tanta species est ac maiestas, ut non immeritò dubitarit Aristoteles, utrum legi antiquæ noua melior debeat anteferri, nec quæstionem sibi definiendam putarit. hoc etiam magna laude dignum est, quòd socios & inquilinos, summa iuris æquabilitate fouent: peregrinos quoque summa prosequuntur humanitate: ac si qui præstât magnis opibus, illorum affinitatem quærunt, ut nobilitate nulla dos maior videatur. iam verò in cõsiliis de Republica capiendis, atq; omnino in bellis suscipiendis, in percutiendis fœderibus, in tuenda pace, magna prudentia utuntur. quæ cum maxima sint, maius tamen est ad imperium retinendum, quòd loci opportunitas aditus omnes facillimè prohibere potest. nam Genuenses olim,

& non

Et non ita pridem Ludouicus XI. Gallorum rex imperium illis planè ademerat, si urbem obsidere potuisset. itaque nihil urbi metuendum ab hoste. bellis autem civilibus hoc tempore iactari, aut res novas moliri non magno-pere possunt ij, qui armorum usu ac militari disciplina carent. Romani contra bellis civilibus ardebant, cum ab externis conquierant. itaq; cum ciuitas bene constituta militari ac domestica disciplina; nec legibus tantum, verum etiam armis contineri debeat, alteram summa cum laude tuentur; alteram omnino deseruerunt, ut Contaremus ipse fatetur. itaque cum ingruit hostis, non modò militibus, sed etiam imperatoribus externis uti coguntur. quàm prudenter; nescio: illud tamen omnium imperatorum consensiens opinio iampridem improbauit: nec certè plures ciuitatum interitus, quàm ea de causa memorantur. quare Bartholomæus Colionus, cui pro Republica bene gesta ut imperatori, statuam auream Veneti erexerunt, eos coarguisse dicitur, quòd seipsum Remq; publicam homini peregrino non satis prudenter credidissent. nam Corinthus non alia de causa in tyrānidem incidit, quàm quòd Timophanem imperatorem peregrinum euocasset. similiter Britanni ab Anglis, Hispani à Mauris, Graci à Turcis, quos ad praesidium euocant, de imperio deiecti fuere. Contaremus domesticae discipline, ac pacis tuendae causa militarem iacere scribit: verendum tamen est, ne cum alteram negligunt, utranq; amittant. illud quoque ad Reipublicae quietem non parum facit, quòd optimates secum ipsi, et cum Republica conspirant, ne inquilinorum multitudine si dissideant facile opprimantur. concors enim potentia paucorum, in-

quit

quit *Aristoteles*, non facile labefactatur. hoc etiam non parum confert, quòd magnæ ciuitates minùs opportune sunt seditiõni, ut *Aristoteles* tradit, propterea quòd magnam mediocrium hominũ multitudinẽ habent, qui summos cum infimis eadem societate coniungunt. sed nullum tuendæ optimatũ Reipublicæ maius præsidium est, quàm quòd nulla imperia perpetua sunt, nec sine collega tribuuntur: sed bimestri, aut trimestri, aut semestri spatio, vel ad summum anno definiuntur. quorum verò perpetui sunt & maximi honores, nullum est imperium; ut Ducis, Procuratorum *D. Marci*, Cancellarij. quòd si quis summa virtute, vel opibus, vel gratia reliquis præstet, vix admittitur ad summos honores: ne virtutis splendore suorum ciuium oculos præstringat. idque arcanũ imperij, quod imprudenter *Athenienses* & *Ephesij* ostracismo detegebant, ac nimis apertè virtuti bellum indicebant, intellectum est in morte *Lauredani* illius, qui ciues mutuis cædibus grassantes in seipsos, solo nutu sic terruit, ut proiectis armis discederent, quos tamen nulla vis magistratum potuerat coercere. tantam hominis priuati virtutem, qui *Rempublicam* grauissima clade liberarat, ferre non potuerunt: sed, ut ab *Italis* plerisque proditum est, veneno necarunt: at neque id affirmare velim, nec persuadere mihi possum. ducem tamen quem exarmatum cathenisque aureis vinctum domi tenent; nec strenuum admodũ, nec gloriæ cupidum, sed bonum ac simplicem legere consueverunt: veriti ne idem illis eueniat, quod *ranis palustribus* ab *Ioue* regẽ petentibus, quibus cum stipitem dedisset, ut *Æsopus* scribit, illæ indignari: iuppiter *Ardeã* raniorã mittere.

tere. postremum est quod imperiis vicissim & summa libertate fruuntur, pro qua tuenda ciues ac peregrini pacem libenter colunt. atque hæc præcipua ratio est, cur Rempubli-
 cam Venetorum maximè laudat, propterea quòd summa libertate illic uiuitur. at libertatis causa nõ sunt Respublicæ constitutæ, sed bene uiuendi. vix est autè ut vltus virtuti sit in ea ciuitate locus, in qua suis quisque moribus ac libidini tam effusè blanditur. nam si hominis fœlicitatem opibus, honoribus, imperiis, voluptate, summâq; libertate metimur, beata sit Respublica quæ his omnib. abundat: sin virtutem potio-
 rem ducimus, non video cur Venetia Rerumpublicarum præstantissima sit. nullum enim Reipublicæ malè constitutæ argumentum Platoni maius videtur, quàm magistratum & medicorum multitudo, quæ nusquam maior fuit quàm olim apud Athenienses, & his temporibus apud Venetos: ut mirum videri non debeat, si maiorem anni partem in creandis magistratibus consumere solent. hæc autem magistratum multitudo, vel ad honorum & imperandi cupiditatem inexplebilem, vel ad fraudes & scelera coërcenda, vel ad utrūque pertinet. at Lycurgi Respublica quæ omnium sermone laudatur, præter Senatum x x x. virorum, qui perpetui fuerunt, nullos habuit initio magistratus. nam magnus Pædonomus iuuentutis magister, imperio carebat. fallitur enim qui putant magistratum multitudine virtutis amorem ciuib. ingenerari, cùm nulla re magis dominandi & opum quærendarum cupiditates augeantur. nam qui semel imperij dulcedinem gustarunt, non modò parere dediscunt, sed etiam imperium ultro affectant, atq;

V. agrè

agrè deponūt. quare prudenter apud nos, de consensu omnium ordinum nuper lata lex est, ut illa magistratū multitudo, quæ sub Henrico rege malis quorundam artibus excreuerat in infinitū, ad pristinam formam redigeretur. nam quid attulit hæc magistratum multitudo, nisi furta, sordes, corruptelas, luxum, dominandi libidinem, ac litiū propagationem? nunquam certè scelerum & flagitiorum extitit impunitas maior. satis est igitur paucos esse magistratus, modò virtute quærat̃ur. nam ea ratione ciues omnes ad virtutem & honestatem inflammari necesse est, ut eos adipiscātur honores, quasi premium cuius spes ad omnes, exitus ad paucos recasurus sit. non igitur imperia, magistratus, honores beatos ciues efficiunt: multò minùs libertas nimia, quæ ciuitati bene cōstitutę exitium affert. at turpis est seruitus: licentia tamen peccandi turpior. quanquam si regis imperium ferre seruile est, debet quoq; seruile videri parentibus obedire. ac sæpe mirum mihi visum est, cur Veneti qui tam sapienter omnia, non etiam Censores, ut olim Romani, & his quoque tēporibus Lucenses ac Genuenses, creari patiuntur. hoc verò percommodè fieri poterat à procuratoribus D. Marci, qui per omnes honorum gradus eò conscenderunt. nam pontifices, quorum munus hoc proprium est, quiq; religionis opinione principes olim in officio cōtinebant, grauissimis cēsoribus egent. est enim censura tam graue, tamq; necessarium in Repub. munus, ut nulla re magis floruisse Romani videātur: quod intellectum est sublata censura: nam eo ipso tempore Reipub. splendor & maiestas unà cum virtute maiorum interiit. Hoc etiam Respublica Venetorum habet

incom-

incommodi, quòd cùm peregrinorum & inquilinorũ infinitam multitudinem admittant, metuendũ est ne ab illis de imperio deturbari possint: neque verò eius rei exempla de sunt. ob id enim Achai Trezenios, Samij Zancleos, Calcidenses Amphipolitas, à quibus erant in urbem sine honoribus admissi, eiecerunt; ut Pausanias & Aristoteles tradunt. eoq; magis metuendũ, si dissideant inter se optimates. ut Cnidi cùm soli honoribus frueretur, postea quàm dissidere ceperunt, eiectioni sunt ab inquilinis & plebe. id quod etiam contigit apud Mitylenæos, Hestienses, Phocenses: & non ita pridẽ apud Senenses, Genuenses, Tigrinos: qui cùm de honoribus inter se cõtenderent, à plebeis sunt de imperio depulsi. Corcyraei crudelius, qui omnes in carcerem coniectos acerbissimis suppliciis affecerunt, ut Thucidides scribit. Agrippinenses inquilini pari furore optimatum bonam partem occiderunt, quòd soli honores consequerentur, & tributa grauiora imperarent. consimiliter Lindauiorum inquilini cæsis optimatibus, Tribunos plebis crearunt. quantus autem fuerit sociorum & inquilinorum erga Venetos amor, indicarunt bella Cretensia; tum Patavij, Verona, aliarumque urbium Gallis factæ deditiones: quo tempore optimates omnibus tributis & vectigalibus socias urbes leuarunt, ut Bembus autor est, à quibus tùm maxime iuuari debuissent. quod satis erat argumẽti magis illos metui quàm amari. nos verò accepta clade, tum maxime fortunas omnes ac sanguinem fundimus pro regis ac Reipublicæ salute. Ac ne omnia differantur, nullum maius est optimæ ac præstatis Reipublicæ iudicium, quàm hostes fortiter arcere, & in summa tranquillitate

litate ciues continere. Veneti ab hostibus facile vinci cōsueuerūt: nec ciues ita cōtinere potuerūt, quin duces octo-
decim supplicio, vel exilio affecerint. tot enim Sabellicus tradit, ex quo statum optimatum instituerūt. omitto bella ciuilia quæ in media vrbe sæpius gesta sunt, cūm militarē colerent disciplinam. omitto coniurationes Bochonianas, Falerianas, Tepolianas, Baiamontanas, quæ obsessis senatoribus & crudelissima ciuium strage, Rempub. miserè lacerarūt, prætermitto tam graues tamque diuturnas Iustinianorum, Scauolarū, Seliarum, Basseorum seditiones, exilia, cædes non aliam ob causam, quàm quòd nulla fides regni sociis. ac sæpius idem euenit quod in nauì a gubernatore destituta: hoc enim Polybius utitur exemplo: nam cūm alius clauum torquere, alius vela facere, alius contrahere conatur, vectores cum tot gubernatoribus misere periclitantur, ac tandem in portu spectātibus turpe sui naufragium edūt. quis autem non vidit Germaniam Turcarum, Heluetiorum, Hispanorum, Gallorum denique & Italarum, postremò suorū ciuium armis fœdissimè vastari, quæ cūm regia potestate gubernaretur, populos omnes suis armis ac viribus facilè superabat. Ex quibus intelligitur regnum longè præstantius esse optimatum potestate. refellenda est igitur Iosippi ac eorum opinio qui Deum putant regnum in sacris literis execrari, & optimatū imperium apud Hebræos constituisse. sic enim tradit Iosippus libro V 1. cap. V 1. antiq. quòd igitur attinet ad verba Samuelis, non regnū ab eo, sed tyrannis describitur: contra quàm putat Melanchtho. quis enim mediocriter in Hebraica lingua versatus, ignorat מלך regem aequè ac tyrannū significare?

gnificare? sic enim dicitur Abraham reuersus à cade regum. vox autem מלכות non iura regis significat eo loco, sed morem & consuetudinem, ut optimiquiq; interpretes aiunt. ac nisi tyrannus describeretur, cur Moses Deuter. xvi. iuberet regem singula præcepta legis condiscere, populúmque ex lege diuina moderari? nam ex eo capite non solùm popularis & optimatum potestas reicitur, sed etiam regia probatur. tum etiam illud; Principi populi non maledices, unius imperium capit. Mosem verò planè regiam habuisse ex eo colligitur, quòd iniussu populi & optimatum, leges iuberet, Senatum cooptaret, magistratus eligeret, pontifices crearet, seditiosorum ciuium ampliùs quadraginta millia sine iudicibus eodem momento capite plecteret, denique Iosua principem, quo nihil maius fieri potuit, per sese renuntiaret. eo mortuo senatores Othonielem deinde Aioda ducem elegerunt: itaque P. Martyr rectè scripsit aristocratiam cepisse cum dux Othoniel est à Senatoribus creatus. quanquã placet interpretibus non humanis consiliis, sed iussu diuino duces creatos. itaque Gedeon dux electus; Non dominabor, inquit, vestri, nec filius meus, sed dominabitur vestri dominus. postremò cum filij Eli ac Samuelis intemperanter se gererent, & optimatum potentia in factionem degeneraret, plebs irritata regem petiit. tunc enim seditiones conquierunt. quare Moses Ægyptius scribit templum lege diuina prohibitum edificari quoad regem haberent, qui tumultus imperandi potestate prohiberet. sunt hæc illius scripta lib. III. c. XLVII. perplexorum. ex quibus regiam potestatem Deo placuisse constat: tyrānidem displicuisse. igitur

Status &
conuersiones
Imperij
Hebræorū.

Vij rege

rege creato senatores non ad summum imperium sed ad consilium, ut Moses constituerat, admitti ceperunt. quòd enim Romulus causas leuiores à senatu, grauiores à se iudicari voluit, ut est apud Dionysium: idem quoque Moses statuit in creando Senatu, quemadmodum scribitur Num. cap. x i. quare quòd Caldæus interpres in Hieremiam, Senatum unius & septuaginta virorũ (quos Hebraei שפטים, ipse Græca voce corrupta Sanedrim appellat) scribit habuisse legis sancienda ac iudicandi summã potestatem, etiam sub regibus ipsis, ad legis promulgationem & iudicia spectat: ut apud nos curiæ superiores habent legum promulgationem, quam imperiti sanctionem esse arbitrantur, quæ solius principis est. idem Caldæus interpres subiicit iudicia de tribu, de pontifice max. de maiestate, de falso propheta, non nisi à senatu explicari potuisse: ab eodem Senatu x x i i i. viros capitales, qui רני גפסת, id est animarum iudices, & quinque viros iudices pecuniarum ac bonorum, id est רני סמונות, in singulis urbibus constitutos. postremò senatores sublegi solitos ab ipso Senatu, cuius fuit perpetua potestas. quæ tamen omnia iussu regum sanciebantur, ut præter decreta nihil haberet Senatus. quod videre est in iudicio Herodis, qui cædis impuberũ postulatus, in Senatu Hebraorũ causam dixit: sed tamen Hyrcano rege ac Pont. max. iubente, à quo etiã absolutus est non à Senatu, quemadmodũ scribit Iosip. libro x i i i i. cap. x v i. nã cum ante à mortuo Salomone filius eius tyrannidẽ usurparet, diuisus est populus, ac duo regna, vel potiùs duæ tyrannides constitutæ, una ex tribu Iuda & Benjamin: altera ex reliquis, ut tãtũm auctorita-

auctoritatis Senatus haberet, quantum à regibus vel tyrannis permetteretur: quemadmodum imperatores Romani pro sua quisque voluntate Senatus detraxerunt. & quemadmodum Senatus Rom. quosdam imperatores hostes iudicauit, aut capitis damnauit, ut Neronem & Maximinum: ita quoque Senatus Hebraeorum de Herode adhuc adolescente iudicauit, quem damnasset nefariae caedis, nisi ab Hircano rege prohiberetur. Sed Herodes maior factus ac imperio potitus regem Hircanum ac senatores omnes interfecit excepto Samea, quem tamen aduersarium omnium maximum habebat: hominis tamen virtuti pepercit, ut est apud Iosippum lib. xiiii. Ex hac igitur Reipub. forma constat imperium Hebraeorum ab ortu sui principio sub regibus clx. annos floruisse: deinde optimates annos ccxliiii. pertulisse: tum regiam potestatem (quae non multo post in duplicem tyrannidem diuisa est) annos ccccxvi. ac tandem ab Assyriis euersam: prius tamen reges Samariae, ac decem tribus in Caldaeam abductas: deinde reges Hierosolymorum cum reliquo populo: qui cum annos lxx. exulasset, post liminio reuersus in patriam sub regibus iisdem & pontificibus tandiu floruit, quoad intestinis seditionibus & bellis finitimorum nunc in Aegyptiorum, nunc in Graecorum, postremo in Idumaeorum potestatem veniret. ad extremum redacta Iudaea in prouincia formam ab Augusto, pertulit imperium Romanorum, à quibus centesimo post anno desciiuit: quibus temporibus Titus Hierosolyma expugnata, & funditus euersa, tanta populi strages, tum in Asia tum in Africa secuta est, conspirantibus finitimis omnibus ad unius populi eersionem,

ut

ut gens illa penitus interiisse crederetur. profecto caesorū numerus à Iosippo relatus superat myriades triginta. reliqui in miseram seruitutem abducti, adhuc toto terrarū orbe dispersi vagantur. Cū igitur regia potestas à natura sit, id est à Deo natura parēte instituta: à Magis Persarū singulari iudicio delecta: ab Homero, Xenophonte, Aristotele, Plutarcho, Dione, Apollonio, Hieronymo, Cypriano laudata: denique ab Augusto post anxias Mecenatis & Agrippæ disputationes suscepta: postremò popularū omnium, aut maximè illustriū summa consensione, & experientia diuturna comprobata; quid amplius de optimo statu Reipub. disputandū? Reliquū est ut regis electionem necessariis argumentis refellamus. putat Aristoteles perniciosum ac planè barbaricum esse reges à stirpe duci: nam reliqui nihil definiērūt: & lib. 1 1 1. ad extremū, Lacedæmonios Cartaginensibus inferiores putat, quòd hi reges eligerent: illi ab Hercule ducerent. barbari sunt igitur Ægyptij, Assyrij, Persæ, Macedones, Pæni, Ethiopes, Abissini, Turcæ, Indi, Tartari, Moschouitæ, Poloni, Dani, Suecij, Britanni, Itali, Galli, Hispani, Americi: denique omnes ubique terrarū populi, excipio Germanos, Heluetios cū fœderatis, Venetos, Rhagusios, Lucēses, Genuēses, qui optimatū, aut populari potestate regūtur. quòd si tot populi barbari sunt, propterea quòd reges à stirpe ducunt, ubinam erit humanitati locus? quòd verò perniciosum putat, multò mihi absurdius videtur. primū enim interregnū valde periculosum est, quia Respublica veluti navis sine gubernatore seditionū fluctibus iactatur, ac sepe mergitur. quid autē miserius quàm in interregno Sultanorum

Ægypti

Ægypti plebem à Memmelucis impune diripi? quid sceleratius quàm in interregno Pontificum Romanorũ omnia cadibus ac stupris impunitate proposita misceri? principis autem eligendi ratio planè inexplicabilis est. non enim ab uniuerso populo, id quod Aristoteles voluit, rectè fieri potest, cum ratione ac prudentia destituatur. ergo à paucis & optimis id fiat oportet. sed renitetur populus, repugnabunt legiones. hinc illa tam graues ac diuturnæ inter Senatum Romanũ & Prætorianos discordiæ. quisquis enim placuerat Senatui, legionibus displicebat. ac sæpe legiones variis in locis, & plures eodẽ momento Imperatores creabant, ut uno tempore x x x. facti sint. hinc bella ciuilia, cædes, bonorum proscriptiones, ac imperij totius miseranda distractio. illud etiam perniciosius quòd sceleratissimus quisque imperiũ inuadit: boni tantũ onus sponte repudiant. ac si fortè princeps ea prudentia fuerit, ut successorem imperij virum bonũ renuntiare velit, quod sapienter est à Nerua, Traiano, Adriano, & Antonino pio factũ; barbarum id existimabũt regum electores. iam verò cum spes imperij ad omnes, exitus ad unum spectet, necesse est ut latronibus ac veneficis pateat imperij aditus cæso gubernatore. & cum Reipublicæ fundamentum nullũ maius sit, quàm in obsequio subditorum erga principem, qui fieri potest ut eius imperia non respiciant quẽ obscuro loco natũ, aut aliquando sociũ fuisse, aut scelere, vel opibus imperium quæsisse putabunt? nihil enim vsitatius quàm Imperatores Rom. pecudũ in morẽ à suis necari: neq; enim pauciores triginta numerantur. nec magis quietæ fuit Respublica, quàm cum filius patris imperium excepisset,

X id

id quod *Aristoteles metuēdū putauit. nec prius inter Germanorum principes bella pro imperio geri desierunt, quàm pater filium Cæsare designaret: ut Henricus III. filiū adhuc puerū curauit eligendū, à quo nepos est adoptatus. & Carolus III. filium habuit successorē: hic fratrem Sigismundum, qui sibi generū adoptauit: Fridericus Maximilianum, hic nepotem. ceteri magna ex parte coniuratione aut veneno interierunt; Rudolphus, Albertus, Henricus VII. Fridericus III. Ludouicus Bauarus, Carolus Hērici nepos, Guntherus. Ex Ægypti Sultanis qui non plures xv. creati sunt, septem à Memmelucis, à quibus eligebantur, cæsi numerantur: puta Turquem enius, Melafchala, Cothos, Bandocader, Muhamedes, Cercassius, Giapalatus. Sephadinus verò Saladini frater electus à suis, decem fratris filios crudelissimè necauit, ut tuto regnaret. nec aliter Turcæ, qui spem imperij posuerunt in electione Prætorianorum, quàm mutuis cædibus imperium adipiscuntur. postremo, Romanos pontifices, quanuis senio fracti eligantur ne diutiùs regnare possint, veneno necari trāslatitiū est. interim qui præfecturis aut prouinciis præsunt, de imperio deturbari nolunt: ut apud Germanos duces & comites, perinde ut apud nos prouincias imperij hac ratione usurparunt. hoc enim Hugo Capetus ut regnaret, pactus est suas quæque præfectū prouincias domini iure habiturum. ita paulatim feuda, imperia, iurisdictiones successionis iure deferri cæperunt. ita quoque Germanis accidit. nam Saxonia prouincia Henrico I. concessa est hunc in modum anno c^o x i i i. aliam alius adeptus est, ac paulatim etiam urbes: ut faciliùs imperiū adipisce-*

adipisceretur, uectigalibus liberarunt; ut Nouiomagum: quasdā accepta pecunia sua libertati omnino restituerūt, ut Rudolphus omnes Hetruriae urbes anno M C C X X X. Lucenses X I I. Florentini sex aureorum millibus libertatem redemerunt. post etiam Rupertus tres urbes Germania filio concessit. Carolus I I I I. Mediolanum praefecto vendidit: Otto Isniam, Ludouicus Egram: Fridericus Norimbergam: Ulma seipsam libertati asseruit, ut aliae complures. idem contigit Rom. Pontificibus ut eorū praefecti tyrannidem provinciarum usurparent: ut antea docuimus. at cū regni certa spes est ac legitima successio, prouincia distrahi non possunt. Quantō igitur beatiores Assyrii, Persae, Aegyptij, Macedones, Galli, qui tot aetatibus ac seculis in summa tranquillitate floruerunt, non aliam ob causam quā quod reges à stirpe sibi quaesierunt? ut enim omnia quaeramus, nullū profectō reperiemus bene constitutę Reipublicae maius argumentum, quā diurnitatem ipsius. iam verō Abissini qui annos D C C C. imperium totius Africae maximū tenent, reges ab una & eadem gente semper quaesierūt: ac ne gens aliquādo deficiat, neue plures imperandi cupiditate populū in varias partes distrahant, ut apud Turcas & Persas saepe contigit: aut parricidiis se polluant, ut Deiotarus qui numerosam sobolem uno excepto interfecit, quō tutius ille regnaret: gentiles regis (quos Israelitarū filios vocant) simul educantur, in arce fortissima & excelsa monte Anga, ut Aluarezus tradit, quo nisi per abrupta & angustissima loca perueniri non potest, eaq; validissimo praesidio muniuntur. mortuo rege non proximus agnatus, sed qui magis idoneus

X ij optima-

optimatibus & custodibus videtur, eligi consuevit: qui mos etiam apud Danos, Suecos, & Hungaros inoleuit, ut ex pluribus liberis, arbitrato suo quemuis cooptet: hūc igitur Abissini educentes ex arce, veluti Deum aliquem caelo delapsum maximis honoribus & obsequiis prosequuntur. ac tametsi prouincia quinquaginta vnius imperio gubernantur, nullae tamen sunt vrbes mœnibus septae, nullae arces: ne vel propugnaculis potius quam populi beneuolentia confidere, vel seditiosis rebellandi occasionem praebere videantur. quid autem imperia Parthorum & Turcarum ad tantam gloriam euexit, nisi quod hi Ottomanorum, illi Arfacidarum sanguine ac fiducia freti populum in sui admirationem & obsequium traxerunt? fallitur enim Macciauellus, qui existimat caeso principe Turcarum unam cum liberis, imperium illud collapsum iri, quod nulli sint principes ad quos imperium iure peruenire possit. restant enim quattuor gentes, quae generis splendore ac vetustate Ottomanis se iam pridem aequarunt; Michalogli, Ebrenes, Turacani, Maloconij, qui ab eadem qua Ottomanis stirpe ducuntur. hi tamen ab aditu principis & Republica prudenter summouentur, ne res nouas moliri possint. nec verò alia ratione Pœni, Persae, Galli, Britanni, Hispani commodius imperium tueri possunt, quam successorio edicto. quinetiam Florentini accepta libertate, cum ciuili sanguine urbem ac seipsos diu fœdassent, nec ullum exitum reperirent, uno consensu per legatos à pontifice max. quaesierunt, ut regiae stirpis hominem mitteret, ad quem ius imperij deferrent: eò Carolum Valesum misit, cuius praesentia seditiones repente conquierunt. tantum valet sanguinis ac generis opinio ad ho-

mines

mines mutuis obsequiis & amicitia coniungendos: qui sane finis est rerum omnium publicarum. neque tantum proximis agnatis, sed etiam primogenitis imperium lege deferendum: alioqui caedes inter liberos, ac bella civilia saepe futura sunt, & quidem tanto grauiora quam inter peregrinos, quanto grauiores sunt fratrum inter ipsos offensiones. argumento sint Turcarum crudelissima parricidia, quae tandem illi Reipublicae ruinam sunt allatura: quod cum metueret Selinus huius pater, postea quam Solymanum filium suscepisset, omnem curam procreandorum liberorum abiicit. hic vero Deiotarum imitatus non prius quieuit, quam filios omnes praeter unum interemptos vidit. ac si primogenitus spem imperij solus haberet, ceteri hunc sibi colendum proponerent: ut videre est apud nos, ubi nulla fratrum parricidia contigisse memorantur. Est igitur regia potestas hoc modo constituta; omnium, ut quidem mihi videtur praestantissima, ciuitatibusque maxime salutaris, ac velut harmonia suauis moderata concentu. Nam quod Plato voluit Respublicas geometrica ratione gubernari: subtiliter ac ingeniose Aristoteles illud solum ad premia pertinere iudicauit: ac rationes arithmeticas ad rerum contractarum fidem & poenas adiunxit. quam verè non disputo: sed de Harmonica ratione nihil uterque hanc tamen velut omnium pulcherrimam, ad imperij optimi statum pertinere puto. primum quod sola ex arithmetica geometricaque ratione conflatur, utrique tamen dissimilis. nec potest ad poenas aut premia, neque ad pacta pertinere: cum in his aequalitas arithmetica insit, in illis geometrica aequalis similitudo: in harmonia superā-

ris & superati sola ratio inest. & quemadmodū primum interuallum scilicet ab uno ad binarium in dupla ratione, concentus omnes amplectitur: sic in uno & eodem principe sumum imperium inest: & ab eo fluit ad omnes magistratus. alterum interuallum duorum ac trium, ratione sesquialtera diapente; tertium diatessaron complectitur, & utrunque primo interuallo comprehensum est. quartum nullum efficit concentum. consequentia interualla uehementer discrepant: ac tonus deinceps in partes innumerabiles distribuitur. nam quò numerorum multitudo magis ac magis augetur, eò magis imminuitur toni potestas, quousque ad ectomen perueniatur: ut perspicuum sit tam abhorre à natura ut imperiū pluribus tribuatur, quàm concentus numerorum multitudini, si perpetuam numerorum seriem sequamur. illud autem quod musicæ rationis proprium est; scilicet ut sui partibus numeri superent, & secum ipsi ratione cōuersa bene concinant, soli monarchiæ congruit, in qua quidem imperium ad magistratus sensim ita defertur, ut quemadmodum inferioribus imperant, ita superioribus pareant vicissim: quousque ad principem unitatem perueniatur, à qua velut à fonte perenni manat imperij totius maiestas: ac propterea segregatur unitas à numeris, & extrà ordinem collocatur. utrum verò potestatibus & imperiis congruant harmoniæ rationes, aliorum in re tam obscura iudicium esse malo, quàm id primus affirmare. hæc tamen ratio triplex. Arithmetica, Geometrica, & Harmonica; tres mihi Themidos filias, ut poëta fingunt, significare videtur: quarum quæ media est, alteras suo complexu fouet: ipsi iudicium, iustitiam, & pacem

G. 1. 2. 4. 8.

M. 2. 3. 4. 6.

A. 3. 4. 5. 6.

pacem interpretatur. est enim pax, harmonica rationi mirum in modum congruens, imperiorum ac rerum publicarum præstantissimus atque optimus finis. nec aliud, opinor, efficere sunt conati veteres illi legumlatores, cum suos ciues mutuis inter se conuiuibus conciliarent. hinc Minos conuiuia Cretensium, quæ ipsi ἀνδραγαθία vocarunt: Lycurgus φιλιὰς vel φιλιὰς: Plato συμπόσια: Moses σινηγογία, & magnum ἑορτή quod Græci corruptè πᾶχος dixerūt, festis epulis coli iussit. hinc Atheniensium ἐσιτία in Prytaneo, tum etiam epulæ in Panathenæis ac Thesmophoriis: hinc Romanorum cœnæ in Capitolio & in publicis sacrificiis, ad idque creati Epulones, quorum exemplo Veneti quattuor publica conuiuia instituerunt: quinetiã legislatores Heluetiorum mutuas illas computationes in Schafis, quæ propter ebrietates nunc edictis prohibentur, usurpari voluerunt, ut non modò ciues agrestes ac rudes ad humanitatem & honestatem: sed etiam ab odio, vindicta, litibus; ad pacem, amorem ac beneuolentiam reuocarent. quæ omnia pertinent ad eam quæ de cælo delapsa est regulam, quæq; à Christo summo legislatore in sacris epulis toties usurpatur; ut scilicet amemus inter nos. Cætera quæ de optimis Rerumpublicarum legibus dici possunt, alterius sunt disputationis ac loci. neque enim de optima Republica, sed de optimo imperij statu hic agimus. quamquam leges omnes de optima Republica, diriguntur ad optimam principis institutionem. nihil enim ab oraculo diuinius dici potuit, quàm quòd à Platone dictũ est; Quales in Republica principes fuerint, tales fore ciues. id enim experientia diuturna plus satis compertum habemus.

nec

nec longius exempla petenda sunt, quàm à Francisco I. rege Gallorum, qui ut primùm literas, à quibus sui maiores semper abhorruerant, amare cœpit, statim secuta nobilitas est: deinde reliqui ordines tanto studio bonas artes conquiesierunt, ut nusquam literatorum extiterit copia maior. Sed cum difficile sit vel paucos optimates, qui aliquando Reipub. princeps futuri sint, virtutibus informare; multos etiam difficilius; ciues omnes difficilimum: consequens est ad unius principis institutionem optimi sapientiæ magistri ac moderatores maximis propositis præmiis conquirantur: non qui peregrina lingua, id quod ineptè ac perniciosè antea factum vidimus, sed qui religione vera molles principis animos leniter imbuant. nam omnium quæ de legibus & Reipub. disputantur, nihil maius est, aut maiore studio dignum, quàm ut princeps intelligat se ad verum Dei cultum in hac lucem venisse. in eo solo versatur Reipublicæ ac legum omnium suprema salus. qui enim princeps à disciplina sic erit informatus, ut suarum omnium actionum iudicem ac spectatorem Deum esse cogitet, nihil impiè, nihil sceleratè faciet, nihil turpe cogitabit. hunc unum sui ciues amabunt, metuent, ac eius exemplo vitam, moresq; suos informabunt: ut fertur de Ludouico I. & Eduardo I. regib. qui propter vitæ summam integritatem inter diuos habentur. nam eorum legibus ac optimis vitæ institutis Gallorum & Anglorum imperia diutissimè steterunt. ac sæpe reges Anglorum de imperio depulsi fuere, cum populum leges D. Eduardi petentem asperrantur. hoc igitur regni fundamentum est, sine quo frustra leges in principem ferantur. propterea quòd improbos ab iniuriosa facinorosaque

cinorosaque vita magistratum metus, non religio deterret: principem verò quis magistratus, quæ leges, quæ imperia coërcebunt, nisi religionis metu cõtineatur? at etiam religionis tanta vis est ac maiestas, ut per sese non modò vitiorum sit expultrix, & virtutum omnium cõciliatrix, in quo vertitur summum hominis extremumque bonum: verum etiam principi adeò necessaria, ut nulla re magis imperium retineatur; quod etiamnũ Aristoteles primũ, deinde Polybius & Epicurus numinis diuini cõtemptores fatentur: ac propterea libros Epicurus de religione scribendos sibi putauit. sed quoniam principum cupiditates quamplurimæ existunt, quæ restingui facile non possunt; alterum principis instituendi momentum erit, ut solida veraque laude pascatur, in eaque sensim adolescat. sic enim D. Thomas ex Aristotelis opinione principem instituendum putauit: qui si gloria non erit contentus, in tyrannum euadet. quæret enim opes ac voluptates. hinc ad rapinas & stupra conuertetur. id quod accidit Dionysio iuniori, quem pater in otio ac deliciis ita educarat, ut neque ex ergastulo in lucem prodiret, neque ullis omnino disciplinis imbueretur, nec veræ laudis gustum ullũ haberet. itaque cum adulatoribus perniciosissimis tantisper voluptatibus indulset, dum ex illa tyrannide, velut ex arce de turbaretur. qui autem gloria cupidus erit, non modò infamiam ac vitæ turpitudinem fugiet, sed etiam intelliget verũ decus in sola virtutis actione versari, qua quidem regat improbos, tueatur bonos, factaque fortium & sapientum, laudibus ac præmiis cum improborũ ignominia sempiterna prosequatur.

Y CONFV-

qui quattuor monarchias aureaque se-
cula statuunt. Cap. VII.

IN VETERATVS error de quattuor imperiis,
ac magnorum virorum opinione peruulgatus
tam altè radices egit, ut vix euelli posse vi-
deatur. habet enim propè infinitos bibliorum
interpretes: habet è inuicioribus Martinum, Melanchthonem,
Sleidanum, Lucidum, Funccium, Onuphrium; re-
rum diuinarum & antiquitatis homines valdè peritos:
quorum autoritate fractus aliquando minimè dubitandū
esse putabam. mouebam etiam oraculo Danielis, cuius fi-
dem eleuare, scelus; autoritatem infringere, nefas est. postea
tamè verba Danielis obscura & ambigua in varios sen-
sus torqueri posse intellexi: & in oraculis interpretandis,
malui iudiciorum illam formulam, NON LIQVET, usur-
pare, quàm temere ex aliorum opinione re non intellecta
cuiquam assentiri. ac valde mihi probatur Caluini non
minùs urbana quàm prudens oratio; qui de libro Apo-
calypseos sententiam rogatus, ingenuè respōdit se penitus
ignorare quid velit tam obscurus scriptor, qui qualisque
fuerit nondū constat inter eruditos: ita nō video quemad-
modum beluas & statuam Danielis ad ea, quæ nūc ubi-
que florent, quæq; tot seculis floruerunt imperia traduca-
mus. Principiò monarchia nobis est imperij ac regionis
quibusdam finibus constituenda, vel principis aut populi
origine clara, ut intelligatur quid sit illud quod monar-
chiam vocant: quod cū huius disputationis caput esset,
non

non satis aptè definierunt interpretes oraculorum. posuerunt enim ex illa visione quattuor belluarū ac statuae, totidem imperia significari: puta Assyriorum, Persarū, Grecorum ac Romanorum; nec plura fore augurantur. Germanos autem Romanorum imperio præesse. quod cum à Germanis scriberetur, ad sui nominis & imperij gloriam scriptū esse iudicari: est enim ab interpretatione Danielis omnino alienum. placet igitur suis ipsos rationibus confutare. ac primū illud quod ait Philippus Melanchtho monarchiam sibi videri summam unius Reipublicæ potentiam, quæ aliarum opes & copias superare possit. utendum erat igitur imperij verbo, cum monarchia de populari Romanorum statu dici non possit. si tamē ommissa verborum subtilitate rem teneamus, profectò Germani non satis ad id quod volunt accommodatè monarchiam Romanorum usurpant, quum vix centesimam partem orbis terrarum sua ditione teneant, & Hispaniarum princeps imperium habeat Germanico maius, tum populorum multitudine, tum amplitudine regionū: ut omittam regiones Americas (quibus ex magna parte dominatur) Europa triplo maiores. at ne regi quidem Lusitaniæ pares sunt, si regionum longitudine imperium definiamus. nam is universam pene oram Africae armis occupavit, ac fortissimis propugnaculis barbarorum impetus sæpe repressit. hic dicet aliquis, non hominum multitudinem, aut latifundia nobis, sed vim ac robur spectandum esse: quòd equidem illis assentior: non tamen video quomodo Germania Hispanorum ac Italarum legionibus duce Carolo V. resistere potuit: qui nisi Gallorum virtute reuocatus esset, Impe-

rium illud in prouinciæ formam redegerat, ut Germani clarissimis ac sempiternis monumentis testatum reliquerunt: nobisque parem gratiam retulerunt. sed ad exteros veniamus. quid habet Germania quod principi Turcarum opponat? aut quis merito maiore monarcha dici potest? patet hoc quidem omnium oculis. si enim est usquam terrarum vlla maiestas imperij ac veræ monarchiæ, in eo profectò elucet. occupat enim opulentissimas Asiæ, Africæ & Europæ partes, totòque mari mediterraneo & insulis omnibus, exceptis admodum paucis, latè regnat. armis autè ac viribus tātus est, ut vnus omnibus ferè principibus par esse possit; cum Persarum ac Moschouitarum copias extra fines imperij longè repellat. Christianorum verò prouincias & imperium Græcorum armis occupauit, atque etiam Germanorum agros populatur. omitto Æthiopiæ principem, qui à suis lochan Belul, id est gemma pretiosa dicitur; cuius imperium paulò minus est uniuersa Europa. quid Tartarorum imperator? qui gentes immanitate barbaras, multitudine immunerabiles, viribus indomitas habet, quibuscum si Germaniam compares, muscam elephāto. Absurdum est igitur quod Germani monarchiam, id est ut Philippus interpretatur, Rerum omnium publicarum potentissimam: absurdius etiam quod imperium Romanorum se tenere putant: quod omnibus valde ridiculū videatur, qui orbis descriptionem animo penitus comprehensam habent. Fuit enim Romanorum imperium sub Traiano florentissimum, neque antea maius extitit, & postea semper est imminutum, ut videre est ex Appiano & Rufino, qui Traiani temporibus scripserūt. Danubio
quidem

quidem & Orcadibus à septentrione: Gadibus ab occasu: Euphrate ab ortu: Oenoplia verò à meridie terminabatur, cum Traianus lapideo ponte supra Danubium extracto Daciã imperio adiecit, ac de rege Decebalo triumphavit. deinde fufis Parthorum legionibus Euphratem transmisit, ac Mesopotamiam magnamq; Arabia felicis partem cum imperio maiorum coniunxit. quod ante à Põpeius tentare noluerat, tametsi roganti Parthorum regi ut pateretur Euphratẽ imperij Romani ac Parthici terminum esse, respondit Romanorum imperium non fluminibus, sed iustitia terminari. at Germani nullam imperij Romani partem, præter Noricum & Vindeliciam, occupant. Germania quidem Rheno, Danubio, Vistula, Carpatho, & Oceano continetur, sed omne illorum imperium clauditur radicibus Alpium à meridie: Rheno & paucis quibusdam citra Rhenum urbibus ab occasu: Silesia verò ab ortu: Balticis regionibus à septentrione. quãtò verius est de Turcarum rege, qui Bizantiũ Imperij caput, Christianis: Babylonis regionem, qua de agitur apud Daniele, Persis ademit, & magnam suæ dominationis partem ultra Danubium usque ad Boristhenis ostia, veteribus Romanorũ provinciis coniunxit? Siue igitur armorum vi, siue opum magnitudine, siue fertilitate regionum, siue numero victoriarum, siue multitudine populorum, siue nominis etymologia, siue patria Danielis, siue imperij Babylonici sede, siue ditionis amplitudine monarchiam definiamus, profectò Danielis oraculum de principe Turcarum interpretari æquius erit. Quanquam sunt adhuc ac fuerunt non quattuor modo, sed prope infi-

*nita imperia Babylonico maiora. omittunt enim imperiū
 Caldæorum, qui primi Babylonis fundamenta iecerunt.
 omittūt imperium Medorū, qui Assyrios depulerunt. &
 certè Nabuchodonosor genere Medus fuit nō Assyrius.
 obliuiscūtur quoque imperij Parthorum, qui Græcos de-
 turbarunt, & Romanorum potentiam sæpe fregerunt, ca-
 ptiuos imperatores sæpe abduxerūt, sapiūs eorum prouin-
 cias inuaserunt. pretermittunt Arabes, qui Babylonicum
 imperium occuparunt, & magnam Asia, Africa, & Eu-
 ropæ partem armis domuerunt. quòd si Caldæos, Medos,
 Assyrios, Parthos eadem imperij appellatione complectū-
 tur, cur non Persas quoque illis finitimos adiungunt: præ-
 sertim cum Medi longè fuerint remotiores; Parthi verò
 remotissimi à Babylone, quam tamē occuparūt? nā si mu-
 tatio principū à Medis ad Persas imperij varietatē affert,
 id est unius Cyri dominatus genere ac moribus cū Medis
 coniūctissimi, cur non idem de Caldæis, Parthis, Medis,
 Arabibus iudicandū erit? qua igitur ratione Cyrus Per-
 sa nouam monarchiam constituit, eadem illi monarchias
 quoque efficient. & Traianus Hispanus monarchiam
 Hispanicam; Caracalla, Carus, Carinus, Antoninus na-
 tione Galli, monarchiam Gallicā. idem iudicium erit de
 Alexandro & Heliogabalo Syriis: de Philippo Arabe:
 deque Totila Vitige, Theodato Alarico Gothis; qui non
 tantūm prouincias, sed etiam ipsius imperij Romani ca-
 put inuaserunt, Italiam oppresserunt, Urbem denique fer-
 ro ac flamma vastarunt: postremò vi & armis Italiam
 annos LXX. tenuerunt, cū Alexander magnus, qui
 Persarum opes fregit, vix annos duodecim imperarit, sed
 quasi*

quasi fulgur coruscans in varias partes disiliit: ita suum imperium ad principes quattuor delatum paulò post evanuit. Illud verò ineptius visum est, quòd Carolum magnū (qui quam monarchiam vocant primus occupavit) natione Gallum, in Gallia natum, lingua quoque, moribus & institutis Gallorum unà cum suis maioribus educatum, modò Germanum, modò Alemanum vocant. tametsi enim à Francis veterum Gallorum coloniis originem plerique traxisse putent, non tamen negant quin Gallorum armis ac legionibus Germaniam, Italiam, & magnam Hispaniæ partem cum imperio Gallorum coniunxerit, ac primogenitis Galliam, velut imperij sedem, alias aliis regiones ab hoc imperio auulsas dederit, quousque Henricus Auceps natione Germanus, regem se ferens Germaniam huius imperij partem occupavit. multò veriùs igitur ac iustiùs Gallica monarchia dici debet, quæ priùs virtute Gallorum parca est, quàm Germani monarchiæ verbum audissent. Quis autem negare potest quin Britanni suam quoq; monarchiam multò veriùs quàm Germani sub Constantino magno stabilierint? cùm enim fuerit natione Britannus (tametsi Romano patre satus) genere nothus, cõtraque Senatus & populi Romani volũcatẽ ab ultimis oris in Italiã venit, Romanos imperatores armis fregit, religiones ac instituta maiorũ aboleuit, Christi nomen colendum proposuit, imperij sedem Bizantium transtulit, Romanis omnem dignitatem ademit, denique Urbem ipsam de suo nomine appellavit. quòd si Persarum monarchiam facit origo Cyri sanguine patriãque Assyriis finitimi, cur monarchiam non efficiet hoc tam novum, tamque

támque insolens Constantini imperium, quod generis, locorum, legum ac religionum tantam conuersionem attulit? Sed mirum cur Arabum monarchiam omittunt qui uniuersam pene Africam, Asia quoque magnam partem non tantum armis ac legibus, sed etiam religionibus ac lingua uti coegerunt: Persarumque copias fregerunt & in tantam seruitutem redegerunt, ut eos à literis & disciplinis omnibus omnino prohiberent. Mirum quoque uideri debet cur Tartarorum imperij penitus obliuiscantur, cum reliquis omnibus æquari possit. an quia longè abest à Babylone? at longius absunt Germani, qui imperij Babylonici nullam partem habent: Tartari uero Bactriam & Sogdianam vastarunt, latissimas eius imperij prouincias occuparunt, ipsamque Babylonem duce Alao funditus euerterunt, ut scribit Paulus Venetus. ac mihi diutius cogitati quid propheta innuere uellet, nihil commodius occurrit, quàm interpretari de Babylone, quæ in potestatem Medorum, Persarum, Græcorum, & Parthorum peruenit, quæque sæpius vastata est, ac tandem aliquando deleta. neque enim ea quæ uulgo Baldac appellatur, eadem est cum antiqua Babylone, sed potius Susa uetus, ut Paul. Venetus interpretatur. quòd si ita est, uti est, non irritum fuit oraculum de Babylonis statu, conuersione, exitu; præsertim cum Danielis & omnium prophetarum uoces in Christum, ac eius tempora uelut in scopum dirigantur. argumèto est petra illa (qua quidem Christum significari disertè Paulus innuit his uerbis; Petra autem erat Christus) de vertice montis excisa, quæ statuam confregit. cum uerò interpretres ipse Daniel sui oraculi plures beluas, plura quoque

beluarum

beluarum cornua interpretatur, quid vetat quò minùs ad Alexandri magni successores, & ea quæ illic floruerunt imperia referantur? nihil tamen in rebus tam abditis & obscuris affirmare ausim. illud tantùm; verba Danielis ad id quod volunt interpretes accommodari nullo modo posse. Iosippus Hebraeus optimus Danielis interpres, scribit Medos, Persas, & Græcos à Daniele ad imperium Babylonis vocari. de Romanis, à quibus ipse nomen Flaviae gentis, civitatē, & statuam adeptus erat, nihil à Daniele scriptum reliquit. sed hinc error manavit, quòd Danielis sacras sortes ad suam quisque opinionem, non ad historiae fidem retulit. hinc putarunt quinque duntaxat reges Persarū esse oportere, quòd Daniel quinque duntaxat futuros esse diceret: at omnium scriptorum cōsentiens auctoritas octo posuit: nonnulli decem, propter seditiones ac civilia bella. Consimili errore ex eadem statua Danielis (cuius caput aureum, thorax argenteus, crura aenea, tibiæ ferreae, pedes fictiles malè cum ferro coagmētati fuisse feruntur) quatuor, aut etiam plures etates statuunt. fuisse quondam aurea secula, post argentea, deinde aenea, tū ferrea, tandem lutea successisse. sed minuenda hæc opinio est. nam si quis historicorum, non poëtarum excutiat intelligentiam, profectò iudicabit parem esse in rebus humanis, atque in omni rerum natura cōversionem: nec aliquid sub sole, ut ait ille sapientiæ magister, novum esse. nam ætas illa quam auream vocant, si ad nostram conferatur, ferrea videri possit. quis enim dubitat quin eluvio terrarum divinitus contigerit propter hominum scelera, quæ tot ac tanta fuerunt, ut Deum ipsum pœnituerit hominis creati.

Z videamus

videamus igitur illa tempora quę diluuiū consecuta sunt, quęque aurea vocantur, non solum à poëtis, sed etiam ab ipso Catone in libris originum: quibus temporibus Came- sen & Saturnum floruisse tradit. at nemini dubium est quin Camefes ab Hebrais Noha filius, Saturnus verò Nimerodus omnium consensu vocetur: huius verò filius Iuppiter Belus, auream aetatem valere iussit. ex quo pla- num est aureum illud tempus breue momentum videri, si annorum sex millium ratio habeatur. nam Cato poëtarū fabulas secutus, annis ducentis & quinquaginta definiit. quę autem innocentia fuit in Camefe, qui parentis opti- mi pudorem noua quadam & insigni contumelia viola- uit? nam ex eo secutę sunt patris execrationes. qualis item Nimerodus Camefis ex filio nepos, quem aurei seculi cō- ditorem vocant? satis ex ipso nomine intelligitur, quod Hebrais significat rebellem. & quidem à Mose robu- stus venator appellatur, quo verbo latrones ubique & sceleratos homines appellauit: ut etiam Aristoteles la- trocinium, seu λυσίαν posuit inter genera venationis. Se- quitur Iuppiter Belus, qui maiore dicam audacia an im- pietate patrem senio fractum de imperio quasi de pōte de- iecit. alios quoque Ioues fuisse video (nam trecentos co- luit antiquitas) sed quisquis ille est quem poëta patrem de regno deiecisse aiūt, non tantū parricidio, verū etiam stu- pris omnibus ac sororis incestu nobilitatus est. eisdem tem- poribus tyrānidem quisque Ioui eripere conatur. hinc con- iurati cælum rescindere fratres, qui turribus & aggeribus extructis immortalī Deo nefarium bellum inculerunt, eumq; de cælo præcipitem deturbare sunt conati, nisi tum
fulmine

ou. 102

fulmine prohiberentur, vel ipsa linguarū confusione, unde turri nomen Babylon ab inscitia loquendi, quam nos quoque babil appellamus. sanè Mosi cum poëtis (qui rei veritatem fabulis confuderunt) quodammodo conuenit. quid est autem aliud gigantes Diis bellum inferre, quàm natura, ut ait Cicero, repugnare? hæc igitur est illa aurea ætas, quæ talia mōstra nobis educauit. idē iudico de Hercule, quem Manetho pyratarū maximum fuisse tradit: quique Theseum ac Pirithoum scelerū societate sibi conciliauit, qui cum Helenam rapuissent, ac Moloysi regis filiam patri eripere conarentur, ab eo sunt in carcerem coniecti: alter quidem à Cerbereis canibus laceratus, alter breui lacerādus, nisi Herculis precibus quasi ab inferis reuocaretur, vel potiùs ad crudeliora supplicia seruaretur. quis autem ad omne genus libidinum Hercule robustior dicam an fœdior? Sed ne videantur hæc fabulis similia, Thucididi verissimo historiae parenti assentiamur. is enim testatum reliquit paulò ante sua tempora tantā fuisse hominum in ipsa Græcia barbariem ac feritatem, ut terra mariq; latrocinia palam exercerentur, & sine vlla contumelia queri à prætereuntibus consueuerit, utrum latrones; utrum piratæ essent nec ne? cùm verò nullis adhuc mœnibus cingerentur, nec essent vlla propugnacula, ius in armis fuisse positum, veteresque colonos subinde à nouis de possessione deiectos. qui mos in Græcia paulatim inoleuit. quæ autem nationes ab humanitate longiùs aberant, in ea barbarie diutissimè vixerūt: ut de Germanis scribit Cæsar. Latrocinia, inquit, nullam habent apud Germanos infamiam, quæ extra fines cuiusq; ciuitatis fiunt: atque ea

Z ij inuentutis

latrocinia

*inuentus exercenda, ac desidia minuenda causa fieri
 predicant. ex quo factum est, opinor, ut prædones quia
 brigantes vulgò appellantur, à populis Brigantinis, qui
 lacum Podamicum seu Brigantinum tenent, dicti sint: ut
 Assassini ab ea Persarum gente, quæ latronum & sicario-
 rum infamia diutissimè laborauit. at Lacedæmonij non
 in furto eduliorum, sed in furti sola deprehensione scelus
 inesse putabant. utraque sanè opinio tantò plus habet in
 seipsa flagitij quàm latrocinium, quantò miserius est ac
 turpius impunè legibus quicquam licere, quod ipsa natura
 nefarium sit. hæc fuerunt aurea & argentea secula, qui-
 bus homines ferarum more in agris ac syluis dispersi, tan-
 tum haberent quatum per vim & nefas retinere possent,
 quousque paulatim ab illa feritate ac barbarie sunt ad
 hanc quam videmus morum humanitatem ac legitimam
 societatem reuocati, nam furtiva quæ olim civili tantum iu-
 dicio, non modò Hebræorum, sed etiam Græcorum & Lati-
 norum legibus, nunc ubiq; gentium capite puniuntur. Quòd
 si res humanæ in deterius prolaberentur, iampridem in
 extremo vitiorum ac improbitatis gradu constitissemus:
 quò quidem antea peruentum esse opinor. sed cum flagi-
 tiosi homines nec ulterius progredi, nec eodè loco stare diu-
 tius possent, sensim regredi necesse habuerunt, vel cogente
 pudore, qui hominibus inest à natura: vel necessitate, quòd
 in tantis sceleribus societas nullo modo coli poterat: vel e-
 tiam, quòd verius est, impellente Dei bonitate. quòd qui-
 dem perspicuum fit ex annalium libris ac monumentis ma-
 iorum, in quibus tot ac tam execranda flagitia prodita sunt
 (neque tamen omnia) ut quid maximè sit non facile dici
 possit.*

possit. testes sunt Tranquillus, Tacitus, Lampridius, Athenæus. quid enim magis nefarium cogitari potest, quàm fœdissima quæque vitia virtutis habere loco? id quidem videre est non modò in deprauatis ciuitatibus, sed etiam in ea Republica quæ Lycurgi floruit institutis, quæque omnium scriptorum consensione laudatissima putatur. sed ut impuras illorum libidines omittamus (quæ utinam æterna obliuione sepeliantur) quid tam impium est quàm homines tum in funeribus, tum in sacris crudelissimè mactari? at usitatũ illud fuit apud omnes pene populos. quid crudelius quàm innocentissimos quosque seruitutis specie, in spectaculis publicis à belluis lacerari, aut mutuis vulneribus ad populi voluptatem trucidari? nihil tamen usitatus apud Romanos, qui in summa iustitiæ opinione floruerunt, ut diuina quadã ultione hominum quinquaginta millia Fidenis in munere gladiatorio, unius theatri casu obruta sint. ac certè nostri homines multò sapientiùs quàm Romani (quod cum bona illorum uenia dictum sit) cædes hominũ inter ipsos, & ferarum cruenta spectacula de Christiana Republica sustulerunt, ac fructuosum & utile de omnibus disciplinis disputandi genus stabilierunt. quantò melius est igitur ad bonas artes & verum decus, quàm ad palestram informari? nec propterea tamen honestas corporũ exercitationes omisimus, nec militarem negleximus disciplinam. habent etiam nostra monimẽta, ut alios omittã, suos Catones, Fabricios, Camillos, Alexandros: neque illis de meliore luto finxit præcordia Titan, quã nobisipsis. ubi enim militaris gloria maior in Alexandro, quàm in Carolo magno? ille quidem magnus, sed ta-

*Occupation des Français
en Espagne*

men aduersus molles Asiaticos, ut Caesar de Pompeio nostrorum hominum vim expertus dicere solebat. hic noster ferocissimas Europæ nationes perdomuit. ubi par extitit pietas in Antonino atque in Ludouico Pio? quis autem ex omni principum vetustate D. Ludouico Regi opponi potest? ut enim leges ab eo latas, quibus stat hoc imperium, omittam, nullius profecto tanta principis aduersus Deum religio, fides in patriam, amor erga subditos, iustitia in omnes fuisse memoratur. Neque solum virtutes in nostris hominibus, sed etiam disciplina pares, atque in veteribus extiterunt. est enim literarum sua quoque vicissitudo, ut primùm quibusdam in locis ingeniosorum hominũ experientia & labore artes orientur, deinde incrementa suscipiant, post aliquantum in statu vigeant, tandem sua vetustate langueant, denique sensim emoriantur, & obliuione diuturna sepeliantur: vel bellorum diuturna calamitate: vel quòd nimia copia (malum his temporibus valde metuendum) satietatem leuissimo cuique afferre soleat: vel quòd iustas Deus pœnas expetit ab iis qui sciētias salutare, in hominum perniciem conuertunt. Nam cum discipline apud Græcos sensim adoleuissent, ut ad summũ peruenisse crederentur, tanta mutatio postea secuta est, ut ne ipsa quidem Græcia ubi nũc est unquam extitisse videatur. quid Latini? apud quos tanta fuit ingeniorum vbertas, ut iisdem penè temporibus bellica laude, ac disciplinarum omnium præstantia populos omnes superarent: attamen consimili casu in pristinam barbariem tũm relabi cœperunt, cum influentes in Italiam Scytharum copia, bibliothecas refertissimas, & omnia vetustatis monumẽta ubique

Leg. labor
 & est angustia
 dicitur

ubique fere incenderunt: quod immane factum tantas in omnibus disciplinis ruinas edidit, ut prostrata mille circiter annos sine ullo pretio iacuerint, ac iam interitura viderentur: nisi Mensor Africa & Hispania princeps, Arabum ingenia magnis propositis premiis ad literarum instaurationem excitauisset. omitto quam multos philosophos, geometras, astrologos, peperit Aegyptus, India, Ethiopia; quamulti apud Caldeos nobiles mathematici ante fuerunt, quam vllae essent in Graecia literae: ad nostra tempora relabor, quibus multo postquam literae toto penè terrarum orbe conquierant, tantus subito scientiarum omnium splendor affulsit, tanta fertilitas extitit ingeniorum, ut nullis unquam aetatibus maior. at ne Gothis quidem ipsis lectissima nuper ingenia defuerunt. testis est Olaus magnus, testis Holsterus, testes alij plerique: quasi decreuisset natura scientiarum vulnera nunc ab iis ipsis à quibus olim erant illata sanari. cum enim superiori adhuc aetate more maiorum retineret, ac literatos homines voce preconis de Senatu exire iuberent (sic enim in illorum historia testatū habemus) nunc undiq; literas accire consueuerunt. haec illa est rerum omnium tam certa conuersio, ut dubitare nemo debeat quin idem in hominum ingeniis quod in agris eueniat, qui maiori ubertate gratiam quietis referre solent. At veteres illi, dicet aliquis, artium inuentores fuisse: illis gloria debetur. profecto permultas hominum generi salutare disciplinas inuenere: atque imprimis rerum caelestium vim, ratos orbium cursus, non tamen omnes: stellarum inerrantium, & earum quae vaga dicuntur, mirabiles traiectiones: tum naturae obscuritatem diligenter notarunt,

Magnos

tarunt, & accuratè multa explicarunt: pleràque tamè ex
 iis imperfecta reliquerunt, quæ à nostris consummata po-
 steris traduntur. ac nemini dubium esse potest in eam rem
 penitus intuenti, quin inuenta nostrorum cum maiorum
 inuentis conferri; pleràque debeant anteferri. cùm enim
magnete nihil sit admirabilius in tota rerù natura, usum
tamen eius planè diuinum antiqui ignorarunt: & cùm il-
li sese alueo mediterraneo continerent, nostris quotannis
terrarum orbem crebris nauigationibus obeunt, & in aliù
orbem, ut ita dicam, colonias deducunt, iam ut intimos
Indiæ recessus apertos habeamus. ex quo non modò mer-
catura (quæ antea sordida vel non satis erat cognita) a-
bundans & quæstiosa euasit, verumetiam omnes homi-
nes secum ipsi, & cum Republica mundana, velut in una
eademque ciuitate mirabiliter conspirant. quantum verò
incrementi acceperit una de pulcherrimis artibus Geogra-
phia, ex eo intelligitur, quòd quæ de India fabulosa plerif-
que videbantur (nam Lactantius & Augustinus insa-
nire aiunt qui antichthonas esse opinantur) comperta nobis
sint: tum etiam motus inerrantium syderum ac magni or-
bis trepidatio. quid autem admirabilius est illa formari
à materia (ut sic dicam) abstractione? hinc occulta na-
turæ arcana recluduntur: hinc salutare medicinae in dies
eruuntur. omitto longitudinis cœlestis inuestigandae mo-
dum ex horis equalibus, quæ à veteribus ex eclipseos nor-
ma sine magno errore iudicari non poterat. omitto cata-
pulta veterum & antiqua belli tormenta, quæ si cum no-
stris conferantur, sanè puerilia quædam ludicra videri pos-
sint. omitto deniquæ artes infinitas, tum fabriles, tum la-
nificias,

nificias, quibus hominum vita mirabilem in modum adiuuatur. una typographia cum omnibus omnium veterū inuentis certare facile potest. Itaque non minùs peccant qui à veteribus aiunt omnia comprehensa, quàm qui illos de veteri multarū artium possessione decurbāt. habet natura sciētiarum thesauros innumerabiles, qui nullis etatibus exhauriri possunt. Qua cum ita sint, & cum aeterna quadam lege naturæ conuersio rerum omnium velut in orbem redire videatur, ut æquè vitia virtutibus, ignorantia scientiæ, turpe honesto consequens sit, atque tenebræ luci: fallunt qui genus hominum semper deterius se ipso euadere putant. & cum in eo sint errore senes, credibile est hoc illis contingere quòd florem etatis, quæ per se ipsa lætitiâ ac iucunditatē spirat, amissum meminere: cumque se ab omni voluptatum genere deserere vident, ac pro delitiis acerbissimos dolores, pro sensibus integerrimis, membrorum omnium imbecillitatē sentiūt, fit ut tristissimis obruantur cogitationibus, & falsa rerū imagine decepti, fidē & amicitiam hominū inter homines interiisse putent; ac velut ex longinqua nauigatione profecti aurea secula, auream etatē adolescentibus narrant: sed perinde illis accidit, ut iis qui cum à portu euehantur in altum, domos urbésque à se discedere existimant: sic illi oblectationem, humanitatē, iustitiam in cælum euolare, ac terras deserere opinantur.



VI sine ratione temporum historias intelligere se posse putant, perinde falluntur ut si labyrinthi errores euadere sine duce velint. hi enim vagantur huc illuc, nec ullum erroris exitum reperire possunt: illi verò inter historiarum innumerabiles anfractus aequè incerti feruntur, nec intelligunt unde caeperint quòve recurrant. at temporum doctrina, omnium dux historiarum, velut Ariadne ceca regens filo vestigia, non modò nos errare non sinit, sed etiam efficit ut aberrantes historicos in rectam viam saepe deducamus. itaq; videmus lectissimos quosque scriptores temporis tam magnam habere rationem, ut non solum annos, sed etiam anni singulas partes complectantur: alij ne menses quidem ipsos ac dies, dierumq; momenta quibus quicque gestum est omittant: quòd intelligunt sine temporum ratione vix ullos ab historia decerpi fructus. cùm igitur historiarum potissima pars in temporum disciplina posita sit, temporis uniuersi ratione huic methodo quam tractamus necessariam esse existimari: tum propter summam eius utilitatem, tum etiam propter eam, quae inter historicos versatur, de temporum antiquitate ac serie discrepantiam: ut huic quoque disputationi lucis aliquid afferrem. Prius igitur temporis originem, sine qua inanis haec disputatio futura sit, non tam autoritate, quae nihil valet apud eos qui ratione duci volunt, quam necessariis argumentis doceamus. quanquam si ex Hebraeorum sacris fontibus ac diuinae legis

gis oraculis testatum habemus mundum hunc originis suæ principium habuisse, amplius quærere, scelus; dubitare, nefas esse videtur. ac tanti est apud me Mosis unius auctoritas, ut eam omnibus omnium philosophorum scriptis ac sententiis longè antepoſam. is enim capitali pœnæ subiecit eos qui Sabatum violarent ea potissimū de causa, quòd mundi creationem Sabati violatione in dubium reuocare viderentur, ut rabi Moses Ægyptius scribit. sed quoniã improbi eius auctoritate se vinci non patiuntur, & oracula diuina temerè calumniantur, necesse est eorum argumenta consimilibus argumentis refellere ac debilitare. nã si philosophorum ponderibus, ac rationum momētis planè intelligatur mundum nec sempiternū, & à Deo immortali certo tempore conditum fuisse, maiore fiducia sacras historias amplectemur. deinde mundi conditio, quæ tam præclaræ originis opinione nitetur, augebit in nobis singularem Dei admirationē & amorem. Hæc igitur doctrina non modò Hebræorum est, sed etiam Caldæorum, Pythagoræorum, Stoicorum, Academicorum, Arabum denique multorum grauiſſimis comprobata & confirmata sententiis. quinetiam Epicurus ipse, ut est apud Plutarchum, in eadem fuit opinione. inter Latinos verò, quauis admodum pauci philosophiam seriò tractarint, attamen M. Varro, qui omnium Latinorum & Græcorum doctissimus est à Tullio appellatus, idem iudicauit in libro quem de interitu mundi scripsisse fertur. atque hæc omnium in eadem disciplina cōsentiens auctoritas, etiam apud philosophos non parui debet esse ponderis ac momēti. cū igitur primus omnium Aristoteles tū à maiori-

A a ij bus,

bus, cum à magistro Platone dissentiens, mundum æternum statuere ausus sit, aduersus eum omnis hæc suscepta disputatio est: cuius quidem rationes Galenus uno verbo refutans, veri quidem similes, non tamen necessarias videri scribit. quinetiam Aristoteles in libris de cælo, rationes, ait, aliorum cum suis comparatas rem efficere certiore, cum nulli sint aditus demonstrationis adipiscenda. quæ verba sunt nõ physicorum aut geometrarum, sed de re proposita dubitantium dialecticorum: ut rabi Moses Ægyptius, is qui dubiorum interpret usurpatur, argute animaduertit. demonstrationes enim neminem dubitare patiuntur, sed sua luce tam perspicua sunt, ut velut adhibita quæstione ab inuitis extorqueant assensionem. quare si Epicurus & Galenus minimè religiosi homines, negant Aristotelis argumenta vim ullam habere: Origenes, Abëfina, omnium denique theologorũ ac philosophorum familia contrariis argumentis ea refellunt: satis intelligitur probabilia tantum & incerta, non necessaria esse. sed ad Platonem venio, qui Deum post operis tanti molitionem ad res genitas orationem conuertere fingit: quas ob id interituras affirmat quòd ortum haberent, sua tamen voluntate fore perpetuas. hic Aristoteles verba Platonis excipiens; Si mūdus, inquit, non est interiturus; igitur ne ortum quidem habet: propterea quòd quæ ortũ habuerunt, aliquando sunt casura: quæque intereunt, orta fuisse necesse est. quæ à Platone didicerat in Phædro ac Timæo: ubi propterea mentes originem habuisse negauit, quemadmodum scribit Augustinus libro decimo de ciuitate Dei, ne aliquando interiturae essent. mundi verò

statum

statum eundem semper fore iussu diuino. vter igitur in philosophia grauius labitur: alter qui præpotenti Deo liberam de rebus suis statuendi facultatem relinquit: alter qui quem vniuersi moderatorem esse confitetur, & quidem causam efficientem, ei omnem adimit operis mutandi potestatem, ut si mundum quaterere velit non possit? hoc Aristoteles argumento, temerè dicam an impiè, de mudi eternitate statuens, nõ modò philosophiæ naturalis decreta, verum etiã diuinæ maiestatis vim penitus eneruare ac debilitare conatur. at in omni disputatione quæ præsertim de rebus tã arduis & à sensu remotis suscipitur, prouidendũ est, ut ne quid omnino aduersus Dei maiestatem contumeliosè dicatur: quod Aristoteles prætermisit. cùm enim rationum ponderibus undique premeretur, necesseq; haberet confiteri mundum originis initium habuisse, si Deo plenam tribueret statuendi voluntatem: necessitate mundum, non voluntate regi affirmavit. huc enim omnia reuoluuntur argumenta. idem tamen contrà Stoicos disputans, qui fatalem in rebus omnibus necessitatẽ posuerunt, multis argumentis docuit necessitate quædam, alia voluntate, multa fortuitò, plurima casu geri: fortunam etiam & casus trifariam diuisit. in rebus necessariis, diuinas actiones ac naturam collocavit. ex quo intelligitur ea quæ disputarat in libris de cælo, quòd fatalem saperent necessitatẽ, in libris de interpretatione sic temperasse, ut homini quidem arbitrium daret omni necessitate solutũ; Deum verò ac naturam necessitate obligaret. quid autem magis impium, magis arrogans, magis denique furiosum, quàm sibi liberam tribuere voluntatem; Deo adimere velle? cõ-

*sequens est enim, ut neque Deus solis cursum sistere, nec
 caelestium siderum vim prohibere, nec quicquam in uni-
 uersa natura conuertere, at ne hominis quidem impetus ac
 voluntates quò velit impellere possit. quæ cum absurda
 sint, & impietatis plena; sequitur ut illam de mundo tol-
 lamus necessitatem, qua sublata relinquitur Deum nulla
 vi obligari, sed pura voluntate omnia gubernare. at cum
 Aristotelem sui ipsius puderet; hoc est homini concedere,
 Deo eripere voluntatem, verbo quidem voluntatem tri-
 buit, re vera tamen necessitate coactam: id quod Moses
 Aegyptius adnimaaduertit: permittit enim voluntatem,
 sed ea lege ut mutari non possit: & ut Iuppiter in fabu-
 lis Adrastia legibus teneatur: cum tamen in libris de mo-
 ribus eam esse docuerit voluntatis vim & naturam, ut
 nisi mutari possit, voluntatis nomen amittat. itaque cum
 multa variè cōtingere in natura perspiceret. modò in hęc,
 modo in illam partem, eò de lapsus est ut fortunam & ca-
 sum ex opinione plebis statuere mallet, quàm ascribere
 Deo voluntatem aliud alio modo agendi. quid autem in-
 dignius est philosopho, quàm putare sine causa quicquàm
 fieri, hoc est fortunæ & casibus quicquam permittere? illa
 sunt ex quibus se expedire nullo modò Peripatetici po-
 tuerunt: itaque à Plutarcho in libro de fortuna. tum etiã
 à Lactantio efficacissimis argumentis refelluntur. videamus
 cetera cuiusmodi sunt, aut certe precipua: infinitum
 esset omnia persequi. posuerunt enim ex nihilo nihil gigni.
 tanquam totius disputationis fundamentum. quod om-
 nium errorũ præbuit occasionem. sed illis aqua heret, cum
 hoc probandum relinquitur. tum illi subirasuntur, quòd
 sua*

sua principia negari fas esse nõ putent. sed quæ tandẽ ista principia sunt, quæ consequentibus obscuriora videntur? nullus unquam geometriæ postulata negavit, quòd sua luce perspicua sunt. at hæc si perspicua viderentur, cur tot philosophorum scholæ tam cõstanter ea negarent? cur Philoponus falsum esse perspicue demonstraret? quid autem ineptius quàm illud ponere quod quidem si verbo negatũ fuerit, ulterius progredi non possint? sed tamen præclarũ illud principiũ refellamus si placet, id quod a nostris omis- sum esse miror, qui tantopere in hac disputatione se exer- cuerunt. nam Phil. Melanchtho, ac Theologi distin- ctionem adhibent, atque id verum esse aiunt in natura ordinata: sed illud est τὸ ἐξ ἀρχῆς, ut aiunt dialectici. quæ enim natura fingit potest incondita? hæc enim aut integra partibusque omnibus coagmẽtata, materia scilicet ac for- ma, aut nusquam existet. certioribus igitur argumentis u- tamur. Id autem à formarum præstantia facile intellige- mus. est enim forma, generosa, & ut Aristot. scribit, di- uinum quiddam habens essentia, ipsiusque naturæ præci- pua pars; quòd eius beneficio res omnes existant. hæc au- tem non à materia ducitur; ut planum faciam: nec à se- ipsa; cùm formæ auulsæ à materia penitus intereant, nec per se existere possint: ut Aristotel. in metaph. tradit: nec à Deo; cùm ab æterna puraque mente nihil corporeum fieri putent. consequens est igitur ex nihilo in materia in- generari. itaque Aristoteles libro 11. de natura, formam naturalem ipsius naturæ finem, & efficientem, & formã esse scribit: Deum verò à naturæ principiis seiunxit, & inanem priuationem, quæ nec essentia sit, nec verum acci- dens;

dens; inter principia mediam collocavit. sed cum formæ singulares perpetuo quodam fluxu orientur & occidant, ut libro primo de natura cap. 1 x. fatetur: posterioribus Peripateticis magnam dubitationem attulit, unde nam orientur. ad extremum de materiae sinu ac potestate duci voluerunt, quod nunquam Aristoteli venit in mentem. ex eo enim sequitur materiam primam, non potestate, sed ipso actu formas habere sibi cōcretas, ac temere in formem; aut formam ἄυλον appellari: tum etiam id quod informe est, seipsum informare: formas item materiae temperatione cōstare, augeri denique ac intēdi; quæ falsa esse docet Aristot. lib. v 1 1 1. τῶν μὲν τὰ φύσιν. tum etiam lib. 1. cap. 1 1 1. de animo. denique formam non esse principium, sed ab ipsa materia sui ortus initium habere: nec principium simplex, sed cōcretum & compositum esse: postremo materiam dare ipsis rebus existētiā, id est εἶναι. quæ si probabilia non sunt ex Aristotelis ipsius doctrina, ne illa quidem, unde hæc manāt, probanda sunt; scilicet de materiae gremio formas educi. quare extrinsecus aduenire statuēdum est; id quod negavit Aristoteles lib. 1 1 1. cap. 1 1 1. de animalium ortu, præterquam de hominis forma, quam ipse οὐδὲν εἶναι ἐπιπέειναι confitetur: illud igitur ab eo extorquebimus, formam hominis ex nihilo in materia ingenerari: atque idem in formis omnibus iudicandum relinquetur: cum re vera nullam habeat materia vim formatricē. ac profectō tam ineptum est existimare de materiae gremio formas educi, quam de destipite Mercurij figurā; cum ab artificis mēte, opo, 1, ideo proficiscatur. igitur falsum est illud quod posuerunt; de nihilo nihil deriuari: eoque disputationis concusso fundamento,

fundamento, cetera ruinam minantur. sic enim Philoponus aduersus Aristotelem disputat: si non videtur absurdum è priuatione pura manare formas, cur absurdum videatur de priuatione quoque materiam primam fluxisse? Simile est illud; quod nihil in cælo sibi contrarium esse aiunt: ac proinde nihil ab interitu metuendum, nec sperandum ab ortu. undenam igitur elemētorum inter se discrepantium contrariæ vires? hæc enim superiorum vi & agitatione influere, & ab illis causis contrarias effectiones fieri faciunt. at cum unius & simplicis causæ unus sit effectus, contrariarum contrarij: discrepantes in cælo causas inesse confitendum erit, non effectione tantum, ut magno errore putant, sed habitu natura, id est, ut ipsi loquuntur formaliter. Quod etiam motum orbis æternum ex eo colligunt, quod tempus sine motu consistere non possit; æquè veteratorum est ac sophisticum, ut si quis dicat ante horologium horas non extitisse; aut eo sublato nullas fore. itaque Plotinus lib. VIIII. Picus Mirandula lib. VI. de vanitate gentium quæstionem Aristotelis libro IIII. de natura iampridem irriserunt; utrum scilicet animo numerante sublato, tempus esse desinat. Basilius verò, Ambrosius, Augustinus, ac Moses Ægyptius, ut inanes illas argutias effugerent, tēpus ab æternitate penitus seiunxerunt. Vnum tamen est ab Aristotelis interpretibus inuentum argumentum, quod Mosem valde conturbauit; Mundi, aiunt, existentia fuit aut necessaria, aut possibilis, aut impossibilis. si impossibilis, nunquam mundus extitisset: si necessaria, semper extitit: si possibilis, antequam existeret, potestas existendi, vel, ut eorum verbis

utar, possibilitas illa fuit in aliquo ente: igitur erat aliquid quod de potentia in actum exiret. at ego totum illud concedam, & illam, quam quærunt, possibilitatem in ente collocabo, id est in causa effectrice sempiterna: nec video quid cõtrà dici possit. quod si potestatem in subiecta quoque materia esse oportere putant, magis captiosum erit quàm necessarium argumentum: perinde ut illud; Si primus opifex à priuatione pura peruenit ad actum, fuit aliquid quod illum ad agendum eliceret atque incitaret. ego à se ipsum incitatum aio, velut architectum, qui nec materiam, nec aream habet ad ædificandum, à seipso tamen excitari ad ædificandi cogitationem. sed multò magis rationi repugnat ac veritati, necessariò mundum extitisse: quia velit nolit opifex, obligatur fati necessitate. Hæc præcipua sunt Peripateticorum & Abenreis argumenta. Tria sunt Proculi qui à magistro Platone discedens, mundum æternum esse putauit, idque Platonem voluisse scripsit, tum etiam Simplicius, Plotinus, Marinus, Syrianus, Appuleius, Iamblichus: atque inter iuniores Bessario Cardinalis, & Foxius: qui, ut Aristoteli cum Platone conueniret, mundi ortum in eius salute tuenda, quæ Deo semper curæ est, posuerunt: alij Platonem ex hypothesi locutum arbitrantur, quos Plutarchus & Philo refutant: Proculum verò Philoponus libris xviii. sed tota illa disputatio his tribus argumentis est, ut opinor comprehensa; Deus, inquit Proculus, mundum sempiternum efficere potuit; voluit igitur. si voluit, confecta res est. voluisse planum fit ex eo, quòd maleuoli est nolle bene agere cum possis, & eius qui bonis alterius inuideat, malis gratuletur.

hoc

hoc in Deum cadere non potest: ergo nec illud. iam verò ab otio ad negotium; ab eo quod nolis, ad voluntatem ferri, mutationem habet ac varietatem à natura divina, quæ simplex est ac semper sui similis, valde alienam. id autem consequens erit, si demus innumerabilibus seculis ignaviter quiescere Deum, ac nuper de mundi conditione cogitasse. Postremò si mundus interitum non sentit, nec ortum habuisse constat. verum illud; hoc igitur. nam omnis interitus, inquit, ab externa vi aut interiore pēdet: nulla vis interior afferri potest: extra nihil est metuendum. igitur nullo temporis decursu interibit. cetera Proculi argumenta facile à se ipsa refutantur. Primum illud falsum est, ut bona quæcunque Deus efficere possit, ea quoque velit. potest enim omnes homines ad virtutis actionem ita dirigere, ut si velint, labi nō possint: quo sanè bono, nullum Proculo maius, aut magis optandum videatur. quinetiam potuit mundum hunc ita coagmentare, ut nec in mentibus ullis, nec in materia aut forma peccati labes, aut malorū semen ullum inesset, noluit tamen. igitur si non propterea Deum immortalem ullius sceleris incusat Proculus, quòd ea mala quæ prohibere possit, nolit: multò minùs si mundū cū potuit, non ab eterno creavit. Alterum magis urget, quòd ab otio ad negotium ferri, mutationem habet, id est, ut ipse loquitur ἀκίνητον, quæ ab illa sempiterna mente longissimè abest. sed illud falsum, quòd ab otio ad negotium; à quiete ad laborem Deus feratur, cū mundum condere cœpit. & quidem labitur Proculus in nature principis, cū Deo tribuit quietem, quæ aliud nihil est quàm privatio motus. igitur si Deus moveri non potest,

nec quiescere quoq; est enim Aristotelis demōstratione lib. v 1. de natura, non tantū immobilis in orbium cōuersione, sed etiam immutabilis, in tuenda mundi salute: non alius igitur quā ante mundi cōditionem. persuasum autē habuit Aristoteles dominum esse omnium rerum ac moderatorem Deum; huiusque mūdi causam non modò effectricem, sed etiam conseruatricem: neque solū immobilem, verum etiam omni sollicitudine ac labore vacuum, sua potētia & virtute gaudere. idem quoque scribit non mutari sapientem cū sapit, aut architectum cū ædificat, quanto minū in Deum mutatio cadet, cū in mūdi procuratione versatur? itaque non minū ineptē quā impiē quidam minuti theologi Deum sordidissimis quibusque occupationibus implicari putant: quod sanē præbuit occasionem Epicuro, ut diceret se baiulum esse malle quā Deum. ut enim Christus in perspecta, summi patris erga se beneuolentia totus acquieuit, ita x i i. legiones angelorum si velit presidio sibi futuras dixit. ex quo innuere voluit mundum hunc plenū esse animorum immortalium, quorum ministerio veluti seruorum Deus utatur. hæc autem argumenta Proculi consimilia sunt his Epicuræorum maledictis; Si mundus originem habuit, aut casurus est, quid antea Deus egit, aut quid tandem facturus est? his ego impuris hominibus, qui à Deo rationem temporis antea acti repossunt, nihil aliud reponam, quā quod Spiridion in concilio Nicæno respondit ad eiusmodi quæstionem; æterna scilicet suppliciorum loca tam curiosis hominibus, ne nihil ageret, cōdidisse. quæ oratio non solū urbana, sed etiam salutaris visa mihi est. si tamen philosophorum

phorum omnium constans opinio est, summam hominis felicitatem in contemplatione positam: & sapientem à Platone ἀυβδαιμονα vocari, ab Aristotele seipso contentum, id est ἀυταρκῆν, propterea quòd in desertissima solitudine constitutus, beatus est tamen præclara illa mentis agitatione, qua res humanas infra se despicit, diuinas intuetur. quanto magis Deus seipso contentus est, ac sui unius contemplatione felix? nihil autem seipso maius ac melius contemplari potest. itaque Aristoteles libro XIII. τῶν μὲν τὰ φύσιν. Deum eodem modo dixit ἀυταρκῆς αὐτοῦ, quo Hebraei מוֹשֶׁה, id est ut Moses Ægyptius interpretatur, eum qui seipso contentus est. quod quidem si Origenes attentius prouidisset, non arbitraretur Deum mundos consecutione innumerabiles condidisse, sic enim scribit in libris τῶν ἀρχῶν, veritus, opinor, ne vel Deus inertia langueret: vel quod Plato metuit, ne hominum genere penitus sublato, sacrificiis ac laudationibus careret. quanquam sic arbitrari æquius est, quam mundum unà cum Deo sempiternum extitisse. & quidem in illa opinione Hebraei plerique fuerunt, ut Moses scribit, & nostra ætate Leo Hebreus. Sed utriusque in maximis erroribus versantur: alteri quòd diuinam felicitatem, mundi existentia; alteri quòd eius gloriam hominum sacrificiis ac rebus caducis metiuntur: nulli tamen perniciosius, quàm qui Deum vlla mundi contagione violari, aut in eius procuratione ac salute defatigari putant. Repudiata igitur Proculi ac Peripateticorum opinione, relinquitur mundum originem habuisse: ex quo sequitur eius occasus; si Aristotelis doctrinæ assentiamur. Cùm enim triplex opinio sit in disputatione quæ de mūdo

B b iij habetur:

habetur: una eorum qui nec initium habuisse, nec exitum putent habiturum: alteri utrunque affirmât. tertium genus extitit eorum qui feriendo medium originem habuisse dicerent, nunquam tamen occasurum. in qua sententia fuerunt Panætius, Possidonius, Boethus, & Seneca inter Stoicos; Thomas Aquinas inter theologos; Philo inter Hebræos: tum etiam princeps Academiae Plato, huius autor opinionis. Philo Mosis & Salomonis sententia suam tuetur: quibus tamen Iesayas, Esdras, ac Petrus aperte reclamant: ut ex eorum verbis de interitu mundi dubitare nemo possit. & in ea quoque sententia fuit Epicurus, ut est apud Plutarchum, eiusque discipulus Lucretius his versibus; *Vna dies dabit exitio, multosque per annos Sustentata ruet moles & machina mundi.* sed quoniam theologi scripturae sacrae locos in varias sententias distrahunt: ac Moses Aegyptius, & Thomas Aquinas Philonis interpretationi contrariam afferunt, placet rationibus uti; quarum nulla mihi visa certior est, quam quae ex Auicennae dictis & Alexandri Aphrodisæi colligi potest. hic enim propterea mundum sempiternum affirmat, quod à Deo moueatur: sit autem infinita ac sempiterna mentis actio infinita. contra verò Auicenna primum orbem à Deo moueri negauit, quod quidem si verum est, uti est, occasus mundi necessario consequetur: quia finita mentis actio finita sit oportet. si autem primi motoris actio finita est, mundus interibit, cuius salus ex Aristotelis sententia pendet à motu: à quo rerum omnium origines deriuantur quod autem primus orbis à Deo non moueatur, planum fit ex eo, quod finito corpori, ut mundus est,

est, infinitum motorem copulare sit absurdum: cum finiti ad infinitum nulla sit ratio, vel coherencia, vel habitudo. quid enim absurdius est quam quod Aristoteles & Abenreis Deum, quem actu infinitum appellant, eundem mundo, id est corpusculo finito sic coniugare, ut ab eo diuelli non possit? quid autem minus philosopho dignum, quam efficientem causam, quæ sit infinita, cum effectu finito sic colligare, ut uno existente alterum existere sit necesse? sic enim Aristoteles philosophatur de mundo ac Deo, ut de calore & igne; de sole ac luce, quorum alterum alterius sit efficiens causa, sed ei tamen ita cohereat, ut auelli ne cogitatione quidem possit. at oportuit in eo genere mundum mentem esse, aut Deum corpoream habere naturam, si causa eiusmodi esset ut ab effectu minimè diuelleretur. ex quo sequeretur illud; Deum Aristotelis, quem mundo veluti spongiam lapidi affigit, ac perpetuo motu fatigat, non modo infinitum non esse, sed planè mundo concretum & finitum, ut lux soli. at ipse fatetur in libris $\alpha\omega\ \mu\tau\ \tau\alpha\ \phi\omega\sigma.$ mentes omnes ab omni concretionem corporum liberatas esse ac solutas. non est igitur Deus eiusmodi causa, ut sine effectu consistere non possit: & cum actu sit infinitus, non potest vlla ratione finito & exiguo corpori siue origine, siue statu, siue motu conferri. ac tamen si certa ratio est exigui seminis ad mundum uniuersum, ut demonstrat Archimedes ubi arenam numero complecti docuit, propterea quod utrunque corpus est regione ac termino definitum, mundi tamen ad id quod est infinitum, nulla ratio cogitari potest. quæ ratio facit ut Deus efficere Deum nequeat: quia infinitum ab infinito fluere non potest: ita mundum,

quem

quem exiguo quodam orbis ambitu cinxit, non magis æterno motu, quàm magnitudine infinita potuit ornare. quare nec Philoponi argumentum Abenreis dissoluere potuit; si mundus est finitus potestatem habet finitam. ut igitur Proculus argumentatur aduersus Anaxagorã & Metrodorum, qui loca magnitudine infinita, mundosque innumerabiles posuerunt; ἀπειρία, inquit, τὸ θεῶν ἀναρχεῖν, id est infinitas tollit Deum: sic ex iisdem fontibus argumentum illud hauriemus; si locorum vel corporum infinitas tollit Deum, igitur motu sempiterno, vel temporum, quæ à motu pendeant, infinitate posita, Deus tollatur necesse est, cùm motus sempiternus complectatur infinitatem seculorum, ex quibus si fluxerint annorum sexcenta millia, ne momentum quidem erit infiniti ratione. atque in eo fallitur Scaliger, qui Philoponum coarguens, negat tempus actu infinitum existere, sed sola successione, ut formæ singulares. non enim prospicit infinitæ menti ac sempiterno illi Deo, nihil prius aut posterius esse: sed totum illud tempus quod sempiternum ponit, actu infinitum perinde ut præsens ac instans, quo finitur tempus, haberi: alioqui non esset actu mens infinita. rectè igitur Augustinus scribit, nihil in rebus, aut locis, aut temporibus, aut motu infinitum esse præter Deum. Illud etiam non minus absurdum, si Deum primi orbis motorem fingamus, futurum est ut illum redigamus in ordinem earum quæ dicuntur intelligentiarum minorum, ac numen illud præstantissimæ mentis iisdem actionibus impediamus, quibus inferiores orbium mentes; quod sine scelere ne cogitari quidem potest. cùm igitur Dei maiestas ab ordine animorum longissime

simè absit, sequitur primi orbis motorem non esse. ac proinde si mens inferior motrix est, officio quoque, potestate, actione finita sit oportet. præterea rerum ordo, series, ac dignitas postulat, ut quaedam moveantur tantum, velut impuræ materiae concreta: quædam moveantur ac moveant, ut orbis cælestes, qui ab intelligentiis moventur, & vicissim hæc inferiora movent: quædam moveant duntaxat nec moveantur, ut mentes quæ cælos ac sydera circumagunt: sunt enim ipsæ immobiles, ut Aristoteles lib. v. 1. de natura demonstrat: extremum est ut sit aliquid quod nec moveat nec moveatur: id autem Deus est. Ex quo intelligitur primum orbem ab alia mente quàm à Deo moveri, à quo velut à fonte perenni ortum habuerunt mentes inferiores, à quibus orbis moveri cœperunt ac desinunt, cum sint finita. contra quàm putat Ficinus, qui mentem hominis infinitam esse scribit. nam ista ratione cum à Deo profiscatur secunda mens, infinitum ab infinito manaret, quod naturæ principii omnino repugnat. Quid autem absurdius est, quàm ea quæ sensu prædita sunt & corporea, cum intelligentiis; bona cum malis, infinita cum finitis, incorrupta cum caducis, denique tota ratione secum discrepantia, planèque contraria, eodem naturæ sempiternæ vinculo copulare? ut sit infiniti boni ac mali, Dei & cacodæmonis idem nexus. Illud quoque non leue est argumentum Scaligeri, quòd motus omnis vergit ad quietem, ut videre est in singulis rerum naturis. igitur orbis quoque cælestes ad quietem inclinabunt: quod sine mundi obitu fieri non posse constat. hoc argumento mundum interituum conclusit. sed de populari obitu intelligendum est: quoniam quies

est priuatio motus in eo quod rursus moueri potest. ita quoque intellexit Leo Hebraeus, Lactantius, ac veteres illi qui ante mundi huius ordinem, statum, figuram, putarunt omnia fuisse in rudi materia confusa. atque huc pertinet argumentum illud, quod Theophrastum conturbauit, ut uidere est apud Philonem in libro quem inscribit mundum non esse interiturum. est autem eiusmodi; Partium ac totius eadem ratio sit oportet: igitur si mundi partes labuntur ac distuunt, totum occidere necesse est aliquando; saltem occasu populari: ut cum animantia, plantae, stirpes, ab igne absumuntur, & vilissimam subeunt cineris naturam amissa nobiliore forma: idem quoque de caelo iudicandum. Proculus cum in easdem angustias delapsus effugere non posset, haec elementa, quaeque ex his conflantur corpora, mundi partem esse negauit, sed apotelesma duntaxat, & uelut appendicem, ut est apud Philoponum. sed haec opinio tam absurda refutatione minus eget. uidetur tamen Theophrastus ita dissoluere, ut occasum mundi futurum concedat, si quemadmodum singularia vicissim; ita quoque uniuersa simul obirent: preciso enim digito, inquit Philo, nihil uetat quod minus uiui possit. at non queritur utrum membris quibusdam captus homo uiuere; sed an pars ulla corporis uitam amittere possit: nam ex eo iudicatur corporis totius fluxa natura; quemadmodum ex aquae guttula, sapor fontis. neque enim partes homogeneas ab heterogeneis Theophrastus in illa conclusione distinxit. alioqui fatendum erit eiusdem animalis (est autem Academicorum omnium ac ipsius Theophrasti consensu mundus hic animal) alteram partem, & quidem corpoream,

corpoream, ita coagmentatam ut partim intereat, partim interitus sit expers: quæ tam ridicula mihi videntur, quam quæ Aristoteles ex auorū memoria disputans, neminē ait interitus cœli meminisse. at isto modo licet aurū, vel adamātem, vel Amianthon Adamante duriorē, aut etiam ferrū illud quod in Dariæ nullis ignibus liquefcere fertur, sempiternū affirmare, cū nullus meminerit hæc à seipsis interitū sensisse. Ex omnibus tamē omnium argumētis nullū maius visum est argumēto Philonis, quod ex abditis & sacris Hebræorum fontibus manauit. Non est, inquit, Deus autor ἀταξίας & confusionis: sed ordinis. si ergo mūdi procurationē gerit, non patietur labi ac interire. eadem causa Mosē Egyptiū impulit ut diceret Deū nulla indiuidua præter hominem immortalē curare. idq; Aristotelis & Alexandri doctrinæ congruit, qui non putāt id interiturū quod immortalī Deo curæ sit, ex eoque fieri, ut formas quidem uniuersas Deus conseruet, singulares fluxas & caducas negligat. eadem ratio Manichæos impulit, ut duo pari potestate principia statuerent, vnum bonorum omnium & ordinis; alterum malorum: interitus, & confusionis autorem. quod ut Mosēs Egyptius & Augustinus effugerent, interitum, mala, cōfusionem non in habitu, sed in pura priuatione boni collocarunt. si tamen ex Aristotelis doctrina malorū habitus statuamus, ut theologi plerique, non video quid absurdum consequatur, cū Deus nō propterea mali ac interitus causa sit per sese, sed ἡ συμπεφυκός tantum, ut cū scelerati curam omittit, aut etiam viri boni, ut de Iobē fertur: idem principi tenebrarum permittit, qui sceleratum & nefarium hominem ma-

lè perire faciat. hæc Mosis Ægyptij opinio est. idem quoque de interitu mundi ac omnium rerum iudicandum videtur: quarum curam simulac deseruerit, collapsura sunt. ac ne quis ea de re dubitaret, ipse Pharaonē, quē Hebræi principem tenebrarum interpretantur, sibi excitasse dicitur, ut in eo suam gloriam ostentaret: ut quæ hic labefactaret & corrūperet, ipse instauraret. Sed placet Philonē Hebræum ac Platonem Leonis Hebræi argumento efficacissimo conuincere. aiunt illi cælum ac sidera, quæque creata sunt ob id interitura, quòd ortus sui principiū habuerunt. igitur Deus sibi ipse repugnaret, qui corruptile aliquid fecisset, quod tamen corrumpi nollet. quòd si verum est ex igne & aqua cælum esse concretum, ut Philoponus ex Academicorum sentētia disputat, ac Hebræi sapientissimi naturæ interpretes affirmāt: id enim voce ipsa **מים**, id est **מים אש** vel, ut alij, **מים שמים** ignis & aquæ rationem complectūtur: quis dubitet cælum quoque interiturū? id quod Aristot. ne fateri cogeretur, quædam cælo tribuit naturam, quæ qualisq; sit nusquam explicat. non debuit igitur ignota cæli natura sempiternum affirmare. Sit igitur hoc postremum, ne omnia differantur, quod quæ ratione dissolui possit non video; Si mundus naturale corpus est, ex materia formaq; constat, ut omnes physici tradunt: ac proinde concretus: nihil autem concretū & partibus coagmentatum à seipso effici potuit, ex ipsius Aristolis disciplina. igitur causam habet sui efficientem: illud quoq; Aristoteles confitetur: quem Cardanus parum affectus, Deum mundi causam efficientem esse negauit: quod nec philosophum decuit, nec Christianum. at ex his
consequens

consequens est ut mundi causa prior sit effectu, non solum ipsa natura, sed etiam tempore: alioqui naturale corpus, & quidem ex heterogeneis, suiq; dissimilibus partib. conflari poterit sine tempore, ac ipso momento; quod naturæ principis & Aristotelis doctrinæ repugnat. igitur consentaneum est non solum mundo priorem esse Deum natura, verum etiam tempore; tum etiam mundum ex ipsa natura concreti corporis interiturum. Sed audire iuvat quid respondeant cum ab illis queritur ubi tot annorum millibus Respublicæ ac imperia latuerunt, ubi tot seculis rerum memoria gestarum: ad hæc; incendiis, aiunt, & eluisionibus in orbem sæpe recurrētibus homines obire: ac vicissim è terra nouo calore ac semine grauida renasci. hæc opinionem ab Aegyptiis acceptam Solo in Græcia disseminauit, quam deinde Anaxagoras, tum Plato in Menexeno ac Timeo: post Aristoteles in problematis: deinde Abensina in libro de diluuiis confirmauit. tandem hæc Aristoteli displicuisse videtur opinio lib. 1. mete. & Abenrei lib. 1 1 1. de animo; ubi negat vlla tanta fuisse diluuiam, quæ terras omnes inundarent. hac opinor ratione ducti, quod nulli hoc tempore satiui gygantes, at ne exigui quidem Myrmidones, ut olim è terra prodirent. an quia non satis pingue solum? negabit Aristides, qui in Panathenæis solos Athenienses de generis nobilitate iure gloriari putat, quod soli sint indigenæ terræ parentis, id est αὐτοχθόνες, quamuis Attico solo nullum magis sterile videatur. at in Aegypto ubi sunt aquarum uberes inundationes, ac tellus, ut ait poëta, sine nube ferax, id nunquam contigisse proditum est. an quia sol decrepitus est, aut tellus effœta? quoties igitur mundum hunc

velut animal hydropisi, aut acuta febre corripitur, cum incendiis & eluisionibus labefactatur, profecto materiam vetustate; mundum senio interiturum confitentur: atque id uniuersa natura perspicue demonstrat. Plinius libro V I I. tradit omnes scriptores conqueri genus hominum nec multitudine, nec magnitudine, nec robore cum veteribus posse comparari. quod fit ut fabulosa nostris imperatoribus videantur, cum audiunt Xerxis innumera- biles exercitus, aut Alexandrum magnum ac Cæsarem mox trecenta, mox etiam quadringenta millia hominum uno praelio fregisse: quæ tamen sacris litteris consentanea sunt. Creta verò quæ ab Homero ἐκείνη πόλις dicebatur, Centum, inquit ille, vrbes habitant magnas, vix hac æta- te tripolis dici potest. quinetiam Diodorus scribit olim in Ægypto decem & octo millia ciuitatum illustrium in sacris libris comprehensa: postea Ptolemæi lagi temporibus, tria millia extitisse. hac verò ætate vix in Ægypto & Asia tot restare feruntur. sanè magnitudo incredi- bilis ossium, quæ etiamnum his temporibus integra seruã- tur, certissima sunt miræ magnitudinis hominum argu- mēta. Sed ex omnibus nihil admirabilius est, quàm quòd ad sempiternam posteritatis memoriam Copernicus in li- bris reuolutionum, deinde Reinoldus post, etiam Stadius mathematici nobiles perspicuis demonstrationibus docue- rūt, Solis apsida terris esse propiorem, quàm Ptolemæi æ- tate (floruit autem Adriano principe) duodecim parti- bus, id est uno ac triginta terre semidiametris, vel, ut Ger- mani suis spatii metiuntur: x v i. millibus sexcentis & sexaginta miliaribus Germanicis, quæ Gallicis altero
tanto

tanto maiora feruntur. id autem cum usu frequenti & explorata demonstratione compertum haberet Philippus Melanchtho, ad caelestium, terrestriumque corporum tabescentem naturam referendum putavit: ut haec elementa solis calore commodius foveantur. quod Scaliger cum audisset, flagris dignos putavit qui talia scribunt. ipse flagris indignus erat, quod earum rerum ignorantia saepe, & quidem pueriliter lapsus est. Cum igitur fluxa sit & caduca materia caelestis, efficitur illud quoque, ut orta fuerit, & aliquando sit interitura. quae cum ita sint, tempora suas origines & exitus habere constat. id autem est quod quaerebamus. Nunc temporum ratio nobis est ab orbe condito ex historiarum monumentis haurienda. quod ex aridis fontibus Graecorum fieri nullo modo potest. cum enim historia Troiana nullam habeant antiquiorem, quam tamen Thucydides magna sui parte fabulosam esse tradit. & cum Homerus ipse post Orpheum & Linum antiquissimus scriptor, ducentis annis a bello Troiano claruerit, consentaneum est vulgi errores ac fabulas pro vera historia tradidisse. ut ut sit Plutarchus a Theseo principum vitas auspiciatus superiora fabulis confusa esse affirmat. fertur autem Theseus ante Romulum annos circiter quingentos claruisse, Abimelecho Hebraeorum duce: qui annus est ab orbe condito bis millesimus ac septingentesimus supra quadragesimum. ab aliis igitur quam a Graecis temporum vetustatem exquiramus. at ex omnibus aliarum gentium scriptoribus antiquiorem Mose video neminem. Herodotus antiquiss. Ctesias, Hellanicus, Xenopho, temporibus aequales, annis mille octoginta Mose iuniores sunt. Herodotum

dotū proximè sequitur Thucidides . deinde Berofus Caldaus Herodoto iunior annis ducentis . Berofum excepit Manetho Ægyptius ; tum Metasthenes Persa temporibus Alexandri magni . horum tamen exigua fragmenta restant , si modò ab his scripta sunt . de Metasthene & Ctesiaminus ambigitur . nisi quòd hic à Diodoro lib. III. rēprehēditur , in regibus Assyriorum : laudatur ab eodem in historia Persarū . contrā quàm Eusebius qui rectè Assyriorum , negligenter Parsarum tempora collegit . itaque ad Iosippum Hebraum Mathatie non Gorionis filium (quem Munsterus eūdem esse putat , cūm ex bello Iudai- co aperte refellatur) recurrendū nobis erit . hic enim duobus libris aduersus Appionem antiquissimos historicos , qui tūm in manibus terebantur , cum Mose contulit , & iustis ponderibus examinavit . ex quibus illud primū intelligitur , falsum esse quod Appio è Timæo Platonis arripuerat ; Ægyptios scilicet annorum octo millium historias in monimentis habere consignatas : absurdus etiam quod Herodotus tredecim annorū millibus apud Ægyptios regnatum audierat : absurdissimum quod Cicero in libris de diuinatione à Caldeis iactatum scribit ; se in periclitandis hominum ingeniis annorū CCCCCLXX. milia posuisse : Diodorus ascripsit CCCCIII. libro III. sed id fabulosum esse affirmat . Iosippus verò certissima temporū ratione collecta ex historia Phœnicum & Manethonis , qui Ægyptiorum arcana literis sacris comprehensa peruulgarat , Ægyptiorum & Græcorum fabulas inane aperte confutat , descriptis ætatibus regum Ægyptiorum ac Phœnicum . quāquam Diodorus ante Iosippi ætatem

etatem in *Aegyptum* profectus, ut populi antiquitates
 penitus intelligeret, comperit omnem quæ de *Aegyptiis*
 haberi poterat historiam, tribus annorum millibus ac se-
 ptingentis comprehensam, idq; testatus est lib. 11. ubi re-
 futat *Aegyptiorum* mendacia, qui ut generis antiquita-
 te cæteris præstare viderentur, trium ac triginta millium
 annorum antiquitates se habere prædicabant. ego Dio-
 dori tempus illud de arcanis *Aegyptiorum* verissimè ex-
 pressum contuli cum historia *Philonis*, quam doctissimi
 quiq; sequuntur: ab eoq; ducentis circiter annis discrepa-
 re intellexi, detracto temporis spatio quod inter *Philonem*
 ac *Diodorum* intercedit; id est centum paulò minùs annis.
 nam ab orbe condito ad *Philonem* (qui legatus ad *Caligulam*
 missus est ab *Hebrais*) numerantur annorũ quat-
 tuor millia. maius etiam argumentum ex *Simplicio* colle-
 gi. is enim tametsi *Hebraorum* & *Christianorum* se a-
 cerrimum hostem præbet, præsertim ubi *Proculum* aduer-
 sus *Christianos* tuetur; nihilominus in commentariis libri
 primi de cælo testatũ reliquit, *Aristotelem* litteras ad *Calisthenem*
 dedisse, ut tantisper *Caldæorum* antiquitates
 ac monimẽta conquireret, dum alij prædæ intenti *Baby-*
lonem diriperent. tum *Calisthenem* rescripsisse, conquisita
 diligenter à se *Caldæorum* monimenta, seque reperisse hi-
 storiam annorum M. D C C C C I I I. qui numerus ad un-
 guem congruit cum sacra historia *Mosis* & *Philonis*, si
 ab *Alexandro magno* regrediamur ad illud tempus quo
 primùm dispersos tradit *Nohe* filios in orbem terrarum,
 ac *Semi* gentem in terra *Sennaar*, ad orientem *Armenia*,
 in qua navis illa salutaris constiterat, sedes quæsivisse. est

D d autem

*autem Armenia orientalis Caldæa paulum ad meridiem
 vergens. Hoc igitur imprimis animaduersione non minus
 quam admiratione dignum est, quod Calistheni ac Mo-
 si, qui è purissimis fontibus veritatem hauserunt, conue-
 nit; quod attinet ad uniuersam temporis rationem. id quo-
 que proximè Diodoro congruit, si tempus ab orbe condito
 repetamus ad suam usque ætatem. nec minor est Xeno-
 phontis de æquiucis, & Archilochi de temporibus (si
 modò fragmenta illa scripserunt) congruentia cum Mose.
 nam uterque Ninum imperasse scribit post diluua ccl.
 annos: & alter quidè id colligit ex epitaphio Nini, quod
 ei Semiramis inciderat in columna. id verò tempus ra-
 tionibus Philonis & Hebræorū planè respondet. Adhuc
 Metasthenes Persa ex ipsius Berosi Caldæi testimonio,
 eius inquã qui tùm integer & incorruptus extabat, tem-
 porum seriem ab extrema regum memoria repetens, pau-
 lulum admodum discrepat ab Hebræis. sed illud memo-
 ratu dignum est, quod Iosippus aduersus Appionem docet
 eluiones Berosi scriptis comprehensas fuisse, & nauim
 illam, quæ animantium ac generis humani seminarium
 conseruabat, in monte Cordæo conquiesse, ut etiamnum
 Alexandri temporibus adhuc fragmenta restarent, unde
 bitumen ad expiationes colligi solebat. atque hæc Hiero-
 nymi quoque Ægyptij ac Mnasææ Damasceni autori-
 tate confirmat. quanquam I. Buteo Delphinus geome-
 trica demonstratione perspicuum fecit, nauis illius magni-
 tudinem longè capacissimam ad alimenta, omniumq; ani-
 mantium salutem extitisse. Omitto quod veteres poëta
 rei veritatem à maioribus acceptam ad fabulas inanes
 transtu-*

trāstulerunt. nam Ianus ab illis est appellatus, quòd uinum iain Hebræis dictum, inuenisse diceretur. ut illud quod sacra scriptura de Chamo, qui patris pudēda reuelauit, ad Iouem traduxerunt; alij ad Saturnum, quòd alteruter patris genitalia exeruisset. at Hebræorum plerique interpretes de Chamo idipsum prodiderunt, ut scribit Rabi Leui ad Genes. c. 1 x. consimilis est historia Gigantum, & Androgyni, quam omnes Hebræorum interpretes, verissimam esse aiunt. Plato ad fabulas detorsit. Nullum autem ad sacram temporum historiam confirmandam certius argumentum improbis opponi potest (neque enim talibus argumentis egent boni) quàm quòd Berosus Caldæus ab ipso Noha usque ad Sardanapalū: hinc Metasthenes ex historia Susiana usque ad Alexandrum: quinetiam Ctesias antiquissimus ab Herodoto, quiq; ab ipsa regia Persarum annales in Græciam detulit, teste Diodoro; postremò ipsius Manethonis Egyptij tempora cum sacris litteris, & cum Calisthenis historia ita conspirant, ut Caldæorum & Hebræorum cum Egyptiis discrimen omne non maius trecetorum sit annorum. quod tamen mirum videri debet in tanta scriptorum multitudine ac varietate annorum. nam Iosippus ex antiquissima historia Phœnicum (à quibus Græci scribere ac loqui didicerūt, ut ipsi confitentur) planū facit templum à Salomone cōditum annos ante Carthaginem fundatam c x l. idque collectis regum singulorum ætatibus. deinde Danaum Ramesis Egypti fratrem, vetustissimū Græcorū principem ex Egypto in Græciam profugisse, anno c c c x c i i i. post occupatum ab Hebræis Palæ-

stinam: & ante excidium Troianum annos CCC. idem quoque docet Cadmum Thebarum conditorem, litteras in Graciam detulisse iisdem temporibus, quibus floruit apud Aegyptios Pharaon Menophis; apud Hebraeos Othoniel, dux à Mose tertius. regum verò ætates ex Manethonis Aegyptij fontibus & historia Phœnicum se hausisse Appioni aduersario restatur. neque enim talis tantusque vir in historia ipsi Appioni comperta mētiri vellet. Herodotus, qui Manethone antiquior est annis fere D, ac Diodorus Herodoto iunior annis DCCC, eosdē fere principes Aegypti complectuntur, quos Hieremias, cuius historiā Herodotus ad verbū sequi videtur post Apryem, quem Hieremias Ophrea vocat, cuius temporibus floruit. postea persequitur Herodotus consequentium regum ætates usque ad Psammenitum, qui à Cambyse rege Persarum captus est, ac regno spoliatus. deinceps Aegyptum tenuerunt Persæ. desinit autem Herodotus in fuga Xerxis, quæ contigit anno mundi termillesimo CCCCLXXVI. cœperat autem à Gyge principe Lydorum, qui eodem quo Manasses tempore imperauit. sed cum Aegyptiacæ historiæ tempus breue sibi videretur, præ illa quæ ferebatur annorum octo millium historia; illud scribit, Aegyptios iactare se ante Menā, qui primus ab eo rex Aegypti appellatur, trecentorum ac XXX. regum historias habere sacris litteris consignatas: nec tamen ullius nomen ab iis vel acta commemorantur. sed cum multis argumentis huiusmodi fabula refelli possint, tum verò nullum maius est, quàm quòd Cl. Ptolemaeus homo Aegyptius, siderum itinerantium radices & ἱστορίας, à Nabonassare velut ab ultimo principio

principio & antiquissima Caldaorum obseruatione repetit. claruit autem Nabonassar, qui Salmanassar appellatur in libris regum, anno mundi ter millesimo; ante Ptolemaeum DCCCLXXX. ut ipse in libris magnae constructionis scribit. cetera quae ab Hyparcho, Methone, Eudoxo & Aegyptiis didicerat, his temporum curriculis sunt comprehensa. quòd si Aegyptij aut Caldae motus caelestes annorum CCCCLXXX. millium in tabulis notassent, cur Ptolemaeus Aegyptius Caldaeis proximus, annorum duntaxat octingentorum motus collegisset? hoc enim ad eas quas susceperat demonstrationes maxime necessarium fuisset. at ignotos inerrantium siderum & trepidationis motum reliquit: ut Arabes primum, deinde Regiomontanus & Copernicus perspicue demonstrarunt. ne Solis quidem motus omnes assequi potuit; cum negauerit Solis apsida moueri, quae tamen post aetatem Ptolemaei, id est annis mille trecentis sexaginta signum integrum percurrisse deprehenditur. Sed non desunt qui calumniantur ea quae de hominum aetatibus à Mose scripta feruntur: quanquam Moses se ipse ab illorum calumnia facile vindicabit: nihilominus tamen Iosippus lib. 1. c. 111. antiquitatum decem historicos laudat, qui vitam hominum tradunt modo sexcentos, modo nongentos annos superasse: Manethonem, inquam, Berosum, Mochum Hestiaeum, Hieronymum, qui Phoenicum veteres historias collegit; Hesiodum, Hecataeum, Hellanicum, Acusilaum, Ephorum. his etiam addemus Xenophontem, cuius autoritate Plinius ac Valerius utuntur. is enim regum maritimorum aetates aliquot complexus, unum quidem vixisse tradit annos DC. al-

terum D C C C. quis igitur tot ac tam multis scriptoribus fidem derogabit? quòd si quis putet annos menstruos fuisse, ut pleriq; pueriliter putant, quid mirũ videri debuit Xenophonti regem maritimum annos menstruos D C. vixisse, qui solis annos efficiunt quinquaginta? nam ipse Xenophon nonaginta superavit. quinetiam senescente hac mundi etate multorum scriptorum cõsensu proditum est, Ioannem, qui de temporibus est appellatus, annos C C C. implese. Plinius quidem ex certissimis tabulis Cęsorum, quosdam annos C L. vixisse refert. quòd si menstrui anni fuissent, oporteret homines apud Mosem, qui anno trigesimo liberos sustulerunt, bimos ac trimos genuisse. sed eos errore liberavit Moses, qui septimo cap. libri originũ dies C C C L X V. annua conuersione complectitur. itaque Plutarchus eos irridet, qui putant ante Numam Romanos annũ decem mensibus circumscripsisse, propterea quòd populi omnes duodecim mensibus annum semper definiunt, quãuis dies exemptiles numerandi rationem redderent incertam. Iam origine mundi temporumq; finibus cõstitutis, quæ ex Ægyptiorum, Caldæorum, Phœnicum, & Hebræorum consensu, annorum quinque millibus & septingentis ad summum definiuntur; restat ut illam annorum circiter ducentorum aut C C C. discrepantiam quæ Metastheni cum Hebræis, tum etiã Hebræis inter ipsos, post etiã Eusebio cum reliquis intercedit, quoad eius fieri potest, excutiamus: tametsi Lucidus, Funccius, & Onuphrius multa diligenter in eo genere animaduertent, multa sunt tamen quæ adhuc restant explicanda. Erroris autẽ origo multiplex est; eãque perspecta facilius error emendatur.

datur. Primum enim Persæ aliter atque Græci: & Hebraei aliter quàm utrique Persarum & Assyriorum principes appellarunt: ab his etiam Ægyptij discrepāt, ut suisque idiomatis vim ac puritatem retineret. interdum etiam nomina detorserunt. hinc nata sunt illa quæstiones de regibus Assyriorum, Persarum, & Ægyptiorum: à quibus ratio temporum ducebatur. Alius etiam error inde manavit, quòd Græci & Latini Hebræorum & Ægyptiorum antiquitates & linguam ignorarūt. Eusebius Græcorum bibliorum interpretes secutus, ducentos ac mille ampliùs annos quàm Hebræi cõplexus est ab orbis conditione ad Christum, & cum Moses ab orbe condito ad diluuium posuerit annos M D C L V I: Eusebius bis mille C C X L I I: propterea quòd septuaginta interpretes, vel potius librarij, quinto cap. Genesios vitam hominum ducentis interdum ac trecentis annis longiorem fecerunt, quàm Hebræorum scriptura patiatur. erroris etiam nõ minima causa videri potest, quòd Græci annos ab æstiuo solstitio incœperūt: Latini ab hiberno: ceteri qui ad occasum, à verna sectione: Arabes ab ingressu Solis in Leonem, ut Firmicus lib. I I I. tradit. Oriëntales verò, id est Caldei, Persæ, Indi, Ægyptij, Hebræi ab autumno; quo tempore mundus est à Deo creatus, ut Iosippus lib. I. cap. I I I. scribit, & Rabi Elezer in genesim; בראשית hoc est initio, בטבת id est mense septembri arcanum mensis eadem litterarum conuersione complecti putat. tamen si Moses Nisan, qui Xanticus Macedonibus, Latinis verò Aprilis dicitur, ordine primum posuerit, quòd eo mense populum liberasset, nihil tamen in reliquis immutauit, ut Iosippus testatur.

restatur. atque id intelligi potest ex eo quod iubet Moses Exodi cap. x x i i i. diem festum coles, inquit, in exitu anni, cum fruges in horrea cōgregaueris. quare fallit Garciaus, qui Hebraeos à sectione verna cœpisse tradit, quòd mundum eo tempore creatum putarēt, ut rabi Iosue. Plutarchus in symposiacis quæstionem illam disputat. sed omissa disputatione, si veris initio fruges inchoata non matura fuissent, eodem modo animantia imperfecta aut latentia Deus fecisset, ac nutrices adhibuisset. Hanc quoque causam erroris fuisse constat quòd Aegyptij, Persæ, ac Hebraei, certam ἐποχὴν, seu radicem temporum nullam haberent, sed regum etatibus tempora desinirēt. Græci ac Latini melius: alteri ad olympiades; alteri ad Urbis conditionem, tempora retulerunt. Christiani quoque, quam serò admodū, id est, anno Christi sexcētesimo, temporū rationem à partu virginis ordiri cœperūt. Arabes ab Hegira, id est à fuga Muhamedis, quæ cœpit anno Christi D L I. nec alia radice utuntur, ut videre est in historia Leonis Afri, qui uno tantum loco libri tertij Hegiram ad annos Christi accommodauit. post etiam Hebraei in actis publicis & priuatis temporum ἐποχὴν ab orbe condito usurpare cœperunt. est autem quinquies millesimus trecētesimus ac vigesimus quintus, anno Christi M D L X V. qui Philonem sequuntur ducentos ac duos annos adiiciunt, ut sit hic annus mundi quinquies millesimus quingentesimus & x x v i i: olympiadis verò C C L I X. annus quartus: diluuij ter millesimus octingentesimus septuagesimus secundus: Hegiræ millesimus ac decimus quartus: indictionis octogesima quarta annus decimus. his enim numeris

meris in historia uniuersitatis utendū est, ut tempora sint ubique certiora. est autē indictio tributi genus apud Afconium & Plinium iuniorem, nec temporis cursum significare cœpit ante Constantinum magnum. cœpit autē anno Christi CCCXIII. ante diem VIIII. Cal. Octobr. Constantino II. & Licino II. Aug. coſs. idque in fastis Græcorum scriptum est his uerbis; ΙΝΔΙΚΤΙΟΝΩΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΙΑΝΩΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ ΑΡΧΗ. quo die Maxentius Augustus à Constantino magno cæsus est, & pax ecclesie Christianæ restituta. Itaq; decretum est in concilio Niceno ut diplomatibus indictiones ascriberentur, ut scribit Bedas: propterea quòd nondum anno Christi utebatur, sed annis imperatorum; qui quòd idēdem mutarentur, planè incertā reddebant rationē temporum. decretū est etiam ut circulus indictmentū caperet x v. annos ut Olympias una quattuor. Sed errādi causa nulla maior fuit, quàm ex ignoto solis ac lunę cursu: in quo tamen omnis antiquitas se valde torsit, efficere tamen non potuit, ut certam annorū ac mensium rationem haberemus. nam Eudoxi οὐρανολογίας mendosæ repertæ sunt: nec usum ullum præbuerunt: & aurea quæ dicitur regula Metonis nouemdecim annorum, fallax; adeo ut anno post decimo sexto, dies unus superaret, quo solis cursus lunam antebat. fallax etiam Callippi annus: mendosæ Hyparchi regulæ trecentesimo post anno unius diei errorem indicarunt. nec multò certior Philolai ac Democriti: ἐμβολισμοί. postremò Cæsaris annus hoc habet incommodi, quòd lunares sustulit, & nunc plenus est erroris. nam paulatim æstiuæ feriæ ad hibernos menses regrediuntur. Cùm igitur

E e in

in tantis erroribus cœlestium motuum, Græci solis annum haberēt, sed annis lunaribus uterētur dierū C C C L I I I I. quos tamen altero quoque ac tertio anno intercalarent, uno die superante; præter mensem intercalarem, qui nunc tertio, nunc quarto quoque anno inferebatur, nec æquinoctiorum, nec solstitiorum ulla ratio haberi poterat, cum menses per totum annū vagarentur spatio annorum X X X I I I. Romani verò multò gravius in eo genere peccarunt, qui primò annum diebus quattuor ac C C C. constituerunt, ut quidam putant (quod tamen negat unus Plutarchus) deinde adiectis à Numa duobus mensibus lunares anni facti sunt: sed intercalariū tanta extitit varietas & confusio, ut ratio fastorum mox hibernis, mox etiam æstivis mensibus immutaretur, autore Tranquillo. Hebræi quidem lunaribus utebantur, sed tertio quoque anno mensem intercalarem inferebāt, qui ab illis Vaadar dicebatur: id est geminatus Adar. quare Garceus in eo labitur, quòd Hebræos æquæ ac Ægyptios annis solariibus usus scribit. nam Ægyptij annum æqualem habuerunt dierum C C C L X V. sed tamen is qui superabat quadrans, efficiebat ut annis mille C C C C L X. totius anni cōversio in orbem rediret, & annus canicularis integer intercalaretur. quanquam magni errores consequerentur, quòd integrum diei quadrantem caperent, qui tamen ab integro deficiebat, ut postea docuit euentus. Quæ cum ita sint, non mirum si in tanta annorum discrepātia, certa ratio temporis iniri nō posset. ac Theodorus Gaza vehementer fallit in libello de mensibus Atticis, cum etiam Græcorum ac Latinorum interpretes, cum hi suos cum illorum mensibus

mensibus comparari posse putant, qui tam instabiles fuerunt, ut semper incerti vagarentur. idque argumento sit, quod annus lege Iulia definitus, qui omnium certissimus habetur, solstitiorum & æquinoctiorum sedes anteuertit à Cæsaris ætate diebus circiter X I I I I. & frustra in motu exequando laboratur: sunt enim meo iudicio motus cælestes inefabiles & ἀἰθέροι; vel, ut mathematici loquuntur, surdi: quia nullis numeris comprehendi possunt, quin semper aliquid relinquatur numerandum, idque videre est in singulis conuersionibus planetarum. quæ igitur certitudo esse potuit ante legem Iuliam in tanta dierum ac mensium interiectione? Illud tamen animaduersione dignum, quod ab orbe condito una fuit & eadem apud Hebræos, & Caldæos anni obseruatio, qua nunc etiam Arabes utuntur: scilicet dierum C C C L I I I I. collectis tertio quoque anno diebus epactarum; idque ex sacris litteris facile constat. consimiliter Aegyptij anno caniculari superantes dies semper inferebant. quò fit ut ab illis in uniuerso temporum & annorum numero, qui ab orbe condito fluxerunt, nihil admodum peccari potuerit, quanuis in singularibus principum actionibus, victoriis: aut initio & exitu imperij cuiusque à Græcis dissideant, & utrique à Latinis. atque hinc illa tam diuturna, quæque nullum exitum reperire potest, scriptorū inter se disceptatio de Christi morte. alius quidem ante diem V I. Cal. Apr. alius A. D. V I I. ut Onuphrius. plerique A. D. I I I. ut Lucidus, qui disputationem ea de re instituit. neque solūm de die, verumetiam de anno discrepant inter se plurimūm. nam Bedas, Chrysostomus, Nicetas, Gauricus, Albertus

Ee ij magnus

*magn^o, Bernardus Mutinēsis, Onuphrius, anno XXXIII. passum fuisse. Apollinaris, Lucidus, Lyranus, Marianus Scotus, Paulus Burgenfis XXXIII. Tertulianus, Ireneus XXXI. Non minor est quæstio inter Græcos & Latinos; tum etiam Latinis inter ipsos de anno Urbis conditæ: quod cum planè definiri non potuerit Onuphrius in fastis, ex omnibus sententiis duas verisimiliores collegit, & utranque fastis adiunxit, ut quam quisque vellet sequeretur, unius anni discrimine relicto. in cæteris quidem principum actionibus & rebus memoratu dignis, tempora minùs diligenter notare leue est: sed quum in imperiorum initiis, aut in Era sine temporum radice peccatur, infiniti errores ex eo consequuntur. omnes tamen quoad eius fieri poterit, emendari debent ex Hebraeorū & Caldeorum disciplinis, quæ nihil, aut certè parum admodum discrepant à Philone. nam Talmudici suæ sectæ nimium addicti, ut diuinas sortes & oracula suo iudicio interpretarentur, ducentos annos de mundi ætate detraxerunt, nec cum Christianis conuenirent. argumento est quòd Rabbi Nassò quoties Christi meminit, cõtumelia capitali vocat חתלו & Christianos גלו עירום. hæc autem discrepantia nulla est inter ipsos ante mūdi annum bis millesimum ducentessimum XXXIX. qui annus est profectiois Iacob in Ægyptum. sed hinc ad exitum numerantur anni CCCCXXX. idq; disertè traditur Exodi XI. Galat. III. quo loco Iosippus lib. I. c. VI. tum etiam Philo ac Rabbi Leui Gersonis filius, tempus illud annorū CCCCXXX. incipere aiunt à profectioe ipsius Abrahamæ in Ægyptū cum natus esset annos LXXVI. ex quo verò Iacob in
Ægy.*

Aegyptum venit unà cum familia usque ad exitum, numerant annos C C X. atque in eo fere omnes Hebraei consentiunt: quos Philippus Melanchtho, ac eruditus quisq; sequitur: excipio Genebrardum eruditione ac pietate prestantem virum. is enim verba scripturae mordicus tenet: Funccius errorem irrepsisse putat in verbo τετρακοσις pro πετρακοσις, ut etiam Th. Beza; id quidem in epistola Galatarum & Actorum, quae Graecè scriptae sunt, fieri potuit: sed locus exodi Hebraicè scriptus hunc errorem non admittit. in hac igitur disputatione tutius est Hebraeorum interpretationes tueri, praesertim cum Metastheni fere congruant. idem quoque in reliquis faciendum puto, quod & Philo proximè fecisse videtur. huic ergo magis assentior, cum ab exitu Hebraeorum ad templi conditionem annos enumeret D C C C C X X. Iosippus verò M L X I I. lib. X. C. X I I. ille à templo condito ad eius eversionem C C C C X L. hic C C C C L X X. iuniores Hebraei C C C C X I X. Philo mediū ferit. idem ab orbe condito ad excidium templi complectitur annos ter mille C C C L X X I I I. Iosippus ter mille D X I I I. ille à diluvio ad eversionem templi M. D C C X V I I. hic verò M. D C C C C X I I I. interpretes Hebraei multò pauciores utroque. sed tamen Philo mediam rationem secutus est, ut igitur inter se conciliari possint, reiiciamus primū Alphonsi tempus ab orbe condito, ad hoc usque tempus, id est anno Christi M. D L X V. octo millium & D X L I X. annorū, cum suae opinionis nullam afferat rationem: ut nec Eusebius cuius testimonio sex annorum millia D C C L X. ab orbe condito fluxerūt. ex Augustino sex millia D C C C C X V I. ex Beda V I. millia D C C C X C I I. ex Hieronymo V I. mil-

E e iij lia

lia DCV. ex Theophilo Antiocheno VI. millia DCCCXXXI.
 ex Isidoro VIII. millia CLXXI. Hebræos, Caldæos, &
 Persas amplectamur, ex quorum historia nondum ab orbe
 condito fluxerūt annorum V. millia DCCXXX. siue Me-
 tasthenem, siue Ctesiam, siue Herodotum, siue Berosum
 cum Hebræis coniungamus. Inter Hebræos, Baal Seder
 ab orbe condito ad hoc usque tempus complectitur anno-
 rum quinq; millia CXXXIII. Rabbi Nassso quinq; millia
 CLXXXI. R. Gerso & Kimhi quinque millia CCCI.
 Hebræi iuniores V. millia CCCXLIX. Philo V. millia
 DXXVIII. Iosippus V. millia DCCXXX. discrimen igitur
 est inter Iosippum & Philonem certissimos scriptores,
 annorum circiter ducentorum, idque contigit propter eum
 quem dixi locum Exodi cap. XII. quem Iosippus ad vi-
 uum refecat: sed cum cæteri bibliorum interpretes, tempus
 illud annorum CCCCXXX. incipiant à profectiōne A-
 brabæ in Aegyptum usque ad Mosem: tum etiam Cte-
 siæ ratio cum Philone proximè cōsentiāt: Philo verò me-
 dium feriat inter Iosippum & Talmudicos scriptores,
 (hos enim superat annis CC. ac totidem à Iosippo supera-
 tur,) consequens est hunc cæteris omnibus esse verio-
 nimis enim pertinaciter Hebræi iuniores tēpora Danie-
 lis deprauarunt, ut contrā omnium scriptorum fidem enu-
 merent quinq; duntaxat Imperatores Persarū, cum Me-
 tasthenes, Ctesias, Græci denique decem fuisse tradant
 collecta cuiusque principis ætate. sed id fecerunt, ne ab o-
 raculis prophætæ perperam intellectis recedere viderētur.
 hos igitur refellere necesse est, tum Iosippi ac Philonis au-
 toritate; tum etiam orbium cælestium motu, cuius certa
 radix

radix est apud Ptolemæum in libris magnæ constructionis, à Nabonassar dominatu, unde Astrologi, cum nihil habeant in suis obseruationibus antiquius, incipere cōsueuerunt. Hoc igitur animaduersione dignum est, quòd ex illa motuū radice, uniuersi temporis ordo ac ratio pulcherrimè congruit Hebræis, Caldæis, Græcis, ac Latinis; ab anno conditi orbis t. r. millesimo decentesimo decimo octauo, quo imperium suscepit Nabonassar. hoc verò ita colligitur. Omnes historici fatentur Alexandrum magnū mortuum esse Olympiadis c x i i i i. anno primo: at Ptolemæus à Nabonassare vsque ad Alexandri mortem legit annos c c c c x x i i i i. id est Olympiades c v i. quòd fit ut Nabonassar imperium acceperit Olympiadis octauæ anno primo: qui annus erat duodecimus imperij Achas regis Iudæorum: ut scribitur lib. i i i i. Regum: Urbis autem conditæ sextus. quippe iacta sunt Urbis fundamenta, ut Varroni ac Dionysio placet, anno quarto sextæ Olympiadis. hæc igitur norma temporis uniuersi neminè fallere potest; quāuis in singularibus actionibus saepe dissideant alij ab aliis. tempora deinceps à Nabonassare vsq; ad Adrianum (sub quo floruit Ptolemæus) certissima ex ipsius tabulis colliguntur. is enim lib. i i i i. cap. i i. complectitur annos D C C C L I I I I. ab anno secundo Mardocempedi (quem Hieremias Merodachum appellat) vsq; ad annum Adriani x i x. Quòd autem Nabonassar idē sit qui Salmanassar in sacris litteris, planū fit ex eo quòd ab euerfione Samariæ vsq; ad excidium templi, anni sunt c x x x i i i. ex sacra scriptura: unde colligitur Ezechiam imperasse annos x x i i i. Manassem l v. Amonē i i. Iosiam

siam x x xi. *Ioachimum* x l. *Sedechiam* x l. is expugnata *Hierosolyma* captus est. at *Ptolemæus* ab initio *Nabonassaris*, qui *Samariam* cœpit, ad excidium templi cōprehendit annos c x l. ait enim lib. v. c. xiiii. quintum annum *Nabopollassaris* (qui *Nabuchodonosor* in scriptura vocatur) esse centesimum ac x x vii. *Nabonassaris*. igitur si addas annos x iii. eius Imperij vsque ad urbis expugnationem (capta est autem anno x v iii. *Nabuchodonosoris*) conflantur anni c x l. qui numerus septem annis minor est, eo quo utitur scriptura sacra, sed excipiēdi sunt anni *Nabonassaris* imperij vsq; ad captiuitatem. Ad hęc igitur regulam cœlestium conuersionum, si uniuersitatis historiam exigamus, planum fiet *Metasthenem* tempora breuiora complecti: id quod accidit propter interregna, cū inter se *Principes Assyriorum* & *Caldæorum* mutua bella crudelissimè gererēt, & mox alius alium deturbaret, nec interim annorum ac temporis decurrentis ratio haberetur. argumento est etiā quòd nec *Berosus*, nec *Metasthenes* ullius interregnum aut menses complectuntur, sed annos dumtaxat imperij cuiusque, sine ulla certa radice motus. *Ctesias* scriptor diligens mēses & interregna nō omisit, sed nihil habemus preter exigua fragmenta. hunc tamen *Diodorus* ac reliqui sequuntur: quinetiam *Plutarchus* (qui *Ctesiam* mendacissimū appellat in *Artoxerxe*) illi, quod ad temporum rationem attinet, credēdum putat: præsertim cum *Herodotum* mēdaciū coarguat, & ab ipso *Xenophōte* (cuius tēporibus floruit) à *Strabone*, *Athenęo* ac *Diodoro* laudetur. *Manetho* ac *Dius* in *Phœnicū* historia menses & interregna collegerāt, ut videre est apud *Iosippum*,

Iosippum, sed historia Phœnicum penitus interiit: Manetho verò desit in Olympiade quinta, quinque annis ante urbem conditam, duodecim ante Salmanassarem: post euerfionem Troiæ cccxxv. cui Sempronij Romani tabula congruunt. Hæc verò discrepantia nulla est apud Græcos & Latinos in ratione eius temporis quod ab Olympiade cœpit, cùm Urbis conditio secuta sit Olympiade sexta. ex quo facile est Romanorū fastos cum Olympiade comparare, usque ad Gothorum inuasionem, qua sub Odoacre contigit anno Christi cccli. tum ab Era Christi certissima tempora huc usque colliguntur. Restat igitur ut ab uniuersa illa temporum ratione regum etates ac imperia deducamus, optimi cuiusque scriptoris habito delectu. Illud etiam admonendi sumus in historia legenda bissextilis anni habendam esse rationem, si usquam occurrat, ut præteritos aut consequentes annos certius ac facilius colligamus. ut quod Marcellinus scribit lib. xxxv. Valentinianum apud Ancyram mortuo Iouiniano Imperatorem creatum vii. Cal. Martij, neque die sequenti, quòd bissextilis dies forte tùm esset, imperij insignia suscipere voluisse, bissexti diem tanquam infustum metuentem. ex eo Marcellini loco, fasti Romanorum seditionibus ac interregnis conturbati, emendantur ac restituntur: cùm quarto quoque anno recurrat bissextilis. itaque collectis annis à Cæsare ad Valentinianum relinquuntur anni ccccviii. à iiii. Consulatu Cæsaris Dictatoris, qui bissextilem annū instituit: ab Urbe verò condita mille cxvi. Hic verò Marcellinus quem dixi, Amianus nominatur, & Iuliani Augusti etate vixit: alter Mar-

Ff cellinus

cellinus comes V. C. Iustiniano principe Chronica auspicatus est ab anno Urbis conditæ M C X X X. eaq; indictione & consulatu diligenter distinxit, quanquam Consules eo tempore esse desierunt, sed nomen in Imperatorib. resedit. ultimus omnium fuit Fl. Basilius iunior V. C. Consul Orientalis anno Christi D X L I. cuius sæpe meminit Procopius in libris de bello Gotthorū. Hæc de ratione uniuersi temporis ac origine mundi, cuius exitus quando futurus sit, ne angelis quidem; certè mortalium nemini scitum est: nisi fortasse coniecturis Helia Rabbini assentiamur. is enim in libris Talmudicis, titulo Sanedrim, cap. Helec, tum etiam in titulo de idololatria cap. Libne, sex annorū millibus mundi ætatem definit, ex opificio mundi sex dierū: quam coniecturam multi velut oraculum acceperūt, cū Heliam Prophetam esse arbitrarentur. certè R. Isaac in caput 1. Geneseos, & Leo Hebraeus illud vaticiniū quasi cælo delapsū amplexantur. hoc ampliùs etiam Leo Hebraeus, quòd perpetua sex annorum millium vicissitudine, mundi elementaris conuersionem, ac septimo quoq; millesimo quietē fore opinatur: quousque quadraginta nouem millibus annorum elapsis, quinquagesimus orbium quoq; cælestium interitum sit & quietem magni Iobelei allaturus. sed hæc subtiliùs inquirere, quæ nec humano ingenio capi, nec ratione possunt, nec diuinis oraculis probari, non minùs ineptum quàm impium videtur.

QVA

QVA RATIONE POPVLO-
rum origines haberi possint. Cap. IX.



*N*ULLA quæstio magis exercuit historiarum scriptores, quàm quæ habetur de origine populorum: nec plures interitus Rerumpublicarum, aut bella ciuilia sæpius gesta memorantur, quàm pro generis claritate ac splendore: cùm alij opibus, aut scelere, aut maiorum virtutibus parua nobilitate, seipsos ab alijs sponte diuellerent, & eorum affinitatem repudiarent. extremũ fuit arrogantia genus eorum qui humanæ conditionis obliti, se à dijs ortos esse prædicarent, quod non modò imprudentibus ac stultis contigit, sed etiam ijs qui in summa sapientia ac virtutis opinione floruerunt. neque enim erubuit C. Cæsar in concione populi Rom. iactare se materno genere, à regibus; paterno verò à dijs ortum traxisse. quinetiam Aristoteles ad Æsculapium & Apollinem retulit suum genus. hinc opinio diuinitatis eorum qui cùm homines esse desissent, se deos fore arbitrarentur. atq; hæc superbia potentiorum ad infimos usque manauit: qui quòd suæ originis initia nescirent, aut peregrinorum odio dissimularent; se indigenas terræ parentis, hoc est αὐτόχθονας & γηγενεῖς, appellarunt. sic enim Aristides in Panathenæis, supremæ nobilitatis decus Atheniensibus tribuit, quòd non aliunde profecti genus ab ipsa terra deorum matre traxissent. atque hic error non modò veterum scriptorum, sed etiam iuniorum adeò cõmunis est, vt Polydorus, prudens alioqui scriptor, Britannos in mediterraneis sitos, nec aliunde aduenisse,

F f ij &

& indigenas esse affirmet; Casarem opinor secutus. Al-
 tamerus quoque ad Tacitū scribit Germanos in ipsa Ger-
 mania genitos, nec ab ulla gente deriuatos: atque eius rei
 se fidem dare non dubitat, fretus autoritate Taciti, Sa-
 bellici, ac Sipontini. quo quid ineptius, dicam an magis
 impium fingi potest? veteres sanè quodammodo venia di-
 gni sunt: hi verò vel magno errore, vel scelere obligantur:
 tūm quòd ea quæ Moses in sacris libris de originibus te-
 stata reliquit, aperte oppugnant (quanquam nulla subie-
 ctatione) tūm etiam quòd nulla gentibus illis origine
 quàm à patrio solo tributa, eas ab aliarum societate &
 amicitia omnino diuellunt. cūm enim multa diuinitus ad
 origines scribendas Mosē impulerunt, tūm illud etiam,
 opinor, ut omnes homines ad quos ea fama peruenisset,
 planè intelligerent se esse consanguineos, & eadem gene-
 ris coniunctione sociatos. qua persuasione haud scio an ad
 hominum volūtates & amicitias stabiliendas ac retinen-
 das ulla maior esse videatur. neque enim Diomedes &
 Glaucus duntaxat, verumetiā innumerabiles sape exer-
 citus in mutuam perniciem armati sola cognationis ac gē-
 tilitatis specie inimicitias diremerunt. qui verò se indige-
 nas & satiuos esse iactant, quid aliud quàm humanæ so-
 cietatis vinculum abrumpunt? Hinc illa capitales ac pe-
 stiferæ voces Ægyptiorum aduersus Hebræos: Græcorū
 aduersus Latinos, quibus alij alios insigni quadam contu-
 melia barbaros appellant. hinc hostes olim à Romanis ap-
 pellati peregrini: à Germanis etiamnum maiore contu-
 melia Velchi. non ea vox est hospitalitatis maiorum quæ
 tātā illis gloriam peperit. hinc denique famosi libri ad-
 uersus

uersus externos ab iis qui non musarum aut Mineruæ, sed Martis sacerdotes veriùs appellari debent, qui tædas ardentis inter medias acies vibrant, & eos quos amore mutuo conciliare debuerat, iniuriarum facibus ad odium inflammant. neque enim necesse est à me nominari quenquã, nec ea comemorare quæ in nos scripta sunt ab iis qui maiore infamia seipsum quàm nos affecerunt. at quantum equius erat se cum peregrinis eodem sanguinis ac propinquitatis vinculo colligare, quàm arroganter ab illa communi cognatione cum verborum contumelia discedere? Quare nec Lycurgi, nec Platonis leges eas probare possum, qui suos ciues à commercio peregrinorum omnino seiunxerunt: tum etiam domesticarum rerum ad externos euectionem, aut inuectionem peregrinarum ad suos prohibuerunt. nam quid hoc aliud est quàm tollere de rebus humanis hominum societatem? si meliores illi, peregrinos suis virtutibus informare ac beare, non arcere debuerunt. sanè Moses non minore benevolentia peregrinum quàm ciuem prosequendum putauit: & peregrinorum iniurias grauius quàm ciuium vindicari mandauit. Iam verò summa quadam immortalis Dei sapientia factum videmus, ut nullius regionis tanta fecunditas sit, quæ non magnopere alterius egeat ope. India, inquit ille, mittit ebur, molles sua thura Sabæi, At Chalybes nudi ferrum. tum paulò post; Continuo has leges æternaq; fœdera certis imposuit natura locis. cur tandem nisi ut res simul rationesque populi contraherent inter se, ac mutuis commerciis pacem & amicitiam firmarent? sic enim existimo diuina ultione factum esse, ut Græci Latinis (quos barbaros appellabant) ac vicif-

sim Latini Gothis & Scythis (à quibus antea semper velut à bestiis abhorruerant) tandem aliquando seruirent, tùm etiam coloniarum multitudine populi omnes confusi se consanguineos esse agnoscerent. Tria sunt igitur argumenta quibus origines haberi, & ab historicis traditæ iudicari possunt. primum in spectata fide scriptoris: alterum in lingue vestigiis: tertium in regionis situ ac descriptione. de historicorum delectu antea dictum à nobis est, & quântum scriptori de suis ciuibus aut hostibus scribenti credendum sit. nã Conradus Peutingerus, Nuenarius, Hermannus, Lupoldus Bambergensis, Iacobus Vuifolgius, Andreas Altamerus, Vuolfangus Lazius, Paulus Iouius, Ant. Sabellicus, & inter nostros, Rupertus Cenalis tam ambiciosè de suis ciuibus scripserunt, ut nec quicquam aliis tribuant, nec sibi Deos pares esse putet. verior Beatus Rhenanus ac Tritemius abbas: reliqui ad sui nominis commendationem multa scripsere, quæ ut vera sint, potuerunt tamen sine aliorum contumelia moderatiùs scribi. Fracos à Germanis originem traxisse demus. quid enim ad nostri nominis famam præclarior, aut ad societates & amicitias contrahendas illustrius, aut ad utriusque Imperij salutem utilius esse potest, quàm ad fortissimam & generosissimam Germanorum gentem Francorum origines referre? Adhibeamus igitur ad eiusmodi quæstiones ea quæ dixi argumenta, ut omnium populorum certas ac minimè dubias origines habeamus. Cõstat enim Caldæos omnium populorum antiquissimos fuisse, nõ solum Mosis grauisimo testimonio, sed etiam Metasthenis, Herodoti, Ctesia, Xenophontis; quibus assentiuntur iuniores, Diogenes Laertius,

rius, Philo, Porphyrius in epistola quadam ad Boëthum, Clemens Alexandrinus, in Stromatis, Eusebius de Evangelica demonstratione, Theodoritus libro 1. de Græcarum affectionum curatione. Rabbi Moses Maimonis filius lib. 111. cap. xxx. perplexorum, ac reliqui quoque interpretes Hebræorū. hi omnes humanitatem, litteras, artes, omniumq; magnarum scientiarum laudem Caldæis acceptam ferunt. hinc Prometheum genere Caldæum, quod homines ab agræsti incultaq; vita ad humaniorem impulisset, ratosq; siderū cursus, traiectiones errantiū, totamq; naturæ obscuritatem hominū generi tradidisset, sinxerunt ferula Palladis sacros ignes de cælo detraxisse, & hominem è luto coagmentatum anima cælesti aflavisse. est igitur omittenda vox indigenarum, & à Caldæis omnium populorum origo petenda, cū in ea regione, aut certè illi finitima, navis illa quæ humani generis seminariū servarat, cōquieuisset. inde homines huc illuc dispersi suum genus eo modo propagarunt, quo verissimè est à Mose & Hebræorum magistris abundè disputatum. sed id prætermitto quod cuique in promptu est ex iisdem libris cōquirere. illud tātūm quod nostri originum scriptores non satis aperuerūt, scilicet linguarum vestigia, in quibus præcipuum est originis argumentū, deinde locorū situs explicabo. nam ut proxima quæq; & fertilissima regio fuit, modò incolis vacua, sic à finitimis quibusque est occupata. postea verò quàm hominum multitudo redundare cœpisset, coloniae in solitudines extremas & loca sterilia deductæ sunt. quis enim Asia vel Italia relicta colonias in Gothiam nisi cogente necessitate deduceret? quare nō amplius dubi-

dubitandum est utri vetustiores sint *Ægyptij an Scythæ, Greci an Latini*, id quod anxie quaesitum est à veteribus, ut videre est apud *Diodorum, Iustinum, Catonem, Dionysium Halicarnassæum*. qui enim *Arabia ac Lybia* deserta vel *Æthiopiã* occuparunt, tametsi *Græcis ac Latinis antiquiores sunt*, nihilominus in illis sedibus acquieverunt, quòd aditus in *Asiam & Europam* nulli pateret. argumèto sit quòd *Arabes ac Pœni cum primũ armis cõfidere cœperunt, in Asiam & Europam colonias & exercitus deduxerunt*. scribit enim *Leo Afer, Pontificem Babylonis Arabes in suis finibus tãtisper cõtinuisse metu religionis*, quoad ducẽtesimo circiter *Hegiræ* anno, *Nili aditũ infinitis legionibus patere voluit, ut rebellãtes Africa principes vlcisceretur*. Sed illud est admiratione dignissimũ, quo *Epicurei, & q̃ satiuos homines fuisse putãt, refelli facillè possunt, quòd populorũ origines quæ à Mose traditæ sunt, Caldaica & Hebraicæ, linguæ, quæ sola dialecto differunt, ea vestigia retinent, quæ nõquã potuerunt in tãta linguarum varietate aboleri*. est enim prima illa lingua quæ ab *Abrahamo Caldeo* suæ genti data est. prius enim quàm *Græca aut Latina* linguæ ulla imago extitisset, *populi ac regiones Hebraicis appellationibus utebantur*. est enim *Iapetus Nohæ filius, ab hoc Europæi propagati feruntur, idque non modò Hebræi, sed etiam Græci ac Latini confitentur*: *Audax, inquit ille, Iapeti genus: id quod ab Homero & Æschylo sumptum est. at in huius vocis etymologia mirũ quàm Græci se frustra torquẽt. alius πᾶσι τὸ ἰάπειν, id est ledere: alius πᾶσι τὸ ἰάσαι, id est mederi: nonnulli πᾶσι τὸ ἰάσαι καὶ ἀπάσαι duci voluerunt:*

cũm

cùm Hebraicè dilatationē significet. ita Iudæos Tacitus quasi Idaeos à Creta oriundos facit, ubi mons est Ida: hinc illos in Mauritaniam, postremò in Palestinam circumaggit: cùm tamen ea voce laudatores Hebræis appellentur, consimili errore Strabo ac Liuius Germanos quasi fratres Gallorum dici putant, quæ vox ut Alemanus quoq; totum hominem siue strenuum patria lingua significat, ut docuit Altamerus. eodē errore Ion, vel ut Homerus, Iacon à flore Græci deriuarunt, quòd Hebraicè defraudatorem significat. ab hoc Iones in Asia & Græcia propagati. hinc Daniel Alexandrum magnum regem ꝑ id est Iacon, vel Ion, vel Iauan in Assyria imperaturū prædixit. illa quidem Græci quasi sua deprauare sunt conati: hæc verò nulla ratione potuerunt, quæ nihil omnino Græcis significant aut Latinis, & omnium vetustissima sunt nomina, unde populi appellationem acceperūt, solis Hebræis notam: scilicet Danaus, quod Caldaicè iudicē significat: à quo Danai: & Dardania iudicum habitatio. est enim dar habitare: hinc Dardani dicti: & Ianus id est vinosus, quem Dionysius Halicarnassæus Oenotrium eadem significatione appellat eum qui primus colonias in Italiam trāstulit. est enim Iain Hebræis vinum. Nimrod, rebellis: malè Philippus Melanchtho amarum dominatorem interpretatur. est enim marad rebellauit. Ninus filius: Niniue Nini domus: Solon, pacificus pro Solom, quia Græci literā m. non admittunt in fine. nihil autem Græcis significat. consimiliter Cadmus Thebanorum conditor, ac litterarū, quibus vtuntur Græci, parens appellatus Orientalem & antiquum significat. Medi, admensi. Armenij, sublimes:

Gg Chana-

Chananai, mercatores: Hebraei, transeuntes: Dodonai, dominantes: Chusiteꝯ nigri, quos Græci Æthiopus eodem sensu vocarunt. Moschouitæ, extensi: Riphæi, gygantes: Persæ, diuisi: Assyrj, beati: Lybies, inflammati: Græci Africam dixerunt frigore vacuam: Emathij veraces, neq; enim duci potest ἀπὸ τοῦ αἵματος, cùm Græcæ lingua ratio non patiatur. Misrim angusti: malè Philippus Melanchtho rebellem interpretatur: sic Ægyptij dicuntur, & his quoque temporibus veterē retinent appellationem. Scythæ, percussores; à Cethim Iapeti filio: sic enim verior est etymologia, quàm quæ est à Melanchthone de Macedonibꝯ allata, quos Macethiin vocat. at illud mem originis alterius prepositio est. Heneti Hebræis vagabundi, Nomades Græcis appellantur. Homerus ἐπειθλοὺς appellat, & in Paphlagonia collocat. hi Germaniã inferiorem occuparūt, inde sinus Venedicꝯ, tū etiã in Italia & Gallia sedes posuerūt. Cimbros quoq; à Cimbris Chersonessi, & Danos a Danais ortos esse ipsa nominis appellatio docet. Elã adolescēs quo nomine Persas Hebræi vocāt: hinc tribus Elamidos apud Xenopōhtē, ubi de Persis agit. Lydij, nati: Sarmatæ, duces altitudinis: Secani, habitatores: sic primi Siciliae incolæ dicebantur, & qui Burgundia tractum occuparunt. Thraces euersores, à Tiras filio Iapeti. hinc fluuius eiusdem appellationis in Thracia. Phut, cardo, filius Camefis: quo nomine Mauri appellantur à Ptolemeo, & fluuius eiusdem nominis: etiam Phutis urbs in Mauritania, quòd sit in cardine Africae. omitto ea quæ sunt à Philippo Melanchthone explicata: in quibus tamen illud probare non possum, quòd Æscanazim (quo nomine

nomine

nomine Germani ab Hebraeis vocantur) ab $\Theta\kappa$ & IHP quasi sacerdotes ignis dici putat. nō enim patitur Hebraica lingua ut radicalis v̄ elidatur, & r quiescat in cohen. veriū est habitatores dispersos à facan & naza significare. hinc etiam *Ascania* regio *Asiae minoris* & *Sicania*. Haec igitur appellationes *Caldaica* & *Hebraica*, quae nihil *Graecis* aut *Latinis* significant, primas origines omnium gentium illis, à quibus idiomatica fluxerunt, tribuendas esse docent; & omnium gentium antiquissimos esse *Caldaeos*, *Armenios*, *Aegyptios*, *Hebraeos*, *Arabes* (quorum lingua parum ab *Hebraica* differt) *Phœnices*, *Iones*, *Asiaticos*, *Persas*, *Indos*, *Medos*, *Aethiopas*, *Sabaos*. neque absurdum quod sacerdos *Aegyptius* *Soloni* obiecit, *Græcos* infantes sibi videri, quod nihil vetusti haberent. meliū etiam *Christianus* ille qui *Græcis* obiecit *Mosē* legislatorem *Diis Græcorum* antiquiorē esse. nihil enim fere antiquius habet *Græcia* ipso *Danao* & *Cadmo*; quorum alter gentis conditor, alter litterarum repertor appellatur. quibus tamen temporibus in summa rerum gestarum gloria floruerant *Hebraei*: *Caldaeorum* verò ac *Aegyptiorum* imperia penè consenuisse videbātur. Quanto igitur *Caldæi*, *Aegyptij*, & *Hebraei* *Græcis*; tanto hi reliquis antiquiores sunt: idque perspicuum fit ex illa triplici ratione qua v̄rebamur; scriptorum, inquam, fide perspecta, linguae vestigiis, & regionis situ. Nā *Pausanias* & *Strabo* *Græcos* omnes, aut *Iones*, aut *Æoles*, aut *Dores* fuisse aiunt. *Iones* quidē ab *Asia* in *Græciam* venisse antea dicebamus, magnorum virorum auctoritate adducti: quibus cōsentaneum est id quod *Hecataeus*

tæus testatur apud Strabonem, primos incolas Græciæ à Barbaris regionibus venisse. Itaque Plinius Meandrum fluvium, qui bonam minoris Asiæ partem alluit, Ioniam alluere scribit: tùm etiam Athenienses Græcorum antiquissimi (soli enim αὐτόχθονες dicebãtur) Iones ab omnibus scriptoribus appellantur. sed in eo fallunt Pausanias & Strabo, quòd Atticam, veterem Ioniam appellant, cùm prius Asia culta fuisset ab iis unde nomen illud fluxerat. tametsi enim Atheniensium duodecim coloniæ in Asiã deductæ fuissent, ut Strabo ac Pausanias tradunt, quas postea Plinius ad octoginta usque creuisse autor est: non propterea tamẽ sequitur Athenienses Asiaticis fuisse priores. nam ista ratione Galli Græcis & Asiaticis antiquiores essent: & Græci Caldæis, cùm hi in Caldæã, illi in Asiam & Græciã colonias sæpe deduxerint. Æoles verò, id est varij ac mixti, quòd ab Ionibus, ut opinor, Ægyptiis, ac Phœnicibus stirpem traxissent. nam omnes populi extra Isthmum, præter Athenienses ac Megarenses, Æoles dicebãtur, ut Strabo scribit. Danaï verò classis ad littus Achaïæ appulit: ipse Argiuorum, qui inter Æoles clarissimi fuerũt, imperium adeptus est. idem postea colonias in Peloponesum misit. Cadmus Phœnix coloniã quoque Thebanorum in Beotiam deduxit. Dores autem initio nõ alios fuisse quàm Æoles, planũ fit ex ipso Pindaro, qui suum poëma Dorice scriptũ αἰολίδα μοῦσιν appellat: sed Dori principis appellatio nomẽ potuit nõ originẽ mutare. quòd si quis scire velit quæ cuiusque populi sit origo in Græcia, copiose Pausanias & Strabo id explicãt, quæ singula persequi non est eius qui methodum scribat. illud

tantum

tantum Græcos ab Asia, Ægypto, & Phœnicia oriundos in Europa primum coaluisse: tum ab illis colonias in Italiam deductas fuisse testatur Fabij, Catones, Pisones, Gelij, Sempronij, Varrones, ac Dionysius ipse Halicarnassæus, qui horum autoritate sæpe usus est. ex quo refelli potest eorum error, qui putant Catonem horum fragmentorum quæ habemus scriptorem fuisse: quem Dionysius tradit de Græcis ita sentire, ut à Græcis Itali sint oriundi. at in illis fragmentis impudētia Græci coarguuntur, quòd se Italorum autores esse affirmarent. sed eius originis maius est argumentum, quòd Italia fertilitate ac cæli temperatione præstātissima, Græciæ finitima est, brevissimūq; in eam traiectus. postremum est quòd Græcæ linguæ vestigia non potuerunt aboleri. atq; his argumētis Casar Britānos maritimos à Belgis Gallis originem traxisse argumētatur: primum quòd finitima sit Belgis insula: deinde quòd iisdem nominibus ciuitatum appellarentur Britānia vrbes, quibus Belgicæ: postremum est quòd illud didicerat ab incolis vtriusq; regionis. ita quoq; Tacitus ut doceat Gothinos, à quibus Gothi fluxisse putantur, à Gallis originem accepisse; Gothinos, inquit, arguit lingua Gallica non esse Germanos. eonsimiliter Italos arguit lingua Græca stirpem à Græcis duxisse. est enim à Græcis veteribus Oenotria dicta, ab Oenotrio Arcade, alij Ianum fuisse putant, quòd idem Hebræis significat ut Oenotrus Græcis, vinitor Latinis. Hesperia verò à iunioribus Græcis, Græco verbo, quòd ad occasum Græciæ posita sit. putat Dionysius antea Ausoniam fuisse appellatam: id quoq; Græcum est, παρὰ τὸ αὐσα τὸ καῦσα,

ἡ δὲ θυγαῖρ: postremò Italiam appellatã propter boum magnitudinem, ut Hellenicus autor est: nam Italus Græcis vitulum seu bouem significat, ut Herodotus ac Timæus scripserūt; quam etymologiam Varro quoque secutus est. quinetiam Cicero; regnante, inquit, meo gentili, hoc est Seruio Tullio, venit Pythagoras in Italiã, quæ tùm Græcia magna dicebatur. erat autẽ omnib⁹ prope Italis Dorica lingua cõmunis, ut ex illorũ scriptis testatum habemus. prætereà Italiae regiones magna sui parte Græcam retinēt appellationem; cuiusmodi sunt hæ Lucania, Umbria, Cuma, Phlegræus campus, Elea, Pandosia, Pandataria, Neapolis, Pucetia. Sed mutationes linguarũ tribus potissimùm de causis (omitto eam quæ est à Mose allata, quæ simul ac semel contigit) fieri consueuerunt. una est in ipso decursu temporum, quibus non modò lingue, sed etiam res omnes immutãtur, ac tota rerum natura senescit. ita Polybius scribit anno minùs quinquagesimo quàm ictũ fœdus erat inter Pœnos & Romanos, verba fœderis, quæ ipse antiqua vocat, vix intelligi potuisse: carmina verò quæ in sacris ex vetere formula canebantur, à paucissimis intellecta. sic videmus paulatim omnes omnium populorum linguas aliter atque aliter mutari. altera causa est in coloniarum ac populorum inter ipsos confusione. argumẽto sit Italia & Græcia, quæ tot seculis puritatem Græci ac Latini sermonis tenuerunt, totoque terrarum orbe disseminarunt, postea quàm Scythæ & Gothi utranque inuasert, tanta mutatio consecuta est, ut nec Latium, nec Attica ubi nunc sunt unquã extitisse videantur. ita quoque coloniæ Tuscorum, qui ex Italia pulsi erant à Gallis,

&

& Gallorum qui in Germaniam olim desertam migrabant, tertium loquendi genus ab utrisque diuersum conflauerunt. Anglorum quoque in Britanniam, & Saxonum in Belgicam à Carolo magno deductæ colonie, tum etiam Gallorum in Saxoniam sermonis varietatem pepererunt, Consimiliter Parthi Persicum, Arabes Punicum ac Parthicum, Turca, Tartari, Sclaui Græcum, Latini Gallicum & Hispanicum sermonem deprauarunt. postrema linguæ mutandæ causa in ipsa regionis natura versatur. proprium est enim omnium populorum qui magis inclinant ad Septentrionem, voces consonantibus asperrimè collisis, sine vocalibus ex intimo pectore, & crebras aspirationes efferre: idq; propter summam spirituum vim & impetum caloris. nam Saxones & accolæ Ætici maris ubique fere medias pro tenuibus, & aspiratas pro mediis pronunciant, cuiusmodi sunt hæc; Per theum ferum pibimus ponum finum. Australes verò, quibus temperatus est calor & spiritus debilis, lenissimè pronunciant; leniùs etiam fœminæ, quòd viris spiritum & calorem habent debiliore. idq; facile intelligitur in colonia Saxonum, quam Carolus magnus in Belgas deduxit. cùm enim Saxones equum vocet P fert: Flamingi cælo mitiore educati Pert pronunciant. omitto loci cuiusque propriam & insitam ex aquis naturam, quæ voces ac linguas immutant: ut in agro Labdano Gallie Narbonensis omnes labdacifimo balbutiunt: & in Valedoca Taurinorum. ita quoque Sabini veteres fœdum pro hædo, fircum pro hirco dicebant, quemadmodum Varro scribit: ut apud nos Vascones hocum pro foco, hilium pro filio: ita quoq; Parisij & Aurelij veterum Heltruscorum

Celtica lingua

*Origi a quibus
ozimidi*

rum more Valesium & Fusium, pro Furio & Valerio u-
surpant. Ex his ergo tribus potissimum causis, tot lingua-
rum dissimilitudines oriuntur: neque tamen ita possunt
aboleri, ut non expressa veteris linguae vestigia perpetuò
hæreant. ut Celtica lingua vetus magna sui parte Græca
fuit, quòd ab illis originem maiores nostri traxissent. Bo-
uillus, Picartus, ac Perionius infinita prope verba, nec
tamen omnia, non agrè aut violenter, quemadmodum in
sua lingua Laziis, sed facillima, interdù etiam nulla con-
uersione è Græcorum fontibus expresserunt: in quibus ta-
men non tantùm mihi videtur esse ponderis ac momenti,
quãtùm in ipsis locutionibus, quæ nobis cum Græcis com-
munes sunt; tum etiam in eleganti participiorum, infiniti-
uorum, & articulorum usu. quæ satis arguunt Gallorum
originem Troianis, aut Græcis, aut utrisque deberi, cum
utrisque Ionica lingua uterentur. Amianus quidè Mar-
cellinus lib. x v. scribit se in Gallorum monimētis legisse,
& ab incolis accepisse Gallorum origines Troianis debe-
ri; tametsi fama esset à Doriensibus profectos. Iosippus à
Gomero primogenito Iapeti, qui natu maior erat, stirpem
deducit. sed hoc ad Gomeri nepotes referendum opinor.
Lucanus Aruernos scribit Romanorum se dicere fratres,
eosq; vocat sanguine ab Iliaco populos. certè apud nos ex-
tant duæ Paridis vrbes, una Troiæ: sic enim effertur ab
incolis ea quam Tricassium vel Trecensem vocant. præ-
tereà Venetos Celtarum populos à Venetis Paphlagoniæ
stirpem traxisse perspicuum est: eos verò qui sinum Adria-
ticum tenent, à Venetis Celtarum deriuat Srabo lib. v.
tametsi Liuius aliter sentiat. postremò Celtarum appel-
lario,

latio, quàm nostræ antiquitatis interpretes omiserunt, ab Homero, Pindaro, ac priscis scriptoribus semper usurpatur pro equitibus. Appianus à Celto filio Polyphemi tam ridiculè deducit, quàm nostri Francos à Francione Hectoris filio, qui nunquàm extitit. magis etiam absurdè Lazius, qui à Galatis deriuari affirmat. est enim Galatarū nomen veteribus planè inusitatum. κέλυς autem equus est ὁ ἄζυξ, quem Latini sellarium vocant: κελυτίζειν verò ἔ κελυκῶν apud Homerum & Pindarum nihil aliud est quàm equis ἄζευκτοῖς ἐποχῆιδου, ut scribit Eustathius. inde κελυταὶ & κελταὶ per syncopen. cur autem Galli primūm Celtæ sunt appellati, ratio est quòd omnium maxime valerent equitatu. ac tamen si laudantur à veteribus Mauri quòd equitatu longè præstarent, & Annibali de Romanis (quorum præcipua vis erat, ut scribit Cæsar, in pedite) illustres victorias peperissent: præstantior tamen fuit Gallorū equitatus, quo Cæsar in bellis civilibus semper usus est. sic enim Hirrius; Accidit, inquit, bello Africano res incredibilis, ut equites minùs triginta Galli, Maurorum equitum duo millia fugarēt. idem bello Hispaniensi; Cùm magna manu, inquit, paruas Cæsarianorum copias Afranius aggredereetur, celeriter se Galli equites expediunt, & prelio commisso magnum hostium numerum pauci sustinere. æquè consentaneum est quod Plinius scribit; Hipporediam Gallie Togata Urbem, sic appellari ab optimis domitoribus equorum. quare Cæsar cùm Gallos in tres ordines distribuere, Druidas, equites & agricolas, equitibus tribuit disciplinam militarē. & quoniam Celtarum appellatio multorum communis vi-

Hh debatur,

Gall. equit.

30 of January 1700
in the library of the Academy of Sciences

debatur, *Cæsar* initio libri primi *Celtas* eos verè ac propriè dici tradit, qui inter Sequanam & Garumnã continentur, qui à Latinis Galli, sua tamen lingua Celta vocarentur. *Plutarchus* ne quid confunderet, κελτοίους in *Camillo* appellavit. id autè fere populis omnibus accidit, ut aliter à peregrinis quàm à suis nominarentur. Itali à Græcis *Hesperij*, *Hellenes* à Latinis *Graci*, *Lybies* à Græcis *Afri*: cùm tamen neque Itali *Hesperiorũ*, neque *Hellenes*, *Græcorũ*, nec *Lybies Afrorum* nomen usurparent. consimiliter *Scoti* *Anglos* appellãt *Saxonas*: ita quoque hi quos *Turcas* appellamus, ab hac appellatione vehementer abhorrent, & *Sarraceni* vox in *Asia* & *Africa*, inaudita est. *Græci* tamen maiores nostros ob linguæ, vel originis, vel utriusque affinitatem, vel coloniarũ frequètes deductiones, sua eademque Celtica lingua *Celtas* appellarunt: Galli verò nomen unde fluxerit, aut quid significet, nemo, quod sciam, explicavit. ridiculum est enim ab undis ereptos interpretari, ut *Rabbi Samuel*. veriùs est ab eundo & peregrinando nomen deduci. *Ouallones* enim à *Belgis* appellamur, quòd Gallis veteribus contigit, quum orbem terrarum peragrarent, ac mutuò interrogantes quærerent ou allons nous, id est quónam proficiscimur? ex eo credibile est *Ouallones* appellatos. quod *Latini* sua lingua nunquam efferunt, sed g littera utuntur. est autem propriè Gallia fertilissimus ager in finibus Parisiorũ sic dictº, & *Oualefia*: nisi ab *Vval* deducamus quod *Celtica* lingua *syluã* significat, qua voce utitur *Germani*, ut sint idè *Vvali* qui *Druidæ*. ut igitur *Celtæ* intra Sequanã & Garunnã, ita *Galli* ultra Sequanã. *Strabo*

Galli

Ouallones

bo verò Pyrenæis, Alpibus, Rheno & utroq; mari Celtas concludit. itaque non satis aptè Lazius Pentingerus, Altamerus, Xylander Celtas de omnibus Germaniæ & Galliæ populis dici voluerunt, adducti auctoritate Herodoti, à quo ipsi facile refelluntur: is enim Celtas ad fontes Istri (quæ ipse à Pyrenæis deriuat) collocauit. quò quid magis est alienum à Geographia? quòd si Celtarum nomē propriè de Germanis diceretur, cur Strabo ex veterum opinione in quattuor mundi cardines distribuisset Indos in ortu, Celtas in occasu, Æthiopes in austro, Scythas in Septentrione? est enim Gallia ad extremam occasus plagam sita: Germania verò Galliæ Orientalis. alibi Strabo Celtas & Hiberos ad occasum; Nomades & Scythas ad Aquilonem collocauit. postea verò quàm Galli Germaniam, Italiam, Hispaniam, Britanniam, Græciam, Asiam minorem, & extremam quoque Scythiam coloniis impleuerunt, vrbes fundarunt, regiones coluerunt, leges stabilierunt, tantam sui nominis famam apud omnes populos excitarunt, ut à Celtis nobilitatē ac generis splendorem omnes Europæ gentes velut à Troianis deducere gloriarentur: sic enim Plutarchus in Mario terras omnes Europæ ad Aquilonem & occasum conuersas Celticam appellat. ipsi verò Græci disciplinarum ac rerum gestarū gloria florentes, exempla fortitudinis non aliunde quàm à Celtis petere consueuerunt; ut videre est apud Aristotelem in libris de moribus & republica, tum etiam apud Ælianum in libro de varia historia. quid Germani scriptores? sanè Pentingerus & Nuenarius (alios omitto) cum sibi Celticum nomen vindicarent, ac maioribus no-

Hh ij stris

stris adimerēt, Galliam triūphis omnibus spoliatam, etiam verborum contumelia, quoad eius fieri potuit, lacerarunt. sed cū politiore doctrina eruditi homines, & omnis antiquitas apertè reclamaret; Lazius aliud consilium inuit, ac repudiata suorum opinione, Gallos maximis laudibus cumulauit: ea tamen lege, ut Germanos fuisse affirmeret qui primūm Tuiscones, & Teutones: deinde Galata, post Germani Alemanice, Celtae Gallie sunt appellati. sic enim in proëmio scribit. age verò Lazi: sic enim Gallicum nomen à vestris hominibus imprudenter ac temere violatum ab ista labe vindicabis: ac magna me spes habet fore, ut cū Germani & Galli persuasum habuerint se esse consanguineos & fratres (ut Strabo magis verè, quàm ad id quod vellet accommodatè scripsit) perpetuo se fœdere atque amicitia complectantur. hoc igitur duntaxat nobis relinquitur disputandū, utrum maiores nostri à Germanis, suæ originis primordia ducant. ait Lazius: negat Polybius, Cæsar, Liuius, Plinius, Strabo, Plutarchus, Athenæus, Iosippus, Tacitus, Iustinus, Berosus, Pausanias, Diodorus. ut ut sit, tanta est, ac tam multorum vocibus & libris testata gentis utriusque laus, ut neque Germanos debeat, neque Gallos alterutrius originis pœnitere. Quòd igitur Herodotus, deinde Diodorus Celticam ab occasu in Scythiam extremam; Plutarchus etiam in Pontum vsque protulit, satis perspicuum fecerunt Celtas undecunque originem haberent, coloniarum multitudine vniuersam Europam impleuisse. hoc enim præcipuum est originis argumentum, quòd propagatis imperij finibus, ac victis populis gētilia nomina velut expressa vestigia ad
 sempi-

sempiternam posteritatis memoriam, ut omnes fere populi, reliquerunt. sunt igitur à Celtis Celtoſcythæ, & Celtiberi, quos Linius Hispaniæ robur appellat, à gente vetusta Gallorum Celta miscentes nomen Hiberis. quod enim Cæſar de Gallis ſcribit libro v 1. idem Valerius libro 11. de Celtiberis confirmat; nefas ſemper apud illos fuiſſe prælio ſuperèſſe, cùm is occubiſſet, pro cuius ſalute ſpiritu deuoſſent. ab iſdem Celtis qui poſteà Galli ſunt à Latinis, Galatæ à Græcis appellati, Gallicia & Portogallia Hispaniæ; Northuallia, Sueduallia, Cornuallia Britannia. Gallouidia Scotia: Vueſtuallia Germania, Gallia Italia, & Galatia Aſiæ minoris nomē habuerunt: tum etiam Ruteni Germaniæ populi à Rutenis Gallis: Carni quoq; Germaniæ, à Carnis & Carnutibus, & Langobardi à Langonibus, quos Galliæ populos Linius appellat, & Bardis poëtis, idque planius eſt quàm ut teſtibus res egere videatur. de Thracia in qua Galli diutiſſimè regnarūt, ut Polybius tradit, item de Byzantio ac Syria, cuius imperium non ita pridem tenuerunt; nulla veſtigia reſtant, neq; nomen patrium regionibus videtis indiderunt. Boëmia quidem à Boiis Galliæ populis, gētilitium Galliæ nomen, inquit Tacitus, adhuc retinet. regiones verò Scordifcorum, Tanifcorum, & Heluetiorū, quos Plinius, Cæſar, ac Tacitus Gallos appellant, nulla veteris appellationis habent veſtigia: denique Gallia togata, quam veteres Galli ab Vſente flumine uſq; ad Alpes & Atheſim pulſis Tuſcorum populis inuaſerunt, ut eſt apud Linium lib. XLVIIII. gentilitium nomen amiſit: tametiſi Mediolanum (extant adhuc eius appella-

H b ij tionis

tionis duo apud nos oppida) Comum, Vicentia, Verona, Brixia, tùm multæ urbes Insubrum, Ligurum, & Hetruscorum, quas Bellaius recenset, à maioribus nostris conditæ feruntur. ab Olbia verò Tectosagum urbe, quinque clarissimæ urbes deriuatæ sunt, ut videre est apud Pliniũ & Strabonem. una quidẽ Bithyniæ: altera Pamphylia: tertia Ciliciæ: quarta Celtoſcythiæ ad Borysthenis fauces: quinta cis Rhenum quæ Tolbiacũ pro τὸ Ἰλβιακὸν appellatur. quattuor quidem Asiæ ab Olbiacis Tectosagis conditas fuisse nullum maius est argumētum, quàm quòd Tectosages totam illam Asiæ regionem omnium fertilissimam occuparũt, ut Trogus Pompeius ac Liuius testantur. atque hinc Albionem insulam, quæ postea Britannia dicta est, nomen habuisse credibile est. sed hæc, dicit Læzcius, à Gallis siue Celtis (quos enim Polybius Celtas, Liuius ubique Gallos appellat) Germaniæ populis gesta sunt. quid Cæsar? non Gallus fuit aut Germanus, quanquam acerrimus Gallorum hostis; Ac fuit, inquit, antea tẽpus cùm Galli Germanos virtute superarent, & ultrò bella inferrent: ac propter hominum multitudinem agriq; inopiam trans Rhenũ colonias mitterent. itaque ea quæ sunt fertilissima Germaniæ loca circum Hercyniam sylvam, Volcæ Tectosages occuparunt, atque ibi confederunt. hæc Cæsar, quæ Tacitus confirmat: quibus cõsentanea Liuius scribit; scilicet Ambigatum Celtarum regem, quòd in eius imperio Gallia hominũ adeò fertilis fuisset, ut abundans multitudo vix regi posse videretur, Bellonesum ac Segonesum sororis filios, in quas dii dedissent sedes, misisse; Segonesoq; datos Hercynios saltus; Belloneso Italiam.

Pausa-

Pausanias quoq; scribit Celtas in Pannoniam & Graciam mouisse, ab iisq; Alpes Celticas appellatas. Athenæus cōsimiliter tradit lib.v. Celtas qui in Graciã transmiserant, in Pannoniam sedes mutasse. idem planè cōfirmat Strabo lib.v. Plin.lib.1111. deniq; Polybius lib.11. refert Boios, Eganés, Senones, Ananes è Gallia in Germaniam migrasse. libro 111. Celtas in Thraciam usque Brenno duce penetrasse, ac regnum illud usque ad Clyari tempora tenuisse. Itaque Beatus Rhenanus meritò irridet quosdam Germaniæ scriptores, qui Brennū & Senones à Germanis oriūdos fuisse putāt. at Polydorus Brēnum Britannum fuisse affirmat, quod antea nemo scribere ausus est. eadem reprehensione dignus est Lazius, qui Cimbro tradit unā cum Brenno profectos in Italiam & Graciam. idem Boiarios, quos origine Gallos fuisse omnibus compertum est, solus ex Armenia in Germaniã deducit. hoc verò animaduersione dignum est, quòd ubique Latini Gallos appellant, quos Græci κελτῆς in eadem rerum gestarum narratione. Nam Liuius lib. XLVII. fatetur Gallos (non Cimbro, aut Germanos, aut Tuiscones appellat, quos à Gallis semper distinguit) Italiam, Illyricum, Pannoniam, Graciam, Macedoniam, Thraciam, Asiam suis coloniis illustrasse, atque omnem regionem citra Taurum & Halym flumen, ipsosq; Syriæ reges vectigales fecisse. ubi verò de Germanis scribit, gentili appellatione complectitur. ut Iosippus in oratione Agrippæ ad Iudæos, Possidonius apud Athenæum in conuiuio Celtarum, tum in conuiuio Germanorum γερμανοὺς & κελτῶς accommodatè ac propriis appellationibus distinguunt.

gunt. Iam verò Iustinus ex Trogo Pompeio planum facit memorabilem illam Gallorū migrationem, quum Italia maiorem ac meliorem partem Tuscis eiectis occuparunt, Tarquinij Prisci temporibus contigisse: Tuscos verò in Rhetiam & Vindeliciam Germaniæ superioris migrasse. altera ex parte, & iisdem temporibus Bellonesus Germaniæ inferioris fertilissima quæq; (authore Livi) loca occupavit. Ex quo intelligitur Germaniam eo tempore possessoribus vacuum fuisse, nec credibile est Septentrionis incolas, qui robore & animi magnitudine Austribus præstant, Italos & Gallos admissuros fuisse, quos latissima Rheni fossa vel Alpium verticibus ab Italia aditu prohibere nullo negotio possent. sic igitur statuo Tuscos Italiæ populos (quod Volphius & Fuchsius confitetur) & Gallos originem dedisse occiduis Germanis. ridiculū est enim quod ab Hercule, vel Tuiscone filio Herculis originem exquirunt. extremam verò Scythiæ oram, Heneti, & Cimbri, ab Venetis Paphlagoniæ & Cimeriis Tauricæ Chersonesi populis, quorum meminit Homerus, occuparunt. hinc Balticum mare Venedicum appellatur. atque illud est quod Plinius scribit omnes Germaniæ populos Ingeuones appellari (quos Peucerus indigenas interpretatur, qui re vera sunt antiqui Heneti ac Cimbri) aut Istæuones ad Rhenum Gallorum propagines: Hermiones circa Danubiū qui à Gallis quoque stirpem traxerunt: ut antea docuimus: aut Vandalos, id est peregrinos Germaniæ lingua, qui à Scandia ad littus Balticum appulerunt: nunc Vindelici: postremò Bastarnas ac Peucinos prope Daciam à Scythia in Germaniā migrasse. ac tametsi au-

toritas

Fortitas antiquorū deficeret, nihilominus ipsa loci natura nos eò deducit. Vt enim Tacit⁹ doceret Germanos in ipsa Germania natos. (id quod absurdum & impium esse constat) ab ipsa Germaniæ descriptione trahit argumentum. Qui enim sedes mutare querebant, inquit, classibus aduehebantur, & immensus Oceanus raris ab orbe nostro classibus aditur. quis autem præter periculum horridi & ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuq; nisi patria sit? & paulò post; Nullas Germanorum urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas ædes: colunt discreti, ut campus, ut fons, ut nemus placuit: suam quisque domum spatio circumdat, siue aduersus casus ignis, siue inscitia ædificandi: nec cementorum quidem apud eos aut regularū vsus: materia ad omnia utuntur informi, & citrà speciem aut delectationem. Hæc Tacitus suo tempore, id est anno Christi C X X. quo tempore, si Germania ferarum potius quàm hominum domicilium ei visum est, sine urbibus, sine oppidis, sine castris, sine coherentibus ædificiis, qualem fuisse putemus Tarquinio Prisco regnante, hoc est ante Tacitum annos circiter octingentos? at illis temporibus Galliam hominum adeò fertilem fuisse Linius scribit, ut in Germaniam & uniuersam Europam colonias deduceret. non igitur Galli, aut Celte à Germanis; qui tùm nulli erant, originem duxerunt: sed Germani à Gallis, Tuscis, Scythis & Henetis. Quare cùm queritur de origine Francorū, qui postremi Galliarum imperium inuaserunt, non ego illos à Troianis, ut Gregorius Turonensis, & Abbas Wispergē-

sis: aut à Phrygiis, ut noster Bellaius: aut à Cimbris, vel Phrisiis, ut Lazius: sed ab incolis Franconiae Orientalis ultra Rhenum, Gallis finitimae, ubi sunt ea, quae Cæsar dicit, fertilissima Germaniae loca Gallorum coloniis occupata circa Hercyniam syluam, quae nunc ab incolis Schuuart Zuuald, id est sylua nigra circa Danubij fontes, Necarum, & Menū, ubi Beatus Rhenanus ad Tacitū scribit duas esse valles, Belloacensem, à Belloacis, & eam quae Andegaust ab Andegauis meis popularibus appellatur: tūm fluius ipse Menus qui Andegauiū alluit, idem est cum Meno Hercyniae syluae: Mein vocant è detracto. quanquam duae quoque urbes non procul à Basilea ultra Rhenū gentili nomine Angers & Brissac appellantur: tūm etiam Senonis nemus à Gallis Senonibus, quos Polybius in Germaniam quoque colonias deduxisse autor est lib. 111. illa verò quae dicitur Vuestuallia Germaniae, id est Occidentalis Gallia, quae inter Veserim & Rhenum interiacet, quaeque regiones Franconiae & Sicambros ad Euram complectitur, satis indicat ortum versus Ostualliam fuisse, id est Orientalem Galliam ultra Veserim à Gallis subactam. atque his argumētis non video quomodo satis à Lazio fieri possit. haec Francorum origines, haec initia fuerūt. nomen verò ipsum planè Celticum est, Germanis inusitatum, ut ab illis accipi. est autē Francus lingua Gallica (non Latina, aut Graeca, multò minùs Hebraica) nihil aliud quàm liber & immunis. ex quo nō modò verisimile, sed etiam perspicuum fit Galliae populos seruitutis Romanorum impatientes, trās Rhenum ad veteres illas Gallorum colonias migrasse; & cum primū

potue-

potuerut, excusso Romanorum iugo, in patriam remigrasse, accepta Francorum, id est liberorum hominum appellatione. argumento est quòd Tacitus, qui populos innumera-
 biles Germanorū enumerat, non meminit Francorum. omitto ridiculam βέρυωρ Pannoniæ coniecturam, quam ex Ptolemæo nonnulli attulerunt. quāquam Pannonæ origine Gallos esse, satis ex superioribus constat. ab illis ergo regionibus ultra Rhenum Gallie finitimis, id est à Fræconia Fræci (ut Amianus, Agathias, Vopiscus, Procopius tradūt) Aureliano principe in Galliam effusi, tantum armis ac viribus profecerunt, ut Romanos sæpe debellarent, Hunos auxilio Romanorum depellerēt, deinde Gothos fugarent, ac tādē Romanos ipsos de Gallia possessione deturbarent: quibus exactis Burgundiones primum, deinde Alemanos post cladem Tolbiacam seruire coegerunt, Rhenoq; transmissis Rhetiā & Vindeliciam: postremò Sueuiam, Carniam, Pannoniā & Saxoniam suis imperiis ac legibus subiecerunt. Postremū eius rei argumentum est in linguæ vestigiis, ut planum sit Germanos à Gallis, non Gallos à Germanis originem traxisse. hoc verò perspicuum fit ex ipsis Germanorum, & veterum Latinorum scriptis, ut ad linguæ vestigia, in quibus magnum est originis argumētum, veniamus. ut enim Latini à Grecis oriundi sunt: & Latina lingua ex vocibus Grecis pene conflata est, non tamen eadem: sic quoque Gallica origo Grecis debetur, contrā quā nostrī scripserūt; Græciam esse Gallorū discipulā. nam cum multa vestigia Græcorū habemus, ac prope infinita, nō tamen eadē fuit Celtica cū Græca lingua, ut Lazius affirmat, ex eo

quòd *Cæsar* scribit *Gallos* in publicis ac priuatis actis uti litteris *Græcorum*, ac numerum *Heluetiorum*, qui domo exierāt, litteris *Græcis* comprehensum fuisse: quod perinde est ac si quis putet *Germanos* populari sermone *Latinā* linguam usurpare, cū in publicis ac priuatis rationibus, litteris utantur *Latinis*. nam *Cæsar* litteras ad *Q. Ciceronem* legatum *Græca* lingua scripsit, quò minùs interceptæ ab hostibus intelligerentur. prætereà *Diuitiacum Heduum* non nisi per interpretem intelligere potuit: quod satis est argumēti *Diuitiacum Græca* linguæ (cuius *Cæsar* peritissimus erat) ignarum fuisse. *Massiliēses* quidem *Græcè* loquebantur, ut est apud *Strabonē*, cū esset incorrupta, minimeque confusa *Gallis Phocensium* colonia: *Druidas* quoque *Græca* lingua instructos fuisse credibile est, cū *Cæsar* eos iisdem religionibus ac disciplinis imbutos fuisse scribat, quibus *Græci*. & *Lucianus* *Gallum Græcis* disciplinis valde peritum, de statua illa *Herculis Celtici* disputantē se audiisse scribit. lingua quoque *Germanorum* à *Celtica* plurimū differebat; tametsi *Lazius* eodem errore scripsit *Celticam* & *Germanicam* unā fuisse. cur enim *Tacitus* *Gothinos* origine *Gallos* esse diceret nō *Germanos*, quòd *Gallica* lingua uterētur? cur *D. Hieronymus* *Galatas Asiae minoris* eadem lingua qua *Treueri* (quos *Tacitus* *Gallos* appellat) locutos scripsit, non *Germanica*? neque enim tantus vir terrarum orbem peruagatus illud discrimen ignorauit. cur denique *Ariouistus Germanus* propter diuturnam annorum *XIIII*. consuetudinem, quam habuerat in *Gallia*, *Gallicè* loqui didicisset? sed tamen non minùs *Germanicæ* linguæ *Celtica*

congrue-

congruebat, quàm Gallicæ. ut enim omittamus illã, quam dixi Græcarum vocum multitudinem ab aliis collectam, & locutiones ab iis qui eo de genere scripserunt omissas, tñ etiam nomina in on Græco more cadẽtia, ut Platon, Caton; Hoquetõ, id est ὀχίτων, in quibus Græca lingua simulacrum penitus expressum intuemur: nullum maius argumentum quàm in propria vetustaque locorum appellatione, quàm nostri penitus neglexerunt, reperiemus. igitur pauca de multis afferam. Rhodonij mōtes à rosis; Pyrenæi ab inflammatione, ut Berosi vulgata fragmẽta docent. Sbenni verò, quasi extincti appellantur. sic enim incolæ vocāt eum montẽ qui à Strabonẽ Cemenus dicitur. deinde mōs Pelius. Tholosa lutulentã, ut est agri natura, vel rectam innuit. Olbia quam Dorico more Albiam vocamus, beatam significat. Limogæa, terra famis, vel ut fœminę Limosæa. καίαν & αἰαν καὶ ἀφαίρεσις Dores usurpant. est enim regio vehementer sterilis, & planè infrugifera; ne quis pestiferam ex ambiguitate vocis λοιμὸς & λιμὸς interpretetur. urbs autem antiqua Lan sic enim dorice λᾶν nostri efferunt: incolæ tamen λάων Æolicè pronunciant, à rupibus vel populis nomen habet. Antipolis, quòd Nicæa sit ex aduerso posita: Stœchades insulæ ab ordine: Alexia verò Mandubiorum, à securitate: Aphrodisium promontorium à Venere: Tectosages, ab armorum opificibus: Rhodanus πηγὴ τῆς ῥοδανίσεως, propter catarractas Græcis appellatur. sunt etiam in sinibus Carnutum oppida duo finitima, quorũ alterum ἐν, alterum appellantur ἔχουδι. & urbs ea quæ Eurois nomine Græco dicitur: tñ etiam Beotia nostra. omitto Druidarũ nomẽ, quod pla-

nè Græcum est, & Semnotheorum Gallia sapientium: tametsi Schamotas alij dictos arbitrantur, quasi cœlestes Hebraïca voce. sed in eo genere, multa suo quisq; ingenio cõquirere potest. ex his enim propriis locorum appellationibus origines veriùs ac meliùs iudicantur. Est autem lingua Celtica Romanorum consuetudine ac frequentibus coloniis pene amissa: præsertim in Gallia Narbonensi, & Aquitania, ubi vulgus non procul abest à Latino sermone. fuerunt enim in Galliã plures deductæ colonie, quàm quæ ab historicis enumerantur: idq; argumento est, quòd Lectoria Vrbs Aquitania, tum ex appellatione, tum ex antiquis inscriptionibus vrbis, colonia Romanorum iudicatur: eam tamen nullus scriptor, quod sciam, inter colonias retulit. nota est colonia Narbonensis antiquissima, colonia Lugdunensis, Agrippina, Valentina, Nemausensis, Gratiano politana, Arelatensis, & ea quæ in finibus Sequanorum Coloniacũ nomen retinet. cum autem legiones Romanorum assiduè in Gallia excubarent, fieri non potuit, quin patriæ linguæ penitus obliuisceremur, Latinã acciperemus. In Germaniã verò nullas fere colonias Romani præter Augustam & Constantiam deduxerunt. quò fit ut Germani linguæ Celtica, quàm à nobis ob coloniarum & commerciorum usum didicerant, plura quàm nos ipsi vestigia retinuisse videãtur. Vt enim pauca de multis colligamus, constat ex ipso Cesare Vergobretum Celticum verbum esse, quod summum executorem interpretatur Glareanus, eoq; Germanos & Heluetios uti. ac Rhedam, quam vocem Caesar Gallis pro curru tribuit, Germanis in eadem significatione usurpari. illud autem à

Græcis

*Græcis initium habet, qui currum appellant ἐξίσιορ, ut est apud Hesychium. nos adhuc Alaudã retinemus. Pausanias equũ à Celtis Marc appellari scribit, inde Marquis, & Marcoman, id est eques. nam Marca limitem significat; marché forum, Germanis equè ac nobis ipsis. sed Marquis dignitatem habet equestri maiorem. Padus à Pades Gallica voce, quæ Piceã significat, quòd circa fontem Padi multa sit, ut Metrodorus scripsit: sed verius est Gallicè profundum significare, inquit Plinius: nam Ligures profundũ Bodinum appellant: argumento est inquit urbs antiqua Bodinomagum, qua fluvius altior exurgit. sic quoq; lacus Acromius Bodin ab incolis; sinus itẽ magnus interioris Gothiæ Bodin appellatur in eadem significatione, & populi Bodini, qui Pannoniæ metropolim incolunt. propria quidem & gentilia eius appellationis nomina tenemus (sunt enim eius in Gallia nominis prope infiniti) significationem non tenemus, sed Latino verbo utimur. ex eo tamen coniectura consequi possumus, à veteribus Celtis ad Germanos hæc nomina cum origine populorum migrasse. Duni vox quid esset, multi sanè quaesierunt, explicat Athenæus, ac Dounos à Celtis appellari dominos scribit. hanc vocem Hispani magna sui parte à Gallis oriundi, ac Siculi eodem sensu retinent: nostri verò monachis eam vocem reliquerunt. inde tamen antiqua nomina Lugdunum, Virodunũ, Isodunum, Nouiodunum. Magum quoque quid esset, neque Germani, neq; nostri aperuerunt: id quod tamen ex Plinio docemur, ubi Bodinomagum urbem profundam interpretatur. omitto inanes de Mago interpretationes. hinc igitur No-
 uioma-*

uiomagū, Rhotomagum, Neomagum. qua voce Germani carent, cūm olim urbibus carerent. ipsi Purgum, quod planè Græcum est, à nobis; nos villam & castrum accepimus à Latinis. Berg Celticum vetus, quod montem significat, quo etiamnum utūtur Germani, nos Latina voce: inde berger, id est vetere lingua montanus, quo nomine pastores appellamus. nam rustici Latina verba difficilius acceperunt. hinc apud Germanos urbium & castrorum, quæ in montibus posita sunt, compositæ voces: Bamberga, Hildeberga, Clarberga: nos Claromontē dicimus. Cōsimiliter Bardinomē, quod Germanis hoc tempore sacerdotem significat, à maioribus nostris acceperunt. scribit enim Cæsar Germanos, nec disciplinas, nec sacrificia, nec religiones habuisse. Bardos verò Gallorum poetas olim à Gallis appellatos esse, & Bardum Celtica lingua cantorem significare docet Sulpitius ad Lucanum; tūm etiam Amianus ac Diodorus: sed quia eiusmodi poëta inepti ac barbari Latinis videbātur, impolitos ac stupidos Bardos appellarūt. hinc Dagobard, heroicus cātor vel poëta: Sigebard, victor poëta: Albard strenuus poëta: Robard, rubeus poëta. atque hinc Lambardi & Langobardi: Germani heroicū sacerdotem, rubeum sacerdotē interpretantur. sunt enim Langones & Bardi finitimi populi. Hard quoq; Celticum est, quod Germanis robustum significat, nobis audacē adiecta vocali quā è fine ex dictionū Germani sæpius eximūt: ut cohortē appellant band, nos bande. regionem incultam Land, nos Lande: ita quoque ipsi hardmant, nos hardiment. hinc etiam hard ramum vocamus contortum, quo nihil fortius: & pœnā hard, id est laquei,

laquei, quo veteres pro funibus utebantur. hæc autem composita Bernard, ex Germanica Bern, & Celtica hard, id est *Vrsi potens*: Leonard, id est *populi robur*, ex Græca & Celtica voce conflatum: Græci λεοδέν ac δημοδέν dicerent. ut illud quoque Cenomani gentile nomen, quod ex Celtico *Man* Germanis, Scythis, Turcis ac Tartaris usitatissimo (nos enim Latina voce utimur hominem appellantes) & Græco conflatum est. ex quo verisimile fit Cenomanos id est *novos homines*, aliunde in Galliam venisse. ante Tarquinij tempora, cum postea in Insubriam colonia quoque Cænomanorum à veteribus Celtis deducta sint, qui quidem Italia Cænomani appellantur. est etiam vetus Celticum *reix* id est *Rex*: Germani efferunt *reich*: Cæsar in morenæ veterum Gallorum *rix* scripsit. unde composita nomina *Dünorix*, *rex dominantium*: *Ombiorix*, *rex hospitum*: *Orgetorix*, Græcocelticum, id est *rex insanorum*: est enim *ὄργη* furor & *ὄργηλος*, gallicè *orgueilleux*. quod vitium proprium est insanorum. *Fridrich* idem quod *rex pacis*. & apud *Liuium* *Lonnorius* & *Lutarius* Celtica sunt: propriè Cæsar scripsisset *Lonnorix*. Germani non satis aptè meo iudicio diuitem interpretantur, ut diuitem insanie, diuitem hospitalitatis: quauis utrique & Germani & Galli *rich* diuitem appellent, Galli quidem adiecta e *fæminea*, quam Germani detrahunt. sed tamen elegantia tropi, quòd diuitie sint regum propria. argumèto sit quòd Germani *Francreich* regnum Francie vocant: tum *Ostreich* & *Vuestreich* (quam corruptè *Austriã* & *Neustriã* appellamus) pro regno Orientis & Occidentis apud Germanos usurpatur. nam dictio

cunin, quæ Germanis regem significat, Gothorum est & Sclauorum. Mar quoque vetus Celticum, quod Germanis æquè ac nobisipsis commune est: illi Mair, nos Maire ennūcianus, pro maximo ciuitatis magistratu. hinc illa vetera Viridomarus, Suanarus, Cōdomarus: id est Condomi Magister, &c. ut Latini Dictatorem populi magistrū appellāt. ultimus autem Sueciæ ac Daniæ rex antiquæ stirpis Margareta pater Waldemarus vocabatur. infinita sunt Celtica vetera, quibus Germani nunc etiā utūtur. ut plaitz, robes, sot, froit, feu, foyer, mantel. pleraque tamen ab illis anxie detorta videntur, ut cūm Lazius Francos à Phrygia repetit, primū Phrygios, deinde Frisios, postea Fracos, tum Betyrus, & Friancos, postremò Francos appellatos esse tradit: & Cimbro primū Gomeros, deinde Gimros, tum Cimros, post etiam Cimbro, postremò Sicambros. idem beccus illud Herodoti Phrygia lingua panem significare tradit, cūm tamen caprea vox sit ab infante prolata, qui nihil aliud auditu perceperat. quæ verò Germanica sunt, & in Germanico solo nata, non modò significationem, sed etiam pronunciationem habent à Gallis alienam. ut Bald Germanis significat leuem & celerem, nos Celtico verbo Liger utimur, quo nomine fluum Gallie maximum olim appellatum fuisse testatur Cesar. particulam verò Bald nunquam enunciamus, sed diphthongo au: ut quod illi Gerbaldum, Theobaldum, Widbaldum; nos ita; Gerbaud, Thibaud, Guidebaud. Land vetus Celticum est, quo Germani pro regione utūtur, nobis enim Lande significat regionem incultam, qualis erat olim vniuersa Germania.

mania, hinc apud illos nomina regionũ Friesland, Gro-
land, &c. quæ etiam apud Germanos in thes definũt pla-
nè Celtica sunt ut Diether, Luther, Deiotharus, Luta-
rius, quos Galatorum reges fuisse constat ex historia La-
tinorum. consimiliter ventorũ cardines & appellationes,
quæ à nautis usurpantur, scilicet Ost, West, Nord, Sud:
ex quibus cætera componũtur, Celtica esse ex eo apparet,
quòd ubique Galli sedes fixerunt, his vocibus loca di-
stincta reperiuntur: ut Northuallia & Suduallia Bri-
tannia: Westuallia Germania. neque enim West-
germania, vel Westbritannia reperitur. prætereà Lati-
norum appellationibus utimur Orientis scilicet, Occidẽ-
tis, Meridiei, ac Septentrionis, ut appareat illa planè ve-
tera fuisse. infinita sunt id genus quæ suo quisque iudicio
ac ingenio exquirere potest: ex his tamen quæ attulimus
verborum exemplis, ex Athenæo, Pausania, Casare,
Plinio, Diodoro; perspicuum esse opinor Germanicã lin-
guam, magna sui parte è purissimis Celtarum fontibus
deruari. quòd si ita est, sequitur illud quoq; originem, ar-
ma, leges, humanitatẽ deniq; Gallis deberi: ac vehemẽter
labi Lazium, qui maiores nostros à Germanis oriũdos esse
affirmat. hoc autem de linguæ vestigiis argumẽtum, satis
etiam indicat Britones Armoricos à Britãnis ortum ha-
bere: proptereà quòd ij qui apud Britannos Walia an-
gusta regione circumscribũtur, soli capiunt sermonem Bri-
tonum, ut ab Anglis accepi. accedit prætereà consentiens
omnium historicorũ fides. Sed unde illi Wali, nisi à Gal-
lis? ex eo plerique putant veterũ Celtarum eam linguam
esse. quod affirmare non ausim: cum planè mihi sit ignota

Kk ij eiusmodi

eiusmodi lingua, & quoniam Caesaris temporibus fama
 iam inde à maioribus peruulgata erat; incolas, qui inti-
 mos Britanniae recessus tenebant, non à Gallis oriundos,
 sed in ipsa insula natos & indigenas esse, dubitavi an ex
 linguae vestigiis intelligi posset. Si enim demus ab Albiis
 Gallis Albionem primum appellatam, consequens est
 Britanniam (sic enim Aristoteles appellat) ab aliis qui-
 busdã aduenis, veteribus incolis expulsis cognominatam.
 est autem Breta verbum Cantabricum, quod terram si-
 gnificat: hinc Alphonsus V I I. Abreta dictus, quòd humi
 semper procuberet ac terram cõtractaret, ut scribit Tara-
 pha Hispanus. quòd mihi sit verisimile Bretannos à Can-
 tabris originem habuisse, qui primum insulam conspicati
 Britanniam (ut nautae solent visa terra) nominarunt. quã-
 quam Hispani vocem illam ignorant. postea verò quàm
 Saxones Bretannos expulerunt, linguam quoque immu-
 tarunt. appellant enim terram eodem nomine quo Germa-
 ni, Gothi, ac Septentrionales populi, hoc est Hebraica vo-
 ce ארץ Ertz. quanquam Barath Hebraeis agrum quoque
 significat. ut autem à Cantabris oriundos putẽ, facit tũm
 linguae vestigium illud, tũm breuissimus maris tractus.
 postremò incolarum Hiberniae finitimae vetus opinio: a-
 iunt enim Hiberos, id est Hispanos maiores habuisse. Hi-
 beria verò videtur ab Afris Hispaniae finitimis, aut certe
 ab Hiberis Asiae primum culta fuisse, quorum vetus lin-
 gua parum admodum ab Hebraica differebat, ut in ea
 lingua eruditi homines scripsere. primum vox ipsa Hebe-
 rorũ, quae nihil Graecis aut Latinis significat. itaque Grae-
 ci eos Hebraica voce Heberos, Latini Graeca voce Hi-
 spanos,

spanos, id est raros, quod hominum inopia olim laboraret: tametsi populosam suis temporibus Cicero appellavit. prætereà flumē illud Hispaniæ maximū quod Hebro incolæ vocāt, Latini Hiberū, & Bethis ex ipsa Palæstina fluere mihi videtur. Postremò Secanos (qui à Græcis & Latinis Sicani dicuntur) ab Hispanis in Sicilia venisse, ac de suo nomine appellasse tradunt omnes historiæ scriptores. nihil autem Secani Græca lingua vel Latina significat; Hebraïca tamē habitatores dicuntur. atque hinc puto populos Secanorū, qui Burgundiam incoluerunt, & Secanam (sic enim doctus ab incolis Cæsar appellavit) ab iisdē populis nomē habere. quod enim à Iubal Lamechi filio Hispanos originē traxisse putat Iosippus, valde remotum est à probabili cōiectura: nisi ad eius infinitam posteritatem hoc referatur. quanquam ab Hebro Semi nepote, qui attaus fuit attavi Iacob Hebræorū parētis: & ab eius stirpe alios quoq; ramos innumerabiles oriri potuisse planum est. sed eius tantū populi, quē Deus unice cōplectebatur, origines in scripturis explicātur; aliorum non item. idque intelligi potest ex ipsius Ismaelis stirpe, unde duodecim tribus ab Hebræorum interpretibus deriuantur. inde Arabes, qui Iudæorum in morē sui generis antiquitates incorruptas, ac tribus quoq; certis originibus ac nominibus comprehensas habēt, ut videre est apud Leonem Afrum. Quāquam satis, opinor, cōstat populos omnes coloniarum multitudine, bellis, seruitute, peragrationibus iampridem ita confusos, ut nulli præter Hebræos se ab aliorum populorum confusione liberare potuerint. idq; intellectu facile est, si quis meminerit Vandalos & Gothos ab extrema

Septentrionis plaga in Africam; Arabes in Persidem, Syriam, Africam, Italiam & Hispaniam, Hispanos in Americam & Indiam; Gallos & Italos in Asiam & Scythiam usque colonias deduxisse. Est autem coloniarum deducendum ratio quadruplex. aut enim incolæ viribus hostium expulsi sedes alias quærunt: ut Troiani post urbis euerfionem in Latium: Etrusci, qui & Tusci dicti sunt, à Gallis de Italia deiecti in Rhetiam colonias deduxerunt, unde appellatio prima Germanis Tuscorum. ita quoque Egyptiorum colonia duce Danao in Graciam: Normani in Galliam: Britanni ab Anglis pulsati, ad litus Celticum: Phocenses tyrannide Praefecti regis Persarum afflicti, in Celticam sedes mutarunt, ut Iustinus scribit, & omnium quæ unquam extiterunt, florentissimam Rempub. ut Tullius asfirmat, instituerunt. Chananæi ex agro Palaestino ab Hebraeis eiecti, in Illyricum & Pannoniam nauigarunt, ut Rabbi David Kimhi ad finem Abdiæ testatur. Vandali Francorum armis coacti, in Hispaniam; hinc à Gothis pulsati in Africam transmiserunt. nec ita pridem Rhodij à Turcis fracti in Cretam migrarunt. atque eius migrationis infinita sunt apud Pausaniam & Strabonem exempla. alterum coloniarum genus deducitur abundantate multitudine, vel propter inopiam agrorum, aut intemperiem cæli: ut Scythæ fere semper ab Aquilone in medias regiones cum infinitis legionibus concesserunt. Nam Cimbri, & Cimbrorum reliquæ Aduatici, Nemetes, Vbij, Tungri, Vangiones, Sicabri, Saxonès, Gothi, Langobardi, Gepidæ, Vandali, Pictones, Normani; addit etiam Olaus, Getas, Alanos, Herulos, Hunnos, Turcilingos,

lingos, Vuinulos, Rugios, Suecos, qui nunc Suisſij vocantur, à Scandia in Europam inuaſiſſe. Quinetiam Procopius & Albertus Crantius tradunt Sclauos ex eadem Scandia Iuſtiniani temporibus in Pannoniam irrupiſſe. poſteà gens illa ſui nominis ac linguæ fama Europam uniuersam impleuit. ſic enim audio Polonos, Bohemos, Ruſſios, Lithuanos, Moſchouitas, Boſſinios, Bulgaros, Seruios, Croatios, Dalmatas, Vandalos eadē Sclauorum uti lingua, quæ in Scãdia uſurpatur, ac ſola dialecto differre. conſimiliter ab Aſiaticis Scythiæ populis, Parthi, Turcæ, Tartari origines traxerunt. tertium genus coloniarum imperij propagãdi ac tuendi cauſa ſuſceptum eſt, quo potiſſimum uſi ſunt Romani, tum ut ciuitatē domeſtica ſeditione liberarent, tum etiam ut victos populos in fide & obſequio retinerent. atque hæc una cauſa eſt, cur imperium illud tam longè lateq; propagarūt. Ita quoque Genuēſes in Tauricam Chersonesum coloniam Theodoſiam, quæ Capha dicitur: Veneti in Inſulas; Hiſpani in Americam & Indiam colonos deduxerunt. Poſtremum genus coloniarū eſt in captiuis abducēdis: ut cum decem tribus Hebræorum primū; deinde octogefimo poſt anno reliquæ in Caldæam abductæ ſunt. decē enim tribus huc illuc diſperſæ in Aſia ferūtur. tribus Iuda & Benjamin, reditum in patriam impetrarūt, quæ ſexcēteſimo poſt anno à Romanis in ſeruitutem ruruſus abductæ ſunt, ac toto terrarum orbe ab ultimis Europæ ac Scythiæ oris in Africam & Aſiam uniuersam diſfuſæ, qui exemplo nobis ſunt omnes populos coloniarū multitudi- ne cōfuſos: quòd hæc una gens his quoque tēporibus in Caldæa, Parthia, India,

India, Gallia, Græcia, Italia, Hispania, Germania, Africa, dispersa videatur. quid Romani? qui ab Oenoplia usque ad Danubium: à Britannia usque in Persidem suas colonias, arma, legiones propagarunt. Italia verò populi ex Arcadibus, Troianis, Sicanis, Gallis, Græcis, Gothis, Hunnis, Vandalis, Herulis, Lāgobardis, Pœnis, Normanis misti sunt & cōfusi. hoc igitur nō sine admirabili providētia factum videmus, ut populus Hebræorum, qui omnium principum crudelissimam vim ac tyrānidem pertulit, sui generis antiquitatem solus retineret. at præpotens Æthiopiæ rex ab illa gente repetit generis splendore, seque ac suos gentiles Israëlitas appellat. illud etiam magis mirum videri possit, quòd ab illis religiones, quæ toto terrarum orbe usurpātur, velut à fonte fluxerūt. cū igitur hunc populum in omnes terras sparsum videamus, quid de reliquis gentibus existimādum? est enim tāta naturæ fecunditas, ut paulo momēto ab unius hominis stirpe innumerabiles procreari videamus. nam Iustinus ex Trogo Pompeio scriptum reliquit Herotimum regē Parthorum filios sexcentos genuisse. & unius Iacobi proles annis ducētis in legiones innumerabiles excrevit. una legio Turcarum, quam Persæ aduersus Arabes euocarant, repente in tantam hominum multitudinem aucta est, ut Arabes eos eiicere frustra conati, fasces & imperium summisserint. consimiliter migratio Tartarorū in Asiam minorem duce Tamerlane, Asiaticorum ac Turcarum tribus confuderunt. quid commemorem id quod incredibile posteritati videbitur, Circassiorū cū Ægyptiis, Hispanorum cum Americis, Lusitanorum cum Indis? Gothorū
& Van-

& Vandalorum cum Hispanis & Afris cognationem? ex his ergo intelligitur omnes homines tùm peragrati-
 bus, tùm etiam coloniarum multitudine ac frequetia, tùm
 bellis & seruitute iam pridem ita confusos, ut nulli de o-
 riginis antiquitate ac vetustate, preter Hebræos, gloriari
 possint. ac vehemēter falli mihi videtur principes, qui sue
 nobilitatis decus ab extrema memoria repetūt, aut sempi-
 ternum fore sperant. gens enim *Æacidarū* & *Heraclidarū*,
 quæ apud Græcos clarissima fuerunt; tùm apud La-
 tinos *Iulia*, ducentessimū ac millesimū non superarunt. reli-
 quæ gentes patriciorum, *Potitij*, *Pinarij*, *Geganij*, *Sergij*,
Cornelij, *Fabij*, *Mamilij*, *Æmylij*, *Curiatij*, *Claudij*,
 vix octingentesimū attigerūt: ut *Cesari* necesse fuerit in-
 ter patricios allegere novos ac nobiles. *Darij* verò, annos
 ducentos floruerūt: *Arsacide* circiter sexcentos: *Othoma-
 ni* trecentos. *Hispani* principes summum nobilitatis fasti-
 gium à *Gothis* repetunt, qui omnium opinione barbarissi-
 mi putantur. *Austria* domus, quæ *Italorum*, *Hispanorū*
 ac *Germanorū* imperium habet, à comitibus *Aspurgi* ge-
 neris splendorem repetens, ante *Rudolphum Alberti* pa-
 trem, id est ante annos c c c. quæ qualisque fuerit penitus
 ignoratur. *Saxonica* vetustissima ante sexcētos annos, hoc
 est ante *Ottonem Henrici aucupis* patrem, maiores ciere
 non possit. *Meroueorum* autem, qui huius imperij funda-
 menta iecerunt, stirps anno post quadringentesimo desit.
 & *Caroli magni* genus in *Carolo* duce *Lotharingo*, du-
 centos post annos extinctum est. nunc imperant *Capeti*,
 ab *Widekindo Saxone* orti is in *Galliã* adductus est, &
Christiana religione à *Carolo magno* informatus, atque

Andium comes creatus, vel, ut alij putāt, ab Ottone fratre sui generis posteritatem, omnium quæ sunt in Europa, clarissimam & antiquissimam reliquit. iam enim ab Widedkindo anni paulo minus octingenti numeratur. Normannorum & Anglorū principes in Henrico 1. desierunt: Andium in Richardo 1 1 1. Henrici 5 1 1. stirps in Eduardo 5 1. Lancastrorum & Hyorcorū nulli restant. Scotiæ primi reges in Alexandro 1 1 1. Brusij in Dauide 1 1. Stuardi in Iacobo 5. Castilij in Henrico 1 1 1. Aragonij in Ferdinando 5. Sueci, Dani, ac Noruegi in Margareta Valdemari filia. Pomerani regnum, & Bauari prius extinctum quàm natum fuisse videtur. secuti sunt Aldeburgenses, qui nūc imperium Daniæ tenēt. Gostai pater ex privato Sueciæ imperium non ita pridē suscepit. nec multò diuturnior fuit in Pannoniæ imperio Stephani gens, cui Carolus Andegauus Rex Neapolis successit: deinde Otto Bauarus, tum Sigismundus Lucemburgensis, cuius stirpem excepit Mathias Coruinus primus ac ultimus suæ gentis Rex appellatus. Polonorum verò Reges antiquitatē non longiūs quàm à Pyasto rustico repetebāt, cuius tamen posterij vix imperarūt annos sexcentos. hos exceperūt Iagellones à Lituaniæ ducibus, qui tamen Pyastis nec antiquitate, nec rerum gestarum gloria comparari possunt. Italiæ verò nobilitatē, Veneti sibi vindicare consueuerunt. neque tamen eorum nobilissimus, ut ab extrema memoria stirpem eruat, ante annum septingentesimum maiores appellare potest. proximi sunt Columnæ, Ursini, Sauelle, Petilij, Romanæ nobilitatis reliquie, quibus nec Estenses, nec Gonzagæ comparandos se putāt. Medicei de virtute

non

non de generis antiquitate gloriantur. satis enim constat patricios in omnibus Italiae urbibus, quae in statu populari floruerunt, aut crudelissime caesos, aut bonis amissis eiectos. in Gallia quidem & Hispania gens omnium antiquissima Leuarum esse creditur, clarissimo teste Francisco Vallesio, qui patriciorum antiquas origines coequisuisse dicitur. Leuae tamen suum genus ad Leuitas referunt: quemadmodum reges Abissinorum ad Israelitae: sic enim patricios appellant: qui tamen antiquissimas suorum origines annis circiter DCCC. definiunt, ut Aluarezius tradit. igitur soli Hebraei generis antiquitate populis omnibus praestant, nemo tamen suam tribum cedere potest: sed omnes inter se confusi stirpem agnoscunt, ramos ignorant. Gens vero sacerdotum, quae nobilitatis summum decus ab Araone repetens, duobus annorum millibus ac trecentis floruerat, Gothicis ac Vandalicis cladibus creditur interiisse; non sine magno diuinae ultionis argum.

Auspiciandū erit à breuissimis Chronicis putā Bulingeri, Luteri aut similiū deinde ad chronologias videlicet Eusebii, Phrygionis, Eusebii: hinc ad historias magnaliquando diffusas veniendū: quales sunt Carionis, Melacthonis, Peuce-ri, postremo ad cōsummata historiam cuiusq; tēporis omnia, aut pulcherrima quaeq; cōplectētē, optimū asterisco notatur.

DE HISTORICORVM ORDINE & collectione. Cap. x.

Vniuersalis historiae scriptores.

MOSIS originum liber ab orbe condito, usque ad migrationem Hebraeorum ex Aegypto in Palaestinam, historiam uniuersi mundi cōplectitur annorum I I. M. C C C C L.

*Claruit ante Christum annis 1519.

Berosi Caldae, quae dicuntur, fragmenta uniuersae historiae ab orbe condito usque ad annum mundi I I I. M.

*Claruit ante Christum anno 330.

Ll ij C X X X.

- CXXX. in Sardanapalo desit, ut Metasthenes scribit.*
- *Claruit ante Chr. 425. *Herodoti Halicarnassæi de rebus gestis Græcorū, Ægyptiorum Medorum, Persarum, Lydorū; ab anno mundi termillestimo CCC. usque ad IIII.M.D. libri IX.*
- *Clar. ante Chr. 200. *Polybij Megalopolitani de rebus Græcorum Romanorum, Pœnorum, Celtarū, ab exilio Cleomenis & Pyrrho Epirotarum rege, usque ad bellum Romanorum cum Achæis & Philippo rege Macedonum: id est ab anno mundi IIII.M.DCLXXX. usque ad annum, IIII.M.DCCLXVI. de libris XL. quinque priores extant, & epitome sequentium usque ad XV.*
- *Clar. anno Chr. 150. *Trogi Pompeij epitome ab Iustino libris XLIIII. comprehensa, omnium penè populorum gesta breuiter completens, à Nino usque ad Cæsarem Augustum.*
- Clar. anno Chr. 40. *Diodori Siculi bibliotheca vniuersalis historia maxime illustrium populorum, ab vltima Ægyptiorum memoria usque ad Cæsarem. de libris XL. extant XV.*
- *Clar. post Christum 38. *Philonis Hebræi de temporibus libri duo ab orbe condito usque ad Tiberium.*
- Clar. 312. *Eusebij chronicon ab O.C. usque ad annum Christi CCC.*
- Clar. 340. *Hieronimus annos adiecit L. Prosper Aquitanus LX. Palmerius Florentinus M.XL. Palmerius Pisanus XXX. Iulij Africani de temporibus ab O.C. usque ad annum Christi CCCXX.*
- Clar. 560. *Phreculphi epitome historiarum ab O.C. usque ad annum Christi DL.*
- Clar. 730. *Beda Angli Chronica ab O.C. usq; ad annum Christi DCC.*

Adonis Vienensis de sex mundi ætatibus usque ad Clar. 980.
annum Christi DCCCC.

Helmandi chronicon ab O.C. usque ad sua tempora. Clar. 1066.

Hermani Contracti Heluetij de sex ætatibus usque Clar. 1067.
ad suam autem.

Mariani Fuldensis Scoti chronicon ab O. C. usque Clar. 1088.
ad suam ætatem.

*Zonarae fusa historia ab O.C. usque ad annum Chri- *Clar. 1120.*
sti M.CXV I I. tribus partibus diuisa: prima pars Hebreo-
rum est, altera Græcorum, tertia Latinorum.

Honorij Augustodunensis chronicon ab O.C. usque Clar. 1120.
ad sua tempora.

Sigeberti Galli chronico ab anno Christi CCLXX XI. Clar. 1130.
id est à fine tripertite historie, usque ad annum M.CX I I I.
cum appendice incerti autoris usq; ad annum M.CC X V I.

Abbatis Urspergensis chronicon ab O.C. usq; ad Fri- Clar. 1229.
dericum I I. Imp.

Vincentij Belluacensis historia ab O.C. usque ad an- Clar. 1260.
num Christi M.CCL.

Antonini archiepiscopi Florentini fusa historia ab Clar. 1480.
O.C. usque ad annum Christi M.CCCCLXX.

Fasciculus temporum ab O. C. usque ad annum
M.CCCCLXX XI I I. incerti autoris.

M. Antonij Coccij Sabellici anæades X I. historia ab Clar. 1490.
O.C. & his cohærens synopsis Hedionis.

Donati Possij Mediolanensis historia ab O.C. usque Clar. 1496.
ad annum M.CCCCLXX XI X.

Io. Naucleri Tubingensis chronica ab O.C. usque ad Clar. 1510.
annum Christi M.D.

- Clar. 1515. *Philippi Bergomensis historia ab O. C. usque ad annū Christi M. D. I I I.*
- *Clar. 1519. *Martini Lutheri Saxonis series annorum mundi usq; ad suam etatem.*
- Clar. 1530. *Achillis Gassari epitome chronicorū mundi ab O. C. usque ad annum Christi M. D. X X X.*
- *Clar. 1540. *Pauli Constantini Phrygionis chronicon ab O. C. usque ad annum M. D. X X I I I.*
- *Clar. 1540. *Io. Carionis Lubeci chronicorum libri tres ab O. C. usque ad annum Christi M. D. X X X. cui accessit appendix ad annum M. D. L V.*
- *Clar. 1540. *Philippi Melanchthonis chronicon libris tribus comprehensum ex ipso Carione magna sui parte expressum usque ad Carolum magnum.*
- *Clar. 1540. *Gasparis Peuceri chronico à Carolo Magno, ubi desierat Melanchtho, ad suam usque etatem.*
- Clar. 1540. *Pauli Iouij historia omnium pene populorum sui temporis ab anno Christi M. C C C C X C I I I I. usque ad annum M. D. X L.*
- *Clar. 1545. *Henrici Bulingeri chronicon ab O. C. usque ad suam etatem.*
- *Clar. 1550. *Io. Funcij Pruteni Chronologia ab O. C. usque ad annum Christi M. D. L I I I.*

*

Geographistorici vniuersales.

- Clar. ante
Chr. an. 20. *Strabonis Cappadocis libri x v i. in quibus breuē omnium populorum historiam cum geographia coniungit.*
- Claruit Chri
sti etate. *Pomponij Mele Hispani de situ orbis unā cum historia populorum.*

Pausania

Pausaniæ Casariensis grammatici Attica, Corinthiaca, Laconica, Messeniaca, Elea, Achaica, Arcadica, Beotia, Phocensia. clar.anno
Chr.140.

Raph. Volaterrani libri xxxviii. quibus uniuersam historiam cum geographia complexus est. clar.anno
Chr.1500.

Munsteri Cosmographia historias & origines unâ cum regionum descriptione complectens. clar.anno
Chr.1540.

His adiungi possunt historici rerum variarum quales sunt Athenæus, Ælianus, Tzetzes, Leonicus, Solinus, Valerius max. Plinius, Sudas.

*

Post historiam uniuersitatis, non incommodè subiungi poterunt ecclesiastici scriptores, & earum sectarum quæ potentiam stabilierunt ac retinuerunt. ac primùm de religione, antiquitate, ac rebus gestis Iudæorū.

Sacra biblia.

Philonis Iudæi, qui philosophus historicus appellari potest, omnia scripta. clar.anno
Chr.38.

Fl. Iosippi Iudæi antiquitatum Iudaicarum libri xx. & libri septem de bello Iudaico. clar.anno
Chr.99.

Iosippi filij Gorionis historia belli Iudaici Hebraicè conscripta. clar.anno
Chr.99.

Egesippi historia Iudæorum, à Machabæis usque ad annum Christi Lxxii. clar.anno
Chr.130.

*

Historici paganæ superstitionis.

Irenæi Lugdunensis episcopi aduersus gentes liber i. clar.anno
Chr.75.

Clemētis Alexandrini Episcopi Stromaton libri vii. clar.anno
Chr.200.

Arnobij

- Clar. 200. *Arnobij aduersus gentes libri V I I.*
 Clar. 310. *Lactantij Firmiani de falsa religione ac totum opus.*
 Clar. 1715. *Pauli Orosij libri V I I. aduersus Paganos.*
 Clar. 1550. *Lilij Geraldi de diis omnium gentium.*
Io. Caulis de religione veterum liber gal. Ital.

*

Historici Christianæ religionis.

- Nouum testamentum.*
 Clar. anno
 Chr. 120. *Iustini martyris apologeticus.*
 Clar. 150. *Q. Septimij Tertuliani Cartaginensis apologeticus*
aduersus gentes.
 Clar. 175. *Irenæi Lugdunensis episcopi contra hæreses libri V.*
 Clar. 260. *Origenis liber de martyribus.*
 Clar. 312. *Eusebij ecclesiastica historia libri X.*
 Clar. 400. *Socratis, Sozomeni, Theodoriti & Cassiodori ecclesiasti*
ca historia à Christo nato vsq; ad annũ C C C C X L I I I I.
 Clar. 496. *Genuadij presbyteri Massiliensis liber de viris illustri-*
bus ecclesiasticis.
 Clar. 610. *Euagrij Scholastici de ecclesia & imperio Romano li-*
bri V I. ab anno Christi C C C C X X X V. vsque ad annum
D X C V. orditur ubi desinit historia tripertita.
 Clar. 640. *Nicephori Calisti ecclesiastica historia à Christo vs-*
que ad Heraclium lib. X V I I I.
 Clar. 700. *Marcellini Comitis historia ab Eusebij temporibus*
vsque ad annum Christi D.
 Clar. 1150. *Io. Gulielmi Archiepiscopi Tyrij de bello sacro libri*
X X I I I.
 Clar. 1555. *Io. Foxij Angli ecclesiastica historia, ab Wicleuo vs-*
que ad annum Christi M. D. L. I I.

Status

Status ecclesie incerti auctoris, à Christo nato usque ad annum M. D. L. X.

Io. Sleidani historia ecclesiastica ab anno Christi Clar. 1548. M. D. X. VII. usque ad annum M. D. L. V.

Historia Magdeburgica centuria nouē, à nato Christo usque ad annum D C C C C. quibus veterum omnium scripta ecclesiastica historia copiose explicantur.

De statu religionis & ecclesie sub regibus Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. incerti auctoris. Gal.

Historici sectæ Arabicæ.

Coranus seu Furcanus ex omnibus Coranis, qui Muhamedis nomine circumferrebatur, collectus anno post Muhamedem c x. Clar. anno Chr. 600.

Historici Caldæorum, Assyriorum, Medorum, Aegyptiorum, Persarū, Phœnicum, Hebræorum, Parthorum: quorum gesta sunt ab iisdē fere scriptoribus cōprehensa.

Libri Regum, Paralipomenon & Esdra.

Herodoti Halicarnassæi libri nouen historiarum.

Ctesie Cnidij, Agatharchidis, & Mennonis fragmenta de regibus Persarum, & Assyriorum.

Xenophontis Atheniensis de expeditione Cyri (cuius fuit legatus) in Persidem.

Berosi sacerdotis Caldæi fragmenta, quæ feruntur, libris quinque comprehensa.

Metasthenis Persæ, de iudicio temporū & annalium Persarum liber.

Clar. ante

Chr. 445.

Clar. ante

Chr. 375.

Clar. ante

Chr. 370.

Clar. ante

Chr. 340.

Clar. ante

Chr. 330.

Mm

Mane-

clar. ante
Chr. 330.

Manethonis sacerdotis Aegyptij fragmenta, quae feruntur, de regibus omnium pene populorum.

clar. anno
Chr. 99.

Iosippi libri duo aduersus Appionem Grammaticum, ac xx. antiquitatum Iudaicarum.

clar. 130.

Hegesippi liber 1. de bello Parthico.

clar. 140.

Appiani Parthicus.

clar. 540.

Procopij de bello Persico libri 11.

Historici Græcorum, quo nomine veniunt Iones, AEoles, Dores, qui Asiam minorem, & Europam à Danubio, Acrocerauniis, & Hemo monte, vsq; ad mare Ionicum in insulis & continente sedes fixerunt.

clar. ante
Chr. 1129.

Dictys Cretensis de bello Troiano, libri v 1. è lingua Punica in Latinam à Q. Septimo conuersi.

clar. ante
Chr. 1129.

Daretis Phrygij de bello Troiano libri v 1. è Græca lingua Latino carmine conuersi à Cornelio Nepote.

clar. ante
Chr. 425.

Herodoti Halicarnassæi libri nouem, ubi sparsim de Græcis agit, usque ad fugam Xerxis, complexus historiam annorum CCXL.

clar. ante
Chr. 340.

Thucydidis Atheniensis libri v 111. quibus à fuga, Xerxis usque ad annum xxxi. belli Peloponesiaci, annorum xc. historiam scripsit.

clar. ante
Chr. 310.

Xenophontis Atheniensis libri v 11. quibus Thucydidis narrationem persequitur, earum rerum quæ annis xliii. in Græcia gesta sunt, usque ad prælium Lacedæmoniorum & Thebanorum ad Mantineam.

Megasthenes, Theopompus, Philostratus, Hellanicus, Timæus, Acusilaus, Ephorus, Mochus, Estiæus, Hieronymus,

nymus, Isidorus, Nicolaus Damascenus consequentes historias scripserunt, ut saepe videre est apud Plutarchum, sed eorum scripta penitus interciderunt.

Georgij Gemisti libri duo quibus Xenophontis historia ex Plutarcho & Diodoro cōtinua serie perpetuatur, à praelio Mantineo, usque ad cladem Cherronæam. Clar. 1520.

Diodori Siculi liber decimus sextus continuam Gemisti narrationem persequitur de Philippi & Alexandri magni rebus gestis. Clar. ante Chr. 40.

Polybij liber secundus, quartus, quintus cum epitome sequentium, & Liuij quarta decas, cum fragmentis quinta decadis res Græcorum cōplectuntur, quæ cum Alexandri successoribus gestæ sunt. Clar. ante Chr. 200.

Plutarchi Aratus, Timoleon, ac Demetrius plurimum conferunt ad posteriores Græcorum historias intelligendas. Clar. anno Chr. 120.

Procopij libri VII. Rerum sub Iustiniano gestarum. Clar. 540.

Io. Zonarae tomus tertius à Constantino magno, usque ad obitum Alexij Comeni, id est ab anno Christi ccc. usque ad m. c. xiii. Clar. 1120.

Annae Alexiados libri xx. rerum ab Alexio patre Imp. gestarum quibus Zonarae narrationem persequitur. Clar. 1130.

Nicephori Gregoræ historia centum & quadraginta quinque annorum, à Theodoro Lascari usque ad Andronicum Palaeologum posteriorem. Clar. 1280.

Nicetæ Acominati Choniatae historia annorū lxxxvi. ab anno quo defierat Zonaras usq; ad exitū Murzufuli, Imp. id est usq; annum m. cc. iiii. libris xix. comprehensa. Clar. 1460.

Historici Romanorum & Pœnorum, atque omnino rerum Italicarum.

M m ij

Sexti

- Clar. 1560. *Fasti consulares à Car. Sigonio & Onuphrio restituti.*
- Clar. 450. *Sexti Rufi V. Coss. epitome de gestis Romanorum ab V.C. usque ad Valentinianum Imp.*
- Clar. 200. *Flori epitome in Liuium.*
- Clar. 210. *Velleij Paterculi Proconsulis libri duo, in uniuersam historiam pop. Rom.*
- Clar. 370.
Clar. ante
Chr. 280.
Clar. ante
Chr. 260.
Clar. ante
Chr. 280.
Clar. ante
Chr. 35.
Clar. ante
Chr. 45.
Clar. 1070.
Clar. 215.
- Eutropij Presbyteri de gestis Rom. libri x.*
- Q. Fabij Pictoris libri duo, de origine urbis Romæ.*
- M. Catonis, quæ dicuntur, de originibus fragmenta.*
- Polybij liber sextus, de militari domesticaque Rom. disciplina.*
- Dionysij Halicarnassæi libri x i.*
- C. Salustij libri duo, de bello Iugurthino & Catilinari.*
- Polybij liber primus & tertius cū epitome sequentiū.*
- Xiphillini patriarchæ epitome in Dionem.*
- Dionis Cassij libri x x i i i. qui de lxx x. seruati sunt, de gestis Romanorum.*
- Clar. ante
Chr. 43.
Clar. 215.
- C. Cæsaris de bellis ciuilib. libri i i i.*
- Appiani bellorum ciuiliū libri v.*
- Clar. ante
Chr. 35.
- T. Liuij Patauini libri x l v. qui restāt de c x l i i i. ab V.C. usque ad Augustum.*
- Clar. anno
Chr. 120.
- Cornelij Taciti annales ab Augusto, in quo desierat Liuius, usque ad Neruam, libri x v i. qui restant de uno ac viginti.*
- Clar. anno
Chr. 360.
- Amiani Marcellini militis Constantinopolitani libri x v i i i. qui de uno ac triginta seruati sunt. cæperat à Nerua, in quo desierat Tacitus. desit in Valēte. cætera Eutropius sarcire potest. tūm etiam singulares principū historia Tranquilli, Cassij, Spartiani, Capitolini, Vopisci, Hero-*

Herodiani, Lampridij, Egnatij.

Prosperi Aquitanici continuatio historiae Romanae ab anno CCCLXXII. usque ad CCCCLVII. quo urbs à Genserico rege capta est. Clar. 480.

Procopij libri v i i. rerum sub Iustiniano gestarum, qui superioribus coniungi debent. Clar. 1130.

Flauij Blondi Foroiuliensis, Eugenij Pontificis secretarij, libri x x x. ab inclinatione imperij ad sua usque tempora, & libri x. de Roma triumphante, deque Italia illustrata. Clar. 1440.

Nicolai Macchiauelli Florentinorum historia ab anno Christi m. c c x v. usque ad m. c c c c x c i i i. Clar. 1500.

Fr. Guichardini de rebus in Italia gestis ab anno Chr. c c c c x c i i i. usque ad annum m. d. x x x v i. Clar. 1520.

Io. Pontani de bello Neapolitano. Clar. 1490.

Pandulphi de regno Neapolis ab Augusto usque ad Carolum v. Imp. Clar. 1540.

Michaëlis Coccinij Tubingensis, de bellis Italicis. Clar. 1540.

Galleacij Capellæ de bellis Italicis sub Carolo v. Clar. 1540.

M. Antonij Coccij Sabellici Venetæ historiae libri x x x i i i. Clar. 1490.

P. Bembi historiae Venetæ libri x i i. Clar. 1540.

*

Historici Celtarum siue Gallorum, & Francorum: qua appellatione veniunt omnes populi qui Rheno, Pyrenæis, Alpibus, & utroque mari cinguntur.

C. Iulij Caesaris de bello Gallico libri v i i. & Hircij libri consequentes. Clar. ante Chr. 43.

M m i i j Appiani

- Appiani Celticus, siue de bello Gallico.*
- Clar. 1550. *Io. Tiliij Parisiensis epitome historiarum ab Waramundo usque ad Henricum I I.*
- Clar. 1490. *Huberti Leonardi de origine Francorum, liber I.*
- Clar. 1530. *Pauli Æmilij Veronensis historia, Francorum ab Waramundo usque ad Carolum VII I.*
- Io. Ferronij Galli consequentium regum historia usque ad Franciscum.*
- Clar. 1500. *Io. Tritemij Germani de gestis Francorum ab anno ccccxxxiii. ante Christum, usque ad annũ Chr. D. M. Guaguini historia usque ad Carolum VII I.*
- Clar. 1500. *Nicolai Gilij Annales Francorum.*
- Clar. *Bocheti Annales Aquitaniae.*
- Clar. 1530. *Hermani comitis de rebus Francorum usque ad annum M. D. XXV.*
- Clar. 1520. *Æmũdi de ducibus Burgundiae, Flandriae, Brabantiae, Holendiae à bello Troiano usque ad Carolum V. Imp.*
- Clar. anno
Chr. *Beisselli de Flandrensium gestis.*
- Clar. 1480. *Meieri Belgica historia.*
- Annales Burgundiae incerti auctoris.*
- Clar. 1555. *Gulielmi Paradini de antiquo statu Burgundiae liber I.*
- Clar. 630. *Gregorij Turonensis episcopi historiae Francorum libri X. ab eorum origine usque ad annum Christi DC.*
- Clar. 830. *Annonij monachi libri V. de regibus Francorum ab anno Christi ccccxx. usq; ad annum dcccxxvi.*
- Clar. 1120. *Ruperti de Gallorum gestis aduersus Saracenos libri X.*
- Clar. 1420. *Frossardi historia de bellis Francorum & Anglorum, ab anno Chr. M. ccccxxxv. usque ad annum M. cccc.*
- Enguer-

Enguierandi Monstreleti consequentium annorum historia usque ad Ludouicum XII. clar. 1500.

Philippi Comini historia ab anno Chr. M. C C C C L X I I. clar. 1488.
usq; ad initiationē Ludouici XII. Mōstreletio coherens.

Galeatij Capella de bellis in Italia gestis inter Carolum V. & Franciscum regem Gallorum. clar. 1530.

Gulielmi Paradini consequentium annorum historia usque ad annum Christi M. D. L V. clar. 1555.

Rabutini de expeditione Hērici aduersus Carolum V. anno Christi M. D. L I I. pro libertate principum Germanorum suscepta. clar. 1556.

Historici Germanorum ac populorū omnium qui ab alpibus usque ad mare Balticum, & à Rheno usque ad Vistulam sedes habent: quibus coniuncta est historia Gothorum, Vādalarum, Hunorum, Herulorum, Heluetiorum, Longobardorum, Polonorum, Moschouitarum, Danorum, Suecorum.

Principio proponuntur ij qui de omnibus Germaniis in uniuersum scripserunt: tum de singulis populis.

Cornelij Taciti libellus de moribus Germanorum Al-tameri commentariis illustratus. clar. anno Chr. 120.

Beati Rhenani Selestadiēsis rerū Germanicarū lib. III. clar. 1500.

Iacobi Wimpelingi epitome rerum Germanicarum. clar. 1549.

Francisci Iremāi Helingiacensis Germanicę exegeſeos libri XII. clar. 1519.

Huldrici Mutij Hugualdi de Germanorum prima origine, moribus, institutis, legibus, & memorabilibus bello ac pace gestis libri XXXI. clar. 1551.

Io. Auentini Germanicarum rerum illustratio libris X. clar. 1510.

comprehensa.

Clar. 1550.

Clar.

Munsteri cosmographia, vel potius Germanographia. Abbatis Vispergensis, cuius nomen ignoratur, chronicon ab O. C. usque ad Fridericum 11. ubi cetera quidem breuissimè, res verò Germanicas fusè scripsit.

Clar. 1340.

Lupoldi Episcopi Bambergensis de veterum principum Germanorum erga religionem Zelo.

Austriae.

Chronicon ducum Bauariae & Sueviae incerti auctoris. Volfgangi Lazij Viennensis Austriaca historia libris 1111. comprehensa.

Clar. 1500.

Ricardi Bartolini Perusini Austriades libri x 11.

Hungariae.

Io. Turotij Hungari chronicon Hungariae libri tres.

Clar. 1530.

Melchioris Soiteri de bello Pannonico.

Clar. 1440.

Antonij Bonfinis Asculani rerum Vngaricarum libri x x x. usque ad Mathiam Coruinum.

Poloniae.

Chronica Polonorum.

Clar. 1552.

Martini Cromeri de rebus Polonorum libri x x x.

Philippi Callimachi Polonica historia contra Turcas.

Sclauoniae.

Clar.

Helmoldi presbyteri Sclauorum historia à Carolo magno usque ad Fridericum Aenobarbum.

Daniae & Sueciae siue Gothiae.

Chronicon incerti auctoris de origine Francorum, Vandalorum, Gotthorum, Burgundionum.

Alberti

Alberti Crantij historia Dania, Noruegia, Suecia, Clar. 1520.
quæ Gothia & Scandia dicta est, ab eorum origine usq;
ad annum M. D. I I I I.

Olai magni Gothi Principis ac Pötificis Christiani de Clar. 1530.
rebus Gothorum libri x x I I.

Saxonis Grammatici de historia Danorum libri x v I. Clar.

Procopij de bellis Gothorum libri I I I. Clar. 530.

Agathia Smyrnaei de bellis Gothorum libri v. Clar. 550.

Idacij chronica à Thodosio magno usque ad annum Clar. 410.
Christi c c c c.

Sidonij Apollinaris Galli, qui in regia Gothorum sub Clar. 470.
rege Alarico apud Tholosates claruit, varia narrationes
rerum à Gothis gestarum.

Iornandi Espiscopi Gothorum libri duo de bellis Go- Clar. 540.
thorum & Romanorum.

Aurelij Cassiodori de gestis Gothorum & Rom. Clar. 575.
sparsim.

Leonardi Aretini de bello Gothorum. Clar. 1420.

Langobardiæ.

Pauli Diaconi cancellarij Desiderij regis de rebus Clar. 780.
Langobardorum libri v I.

Saxonix.

Alberti Crantij Saxonum historia. Clar. 1520.

Witiquindi Saxonis de rebus Saxonum lib. I I I. Clar. 950.

De bello Saxonio libri I I I. incerti autoris.

Sebastiani Boisselineri de obsidione Magdeburgica. Clar. 1560.

Lubeci.

Lubeci chronicorum libri v.

N n Boruf.

Borussia.

Erasmii Stella de antiquitatibus Borussia.

Batauiæ.

Clar. 1530. *Gerardi Nouiomagi Batauica historia.*

Bohemia.

Clar. 1416. *Æneæ Syluij Bohemica historia.*

Suetiæ seu Heluetiæ.

*Io. Stumphi Tigurini Heluetiorum historia tribus to-
mis comprehensa. Germanicè.**Eiusdem epitome totius historia.**
Historici Britannorum, qui post Anglo-
saxones, & Scoti sunt appellati.Clar. 1560. *Georgii Liliij Britanni Chronicon ab Hengisto, id est
ab anno Christi D C. vsque ad annum M. D. L X.*Clar. 1520. *Pontici Vitruuij Taruisini historia Britanice libri V I.*Clar. 1530. *Polydori Virgilij Vrbinatis historia Anglica lib. XXVI.*Clar. 732. *Beda Angli libri V. historiarum Anglosaxonum, vsque
ad suam etatem.*Clar. 689. *Galfridi Arturi Angli de rebus Britannicis libri VIII.*Clar. *Hectoris Boëtij Scotorum historia.*Clar. 1420. *Nicolai Trineti Angli annales Anglici, à comitibus
Andegauensium, id est ab anno Cristi M. C X X V. vsq;
ad M. C C C V I I.**
Historici Hispanorum.Clar. 1530. *Francisci Taraphæ Hispani breuis epitome omnium
historiarum regumque Hispaniæ ab O. C. vsque ad
Caro-*

Carolus V. Imp.

Appiani Hiberica.

Clar. 200.

Roderici Palentini de rebus Hispanorum, Hispanice.

Mariae Siculi Aragonensis historia.

Clar.

Antonij Nebrissensis de rebus à Ferdinando gestis.

Clar. 1494.

Io. Bracelli de bello Hispano libri v.

Clar. 1456.

Caroli Verardi de expugnatione regni Granatae, & eiusdem Betica historia.

Clar. 1468.

Damiani Goesij de rebus Lusitanorum in India gestis.

Clar. 1510.

*
Historici Arabum, qui olim Africae, Syriae,
Persiae, Hispaniae imperia tenuerunt:
vulgo Saraceni appellati.

Leonis Afri Geographistorici omnium Africae regionum ac populorum accurata descriptio.

Clar. 1510.

Hermani Dalmatae chronica Saracenorum.

Ruperti Monachi de bello adversus Saracenos lib. viii.

Clar. 1087.

Gulielmi Tyri Archiepiscopi de bello sacro lib. xxiii.

Clar. 1150.

*
Historici Turcarum.

Andreae Cambini de origine Turcarum. Ital.

Clar.

Gulielmi Postelli Barentonij de moribus, religione & Republica Turcarum libri iii. Gal.

Clar. 1550.

Ordinatio politicae Turcarum incerti auctoris.

Calcondilae historia de rebus Turcarum.

Clar. 1490.

Christophori Richerij Torignai de rebus Turcarum libri v.

Clar. 1530.

Marini Barletij de rebus gestis adversus Turcas, & Scanderbei regis Epirotarum vita, libris xiii. comprehensa.

Clar. 1488.

N n ij Laonici

- Clar. *Laonici historia Turcica.*
- Clar. 1540. *Pauli Iouii liber XII. XIII. XIII. XV. XVI. XVII. XXXII. XXXIII. XXXIII. XXXV. XXXVI. XXXVII.*
- Henrici Penia de bellis inter Ismaëlem & Selimum gestis.*
- *
- Historici Tartarorum & Moschouitarum.
- Clar. 1290. *Haitonis Armeni historia Tartarorum liber vnus.*
- Clar. 1280. *Pauli Veneti de regionibus orientalibus & imperio Tartarorum libri III.*
- Clar. *Mathia Michæi de Sarmatia Asiana atq; Europæa libri II. in quibus Tartarorum ac Moschouitarum historia breuissimè continetur.*
- Clar. 1540. *Pauli Iouii Nouocomensis de legatione Moschouitarum liber I.*
- *
- Historici Aethiopum, Indorum, Americorum, & omnium pene Africæ populorum.
- Clar. 1500. *Leonis Afri descriptionis Africæ libri nouem. Ital. Gal.*
- Clar. 1496. *Francisci Aluaresij descriptio Æthiopiæ. Hispanicè Ital. Gal.*
- Clar. 1504. *Aloysij Cadamusti nauigatio ad terras nouas.*
- Clar. 1512. *Christophori Columbi Genuensis nauigatio ad insulas antea ignotas.*
- Clar. *Petri Aloisi nauigatio.*
- Clar. 1501. *Alberti Vesputij nauigationum epitome.*
- Clar. 1497. *Americi Vesputij nauigationes IIII.*
- Clar. 1500. *Iosephi Indi nauigationes.*
- Chr. 1515. *Ludouici Rom. Patritij Nauigationum Æthiopiæ, Ægypti,*

*Aegypti, utriusque Arabiae, Persidis, Syriae, Indiae intra
& extra Gangem libri V I I.*

Pauli Iouij liber X V I I I.

Clar. 1540

Post historias omnium^{*} populorum commu-
nes, & eas quæ ciuitatis cuiusque propriæ
sunt, sequitur historia singularis illustrium
viro-
rum.

*Primum de vi-
ris illustribus om-
nium populorū:
postea de singulis.*

- Rhaphaëlis Volaterrani de claris viris omniū gentiū.* Clar. 1500.
Plinij iunioris vel, ut alij putant, Cornelij Nepotis de Clar.
viris illustribus L X X V I I.
Pauli Iouij de viris illustribus. Clar. 1494.
Francisci Petrarchæ de viris illustribus. Clar. 1374.
Polydori de origine insignium regum. Clar. 1530.
Io. Bocatij de casibus illustrium virorum. Clar. 1370.
Gasparis Ursini de vitis Regum, Imperatorū & Pon- Clar. 1540.
tificum Romanorum vsque ad Carolum V.
Io. Feronis stemmata cum gestis illustrium familiarum Clar. 1540.
partim edita, partim edenda Gallicè.
Plutarchi & Ph. Bergomensis de claris mulieribus. Clar. 120.
Diogenis Laërtij de vitis philosophorum libri X. Clar. 200.
Baptistæ Egnatij de Romanis principibus à Cæsare Clar. 1530.
vsque ad Carolum V. Imp.
Io. Cuspiniani de Cæsaribus vsque ad Carolum V. Clar. 1540.
Plutarchi vitæ principum Græcorum & Rom. L. Clar. 120.
C. Suetonij Tranquilli vitæ X I I. Cæsarum, à Cæsa- Clar. 120.
re vsque ad Neruam.
Dionis Nicæi vitæ Imperatorum à Nerua vsque ad Clar. 140.
M. Aurelium.

N n iij

Ælij

- clar. 240. *Ælij Spartiani de vita Adriani, Antonini Pij, & M. Aurelij.*
- clar. 170. *M. Aurelij à se conscripta vita libris XII.*
- clar. 300. *Iulij Capitolini libri III. de vita Antonini utriusque, Veri, ac Pertinacis.*
- clar. 240. *Dionis Cassij historia principum Romanorū ab Augusto vsque ad Alexandrum Seuerum, cuius epitomen complexus est Xiphilinus.*
- clar. 300. *Ælij Lampridij de vita Didi Iuliani, Commodi, Heliogabali ac Seueri.*
- clar. 200. *Herodiani libri VII. à morte M. Aurelij vsque ad Gordianum iuniorem.*
- clar. 420. *Sexti Aurelij Victoris de vitis Imperatorum ab Augusto ad Theodosium magnum.*
- clar. 1490. *Pomponi Leti de vita consequentium Imperatorum à Gordiano vsque ad Heraclium.*
- clar. 320. *Trebellij Pollionis de imperio Valeriani, Galieni, Claudij, ac XXX. tyrannorum.*
- clar. 320. *Flauij Vopisci de vita Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Firmi, Saturnini, Proculi, Cari, Catini, Numeriani.*
- clar. 312. *Eusebij de gestis Diocletiani Maxentij, Constantini.*
- clar. 340. *Eutropij epitome principū Romanorū vsq; ad Iouinianū.*
- clar. 4360. *Amiani Marcellini de gestis Constantij, Iuliani, Iouiniani, Valentiniani, & Valentis.*
- clar. 1505. *Michaëlis Ritij de regibus Francorum, Hispanorum, Neapolis, Sicilia, Hungaria, Hierosolymæ.*
- clar. 1480. *Q. Curtij de rebus gestis Alexandri magni libri VIIII. qui restant de X.*

Turpini,

Turpini, Eguinardi, & Acciaoli de vita Caroli magni. priores ætate Caroli magni, tertius M. CCCCXC.

Platina de vitis Pontificum Rom. à Petro usque ad Clar. 1480. Sixtum, & annum Christi M. CCCCLXXII.

Pauli Vergerij de gestis principum Mantuanorum. Clar. 1540.

Principum Montisferati series autore incerto. Clar. 1550.

Caroli Stephani epitome ducum Mediolanensium.

Io. Bracelli de claris Genuensibus.

Xenophontis de factis & dictis Socratis.

Philonis de vita Mosis.

Othonis Frisingensis de gestis Friderici Enobarbi.

Philostrati libri VIII. de vita Apolonij Thianei.

Laur. Vallæ de gestis Ferdinandi regis Arragonum.

Staphili de gestis Caroli V.



ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 5. versu 2. ab earum. pag. 21. vers. 16. descriptionibus vtuntur. pag. 23. ver. 17. Rufum & vers. penult. Rufi. pag. 29. vers. 21. actionum. versu extremo, capi. pag. 44. ver. 7 conscius, pag. 55. vers. 1. vnicuique. pag. 8. ver. 7. oration. pag. 88. ver. 18. iisdem fere, pag. 97. ver. 18. dele in quo. pag. 98. vers. 25. regioni. pag. 105. vers. 7. vero. pag. 163. vers. 22. dele Britannia. pag. 168. ver. 11. longissimi. pag. 174. vers. penult. Albania. pagi. 182. vers. 2. iubent. pagi. 221. vers. 26. mortuo. pag. 216. ver. 21. appareat. pag. 269. vers. 24. Arbacem. seq. pagi. vers. 15. Arbace. pag. 305. vers. 10. iustius. pag. 331. vers. penult. indicium. pag. 367. vers. 14. fingi.